



V
B J
C

[illegible]

V.

Ad Bibliothecam Conventûs Hoczoviensis
P.P. Reformatorum.





GLORIA

Clarissimi Imperatoriô Sangvine,
Sanctissimi Apostolorum Discipuli, & Comitis,
Gloriosissimi MARTYRIS,

CLEMENTIS
ROMANI PONTIFICIS
HUIUS NOMINIS PRIMI,

Operâ & Studiô

P. CLEMENTIS CHODYKIEWICZ

S. T. Lectoris ejusdemq; actualis Professoris Primarii, in Studio Leopoliensi Theologico, Sanctæ Mariæ Magdalenæ Ordinis Prædicatorum Provinciæ Russiæ veritati & pietati.

VINDICATA

Annô Æræ Christianæ
1757.

Leopoli Tipis S. R. M. Confrat: SSS. Trinitatis.

LICENTIA

Admodum Reverendi Patris Provincialis

Fr. *Angelus Polikonski* S. Theologiæ Magister, Prior Provincialis Provinciæ S. Hyacinthi, in Russia Ordinis Prædicatorum.

In Dei Filio sibi dilecto, Reverendo Patri S. T. Lectori, Fratri Clementi Chodykiewicz ejusdē Ord: Prædicatorū.

OPus inscriptum: Gloria vindicata, ex antiquis tam manuscriptis quàm impressis monumentis, à Te collectū, tanti Tutelaris tui pietati propagandæ, Sacræ antiquitati illustrandæ, Reipublicæ literariæ augendæ necessarium, cū designati à nobis Theologi recognoverint, & luce publicâ dignum judicauerint, Nos tenore præsentium, nostriq; Authoritate officii, Tibi supra nominato Reverendo Patri, Sæ Theòlogiæ Lectori, Fratri Clementi Chodykiewicz, actuali Theologiæ Professori, Conventûs nostri Leopoliensis, S. Mariæ Magdalenæ, licentiam impertimur, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur, cujus rei gratiâ has literas manu nostra firmatas, sigilloq; officii nostri munitas, dedimus in Conventu nostro Generali Leopoliensi Sanctissimi Corporis Christi, Die 11. Iunii Annô 1754.

Conservus in Domino Fr. Angelus Mgr Provincialis qui supra. mpp

Reg: Pag: 32.

Locus ✠ Sigilli

Fr. Gorgonius Wadowicz S. T. Præsētatus Prior Rubei Castri, & Socius mpp

A



Ex Libris Joannis Koltenowicz

Emptus ——— flo. 3 gr. ...

Hic Liber applicatus est Bibliothecae [illegible]
Conventus Ilocroviensis pp. Reformatorum
Per me P. Hippolytum Reformatorum Conventus Ilocroviensis Guard.





S. Clementi Romano ex Imperatorio Octaviæ, et Aniciæ Familiæ Sangvine nato, Apostolorũ Discipulo, Comiti, et Successori, Thaumaturgo Martyri, Cuius Corpus in Mari Euxino pro Xto submersum, per SS. Cyrllum, et Methodium, primos Russiæ Apostolos Romã translatum per Ludovicũ II. Imperatorẽ in Piscariensi insula in aprutina Provincia sita, Casa aurea appellata, Ord: S. Benedicti, ubi Regale Sceptrũ Ludovici pro Pastorali gestabant Abbates collocatum, hucusque asservatur. et B. Clementi Archipõ Dublinensi in Anglia, manibus S. P. Dominici Prædicatoria veste induto in Argumentũ præcipui sui Cultus, et testatæ Ejus protectionis P. Clemens Chodkiewicz S.T.L. Ord: Pr: Prov: Rus: D. Cq.

I. Filipowicz Sculp: Leopoli. A. 1757.

go hujus opusculi, sola pietas est tanti Tutelaris, motores, sunt viri dignitate, & eruditione excellentes, Plura quidem adhuc mihi desunt huic operi necessaria, vita scilicet, S. Clementis ab Hesychio Salonitano exarata, & miracula à S. Ephremio Martyre scripta, quæ in Cassinēsi S. Benedicti asservata Bibliotheca, licet magna solicitudine quæsita, non tamen obtenta sunt. Fateri passum cũ S. Bernardo Epistola 36. Laboravimus, quantum potuimus, & si minus impetravimus, quod optavimus, tamen manet nobis fructus laboris nostri apud eum, apud quem nullum bonum irremuneratum est.

INDEX
Capitum totius operis

De

CEL-

APPROBATIONES ORDINIS

OPus intitulatum Gloria Clarissimi Imperatoriô Sangvine &c: CLEMENTIS primi, Romani Pontificis, vindicata, sedulô, atq; accurato labore Reverendi Patris Clementis Chodykiewicz Sæ: Thæ: Lectoris ejusdemq; in Studio Leopoliensi S M. Magdalenæ actualis Professoris compilatum, cum nihil contrarium Catholicæ Fidei, bonisq; moribus in se contineat, id circô dignum luce publicâ censeo, salvô meliori judiciô *Datt: Leopoli in Conventu Sanctissimi Corporis Christi, Die 6. Aprilis Annô 1755.*

Fr. Antoninus Derjakubowicz Sæ: Thæ: Magister, Prior Conventûs Leop: SS. Corporis Christi, Ord: Prædicatorum, Provinciæ Russiæ mp

OPus intitulatum Gloria Clarissimi Imperatoriô Sangvine &c. Clementis 1mi, Romani Pontificis vindicata; non modicam Authori suo conciliat gloriam. In eo etenim nullo labori parcens, conquisitis undiq; raræ antiquitatis monumentis, iisq; bono Ordine dispositis, argumentis quoq; in contrarium dilutis, adeo sensum suum eruditè, doctè nervoséq; probat, ut evidentiam probabilitatis asserti sui mentibus Lectorum ingerat. Quapropter præfatum opus, in quo nihil contrarium fidei, bonisq; moribus reperitur, non injucundum eruditis Lectoribus futurum dignum, Luce publicâ censeo; salvô meliori judiciô. *Datt: Leopoli in Conventu majori SS. Corporis Christi,*

Ord

Ord: Prædicatorum. Annò 1755. Die 21. Aprilis.
Fr. Thomas Kaſprowicz Sæ: Thæ: Magiſter mpꝛ

APPROBATIO
Illuſtriſſimi Loci Ordinarii

IMPRIMATUR

NICOLAUS IGNATIUS
WYZYCKI.
Archiepiſcopus Metropolitanus Leopolienſis.

Die 22. Maj Annò 1755.

Lectori Benevolo & erudito.

NOn levioris momenti cauſa fuit, quâ motus, hanc brevem collectionem de S. Clemente Papa, & Martyre juris publici factam exhibeo. Cum enim advertiſſem rigidiores Criticos præſentis temporis, hujus S. Martyris acta in dubium vertere, ſvaſione benevola, Sanctæ memoriæ, Eminentiſſimi S. R. E. Principis Annibalis Cardinalis, Tituli S. Clementis, Albani, Epiſcopi Portuenſis, & S. Rufinæ, Archi-Præsbyteri Vaticani, & Protectoris Regni Poloniæ, meiq; beneficentiſſimi Patroni, atq; adhortatione piæ memoriæ, Reverendiſſimi Patris, Antonini Bremond, Magiſtri mei Generalis, cum Romæ Collegialem agerem, binas diſſertationes de eodem S. Martyre impreſſas ſub auſpiciis Sereniſſimi Regii Principis, *Clementis Auguſti III.* Regis Poloniarum Clementiſſimi Filii, publicæ diſputationi propoſui, nunc rem totam de eodem Sancto, quam collegeram, liberaliori calamô, donandam duxi. Cauſa er-

GLORIA
S. CLEMEN
ROMANI
SUMMI PONTIFICIS, & MARTYRIS
ab objectis rigidiorum Criticorum veritati, & pietati
VINDICATA.
CAPUT I.
De Natalibus S. Clementis PAPÆ



Larissimam hujus Sanctissimi Pontificis, & Martyris deducturus originem operæ pretium duxi, leves aliquorum otio, & contentioni deditorum hominum imposturas refellere, qui vel ipsos Sanctos antiquitate, & Sanctitate celebres impetere non verentur. Inter hos Tillemontius, & Bailetius putant fuisse Iudæum genere Cle-

 men-

mentem, idq; levißimâ ducti conjecturâ colligunt ex verbis ipsiusmet Clementis, qui in Epistola prima ad Corynthios Iacobum appellat Patrem suum dicens: *Propter æmulationem Pater noster Iacob, aufugit à facie Esau:* quasi verò ex Iacobi fuerit oriundus stirpe, quòd eum vocat Patrem suum. At si hæc ratio constaret, verum esset dicere eum, fore Filium quoque Abrahæ, quem etiam appellat Patrem suum: *Cujus gratiâ* inquit: *Pater noster Abraham Benedictus fuit.* Non ergo propter originem, sed propter Fidem vocat Abraham, & Iacob Patres, sicut nos promißionis filios in semine Abrahæ vocat Paulus Apostolus ad Romanos Cap: IX. Romanus igitur, & gentilis origine fuit Clemens quòd ipsemet fatetur in laudata Epistola, *etiam* inquit *gentium exempla proferamus,* mox addit: *Multos cognovimus è nostris, qui seipsos in vincula conjecerunt, ut alios redimerent.* Hi autem, ut notat Cotelerius, fuerunt Prothegenes, Pandora, Decii, & Curtius Item, *consideremus* ait *eos, qui sub Ducibus nostris merent.* Alibi etiam dicit: *Quando quidem populus noster à Deo desertus esse videbatur, nunc autem cum credidimus, plures facti sumus, iis qui Deum habere censebantur.* Si ergo vocat Populum Romanum, Populum suum, Duces suos & multos è suis se cognovisse dicit, prodit se fuisse gentilem Romanum, non vero Iudæum. Hinc Petrus A-

posto-

postolus inducitur dixisse ad Clementem: *Tu namq; inter eos, qui per me ex gentibus servati sunt, locum optimarum primitiarum obtines.* Quæ verba habentur in Epistola sub nomine Clementis ad Iacobum Fratrem Domini, quæ licet non agnoscatur pro genuina, est tamen antiquissima. Certum igitur exploratumq; habemus, Clementem fuisse genere Romanum, & Gentilem Quoniam vero Isaac Wossius desiderat scire Nomen, & Pronomen Familiæ Clementis, ideoq; nobilitatem generis ejus negat, Pearsonius autem dicit confundi Clementem Papam cum Flavio Clemente Exconsule, & Martyre, qui Domitiani Imperatoris verus consobrinus erat, ideo ad demonstrandam, & vindicandam ejus nobilitatem descendimus.

S. Paulus Apostolus in Epistola ad Philippenses Cap 4. dicit: *Salutant vos omnes Sancti, maximè autem, qui de Domo Cæsaris sunt:* Sed Cælaris nomine non intelligitur nomen viri appellati Cæsar, nam ut ait Velasquez; Ridiculi sunt, qui Cæsaris nomine, unum è septuaginta duobus Christi Discipulis intelligunt, cum omnis antiquitas Romanum Cæsarem, Neronem à Paulo indicari constanter affirmet. Idem dicit Tyrinus Id est Christiani, qui sunt de Familia, & aula Neronis Imperatoris, Unde per hoc intelligitur, ut ait D. Thomas hic Lect. 2. quod multos de Familia Cæsaris convertit: sed Clemens erat de Domo Cæsaris Neronis, nam Hesychius

Salonitanus in MSS. Caſsinenſi de Clemente dicit: *Paternum illi genus ex antiquiſſima Claudiæ gentis Neronum Familia* ergo Paulus etiam Clementis nobilitatem innuebat.

S. Eucherius Lugdunenſis in Epiſtola ad Valerianum *Pag 300. ait: Clemens vetuſta proſapia Senatorum, atq; etiam ex ſtirpe Cæſarum, omni ſcientia refertus, omniumq; liberaralium artium peritiſſimus, ad hanc Iuſtorum viam tranſiit, itaq; etiam in ea excellenter effloruit, ut Principis quoq; Apoſtolorum ſucceſsor extiterit.* De illo ergo Clemente loquitur Eucherius, qui erat ſucceſsor Petri, at ſucceſſor Petri non erat Flavius Clemens, ergo non confunditur Clemens Papa cum Flavio Clemente Martyre. Hæc enim confuſio contra evidentia teſtimonia Patrum, niſi fingi, ſed non probari poteſt. Agnovit nobile Clementis genus S. Leo Magnus, qui in MSS. Vaticano Sacramentario luculentis verbis illud aſſerit, loquens de Clemente, *Quimundo* inquit, *nobilis, amore Chriſti nobilior. S Bernardus ſerm. de tribus aquis ait: acceperat B Clemens nobile genus, amplas poſſeſiones, hereditatem multam* S. Vincentius Ferrerius ſerm. de S. Clemente ait. *Tempore Apoſtolorum B. Clemens erat Romæ, quæ tunc florebat; Filius magni Domini* Nicephorus Lib. 2. Cap 35 *Clemens Romæ; illuſtri loco natus genuſq; ſuum ad Imperatores Romanos referens* S. Antoninus Lib. 1. Tit. 7. Cap. 2. § 1. dicit *Clementem Filium Fauſti*

Cæſa-

Cæsarem genere attingentem Iosephus Silos in Mausolæis Rom. Pontificum ita illum laudat: *Sangvis Cæsarum, visus tanta dignus origine.* Unde Mantuanus erudito carmine illum celebrat:

Hic Romanus erat, satus de primoribus urbis,
Ore, Clientelis, ac sangvine clarus, & aurô.

Quotiescunque autem in eadem re asserenda conveniunt fide, & auctoritate digni Scriptores, toties sententia ab illis promanans, pro ineluctabili comprobatur argumento, At bene multi antiquitate, & doctrinâ celebres Scriptores conveniunt in asserenda Familia Clementis, ergo certum esse debet, eum nobili prosapiâ natum fuisse. Petrus Diaconus Coævus S. Gregorio Magno, in MSS. cui titulus *Registrum S. Placidi à Petro Diacono* à Folio 64. usque ad Folium 105. quatuordecem sermones habet de S. Placido, qui longobardico charactere exarati; asservantur in archivio Casinensi, uti accepi à V. C. Domino Sebastiano Campitelli Benedictino, ejusdem archivii Custode. In uno horum asserit Petrus Diaconus S. Placidum natum ex Patre Tertullo Anicio, ex Matre Octavia, imitatum fuisse S. Clementem Octavium, Papam & S. Cornelium suos consangvineos, eundemque sermonem se legisse testatur V. C. Franciscus Zazzera, cujus verba Italica hic refero sincerè. Della nobiltà Italiana Parte 2. Pag. 88. *La gloria diquesta Familia lucidissima Otta-*

via

via primieramente apparisce conla corona del Martyrio di S. Clemente Papa Figlivolo di Faustino Ottavio della medesima Regione del monte Celio e doppo questoanche di S. Cornelio Papa Figlivolo di Castino della medesima Familia leggendo si di loro nel'archivio Cassinense, in uno de sermoni di Pietro Diacono in onor di S. Placido

Testatur idem Gaudericus Episcopus Veliternus, qui octavo sæculô floruit; Hujus Præsulis postulatis morem gerens Ioannes Diaconus, scripsit Gesta S. Clementis Papæ in tres libros divisa, ut testatur Sigebertus de Scrip. Eccl. Cap. 107. *Ioannes* inquit *Diaconus Romanæ Ecclesiæ ad Ioannem VIII. hujus nominis Papam petente Gauderico Veliternensi Episcopo; scripsit etiam gesta Clementis Papæ.* Quod ipsemet Gaudericus in Epistola ad Ioannem Papam scripta, causam hujus scriptionis allegans, dicit: *Præsertim quum ego valde inutilis, hujus eximii Martyris Christi Ecclesiæ, apud Veliternum oppidum sitæ præfuerim,* Quæ vita S. Clementis Longobardico charactere scripta, sed interpolata hucusque asservatur in Bibliotheca Casinensi. In primo igitur libro ita describit genus Clementis Ioannes Diaconus *Iuliorum Familia de qua generosa Cæsarum descendit Prosapia, vetustior creditur Urbe Romana, præsertim, quia à Troianis per Ascannium cognomento Julium Filium scilicet Æneæ Creussa generante descedens, trecentis ferme*

ferme annis sub quatuordecim Regibus, id est, usque ad Romuli Romanæ Urbis Conditoris tempora, feliciter penes Albani Civitatem regnavit Deinde 687. circiter annis labentibus inter alios viros illustres, Cæsareo cognomine jam famosos Julium Cæsarem procreavit, cujus meminit Virgilius.

Nascetur pulchra Trojanus origine Cæsar,
Imperium Oceano, famam, qui terminat astris,
Iulius a magno demissum nomen Iulo.

Hic non solum Romanæ urbis, verum etiam totius Orbis Monarchiam, contra Senatorum sententiam violentius invasit, proprio sanguine maculavit, ejusque successionem descendentem conficiens, Cajo Octavio suæ sororis Athiæ filio, qui penes Veliternum oppidum, quo hactenus quædam loca ex ipsius nomine Octaviana dicuntur, per Octaviorum nobilissimam Familiam descendebat, quique post Augustus Cæsar Cognominatus fuerat, reliquit: Hic quidem Cajus Octavius per suffragium Avunculi Cæsaris rerum potitus, Faustino Consanguineo suo, simulque nutrito, nobilis æque Familiæ Mathidiam nomine, junxit uxorem, de qua primo geminos duos filios, videlicet Faustinum, & Faustinianum non valde sibi dissimiles, deinde vero Clementem ternum Faustinus Pater accepit. Quia vero tres illæ Familiæ, Iulia, Octavia & Claudia mangnam inter se habebant affinitatem,

& uni-

& unionem, in cujus rei ſignum tres arbores Cypreſsinas, ſeu laureas ligatas, à quarum fine pendula extat anchora, pro armis geſtabant, hæcq; pro immortali ſtemmate relicta civitati Veliternenſi conſpiciuntur huc uſque, eo, quod Auguſtus Octavianus in eadē urbe natus feratur, ut in libro ſtatutorum Veliternenſium hæc leguntur carmina:

Auguſti natale ſolum, celebreſq; velitræ
Quæ dedit arma ſuis Cæsar, alumnus habet.

Hinc factum eſt, quod promiſcuè Octavios alii appellant Claudios, & Iulios, adeoq; & Clementem ex Octavia Familia genitum, alii appellant Claudium, quod compertum habeo ex Heſychio Salonitano, qui accuratè ſcripſit Clementis vitam, quæ nunc inedita extat in celeberrimo archiſterio Caſsinenſi, uti per commercium literarum notum mihi fecerat Reverendiſsimus D. Antonius Capece, Abbas Generalis Ord. S. Benedicti vir ſumma humanitate inſignis. Hæc igitur Heſychius habet de S. Clemente: *Clemens natus eſt Romæ V. Kalendas Julias, ipſâ die, quâ Tyberium Auguſtus adoptavit, ſexto alio, & C Sentio Saturnino Coſs: Paternum illi genus ex antiquiſſima Claudiæ gentis Neronum Familia, Maternum è gente Anicia fuit.* Ex quo conficitur, Octavios Flaviis quoque affines fuiſſe, nam ut ait Acherius, *Tomo 1. act. SS. Ord. S. Benedicti Pag. 47.* Tertullus de Octaviæ gentis Familia ducens

uxorem

uxorem, bonæ arboris bonos fructus ex ea suscepit, primum namq; Placidum, quarto autem loco dum puellam enixa fuisset, pro eo, quòd ex Octaviorum, & Flaviorum stirpe descendebat, Flaviam nominaverunt. Hinc in Sacro Hymno Benedictino de S. Placido dicitur.

Stirpe natus Octavia,
Cum Fratribus & Flavia.

Adeoq; hinc eruitur, S Clementem Octavium affinem quidem fuisse S, Flavio Clementi Martyri, non tamen confundi cum ipso, ut prætendit Pearsonius. Recognoscunt quoque aliæ nobilissimæ Familiæ hucusque florentes suam affinitatem, & originem cum Familia Octavia S. Clementis, præcipuè Hausburgica, & ex illa invictissima, atque Augustissimà Austriacorum Prosapiá, ut dicit Cornelius Vittigon in Genealogia Austriaca.

Clemens itaq; Faustino Patre, Matthidia Matre, speciosissima muliere, ex Augustissima Octaviæ, & Aniciæ gentis Familia quinto Kalendas Iulias, sub consulatu sexti Caji Ælii, & C. Sentii Saturnini, ipsà die adoptionis Tyberii Imperante Augusto Octaviano, Cæsare, Romæ illustri locô, in monte Cælio natus est, ubi jam à quarto sæculo ejus nomini dedicata Ecclesia, hucusque sub cura PP. Ord. Prædicatorum Provinciæ Hiberniæ, antiquitate, & titulo Præsbyteri Cardinalis insignita, extat. Credibile est Parentes, & Fra-



tres ejus Faustinum, & Faustinianum baptizatos fuisse, sed qua morte obiêrint, ignotum planè est. Certum tamen est, illum habuisse Patruum nomine Clementem, Virum Consularem, & Senatorium Apostolorũ, Discipulũ Galliæ Belgicæ Apostolũ qui una cũ Sanctis Episcopis, Fusciano, Victorino, aliisq; sociis Galliã Belgorũ Fidei Christianæ lumine illustravit, pedibûs peragrando ditiones omnes, quæ sunt ultra, citraq; Rhenũ, quẽ confundunt alii cũ Clemente nobili Romano Episcopo Metensi in Lotharingia, ut observat Oldoinus in noris ad Ciaconium. Fuit Clemens egregia, & florenti corporis formâ præditus, svavissimisq; ornatus moribus, adeo, ut cunctis admirationi æquè, ac venerationi esset, excellenti ingenio ad cuncta bona propenso donatus, omni scientiâ refertus fuit, omniumq; liberalium artium peritissimus, acceperat enim scientiam, quam plurimam ita, ut optimus quidem illius temporis Philosophus haberetur (: *a* :) Cùm autem vidisset Apostolos (: *b* :) & contulisset cum eis, & insonantem prædicationem audisset, Apostolica prædicatione imbutus (: *c* :) doctrinis cælestibûs educatus, ex Philosopho (: *d* :) factus est magnæ doctrinæ vir, & Apostolorum Discipulus, à Petro babtizatus, Christiana Religione suscepta, evasit in Doctorem Apostolicum, & quasi Apostolum, de quo ita dicit Clemens Alexandrinus

[: *a* :) S. Bernardus [: *b* :) S. Irenæus [: *c* :) S. Gregorius M. in Sacramentario (: *d* :) S. Hieronymus in cap. 3. ad Philip.

nns (:*e*:) Apoſtolus Cemens, ipſe quoque nobis quandam formam ejus, *qui* cognitione præditus, deſcribens dicit. Ordinatus à Petro Apoſtolo Diaconus, individuus ejus comes, aſsiſtens, & familiaris fuit. De Diaconis enim ſcribens S. Ignatius Martyr dicit: (:*f*:) *Miniſtrantes Epiſcopis*, ſicut CHRISTUS *Patri*, *S. Stephanus B. Iacobo*, & *Clemens Petro*. Fuit comes, & Adjutor in Evangelio Pauli Apoſtoli, cujus mentionē facit in Epiſtola ad Philippenſes Cap. 3 dicens: *adjuva illas, quæ mecū laboraverūt in Evangelio, cū Clemente, & cæteris adjutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitæ.* De Clemente autem Romano hoc dictum fuiſse, intelligunt antiqui Patres, Origenes (*g*) Euſebius, (*h*) S. Hieronymus (*i*) Epiphanius (*l*) Ruffinus, (*m*) S. Ioannes Chriſoſtomus (*n*) Primaſius, S. Remigius, S. Anſelmus, Hilduinus Honorius Auguſtodunenſis, Raulinus, Thirinus, Eſthius, Cornelius à lapide, Menochius, Calmet, quidquid, dicat Dorothæus, Oldoinus, & Grotius, non enim majorem merentur fidem quàm antiqui Scriptores Eccleſiæ. Initiatus tandem Præsbyteratûs, & Epiſcopi dignitate ſapientiâ, incredibili zelô, pietate & Virginitate excelluit, quam docuit verbo, & exemplo, illibatamq; uſque ad obitum cuſtodivit, ut teſtatur S. Ignatius Martyr in Epiſtola ad Philadel-

[:*e*:) lib 1. Strom. Pag. 289 [*f*] in Epiſtola ad Trallianos (*g*) in Cap. 1. Ioan. [*h*] lib. 3. Hiſt. Eccl. Cap 14. [*i*) in Cathalo (*l*) Hæreſi 27. [*m*] lib. 2. de adulreral: lib. orig, (*n*) in Præf. ep. 1. ad Tim.

ladelphios, dicens: *Utinam fruar vestrâ Sanctimoniâ, ut Eliæ, ut Jesu Nave, ut Melchisedech, ut Elisæi, ut Jeremiæ, ut Baptistæ Joannis, ut Clementis, qui in castitate è vita excesserunt.* S. vero Hieronymus [*o*] dicit: *Ad hos Clemens scripsit Epistolas, omnemq; penè sermonem de Virginitatis puritate contexuit.* Epiphanius: (*p*) *Ipse enim* (Clemens) *Virginitatem docet, & illi non admittunt.* Docuit Virginitatem Clemens, dum in Epistola sua 2. ad Corynthios ait: *Servate carnem castam, & sigillũ incontaminatum, ut vitam æternam recipiatis.* Hinc S. Althelmus de illo versibûs egregiis loquitur: [*q*]

Roma Sacerdotem Clementem tempore prisco
Edidit, & merito, cui dat Clementia nomen,
Quem DEUS ethrali ditavit gratia gratis,
Dum se virgineo servaret munere mundum,
Hæc genuit pignus cælestis seminè verbi,
Et baptizandi tribuit cunabula sacra.
Petrus, Apostolicæ, qui culmen præsidet ædis,
Nam Sacrum jugiter Doctorem dogma docentem
Atque superna Dei crebra præcepta ferentem
Discipulus fidis devotus passibus æquat.

CA-

[*o*] lib. 1. contra Jovinianum, Cap. 7. [*p*] contrahæreses lib. 1, Pag. 41. [*q*] Tomo 8. Bibliothecæ Patrum.

CAPUT II.

De Pontificatu S. Clementis

IMminente paſsionis ſuæ die, Petrus Apoſtolorum Princeps, & Chriſti in terris Vicarius, ordinavit Clementem, & deſignavit ſuum immediatum Succeſſorem. Hujus rei teſtimonium ſuppeditat mihi imprimis Tertulianus de præſcriptionibus *Cap*, 32. *ſicut*, inquit, *Smyrneorum Eccleſia Polycarpum à Joanne conſecratum refert, ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit.* Idem fatetur Epiphanius [r] *Clemens* inquit, *à Petro accepit impoſitionem manuum Epiſcopatus, & ea recuſata, remoratus eſt, dicit enim in una Epiſtola ſua, ſecedo ab eo, erigatur populus Dei. Poſſibile eſt autem poſtquam diſceſſiſset, ac recuſavit Clemens, rurſus coactum eſſe ad ſuſcipiendum Epiſcopatum.* Palam nobis id facit ipſemet Clemens in Epiſtola ſua prima ad Corynthios dicens: *Apoſtoli quoq; noſtri per D. N. JESUM CHRISTUM cognoverunt, futuram eſse de nomine Epiſcopatus contentionem, eam igitur ob cauſam perfectam prœcognitionem adepti, prœdictos conſtituerunt,* & poſtea ſubdit: *Quis ergo inter vos generoſus, qui misericors, qui charitatis*

[r] Lib. 1. contra Hæreſim 27, Tomo 2.

tatis plenus dicat, si propter me seditio, & contentio, & schismata, discedo, abeo quocunque volueritis. Et licet ipse ordinatus, seu designatus fuerat à Petro in successorem, tamen propter seditionem, & contentionem futuram, se sponte abdicasse indicat his verbis: *Hæc qui Divinam, cujus nunquam pœnitet, vitam vivunt, fecerunt, & facient.* Certe si ipse hoc non fecisset, non dixisset, *fecerunt*, nullus enim hoc fecisse legitur, neque se ipsum manifestare voluit propter humilitatem. nam ut ipse dicit: *Laus nostra in Deo sit, & non ex nobis ipsis, odit enim DEUS eos, qui semetipsos predicant.* Ordinatione ergo, seu designatione Clemens celebraturprimus post Petrum Pontifex Spontanea vero cessione quartus Unde post mortem Petri Sancta contentio ex humilitate nata est, ut ait Cardinalis Bellarminus (*s*) noluitq; Clemens suscipere illud onus Ut testatur *Concilium Pisanum*: Sequentes vestigia S. Clementis Papæ, immediati successoris B Petri Apostoli, qui ipsum sibi elegerat in successorem, qui pro longe minori utilitate S Ecclesiæ, quam sit ista, cessit Papatui, & ejus oneri, & honori (*t*) quia ut C. V. Natalis Alexander observat (*u*) S. Clemens Futurum prævidebat, ut si Pontifici liceret sibi designare successorem, plures in Cathedram Petri subvecti, sed Petri vestigia non secuti, revelationem carnis, & sangvinis, non

[*s*] De Rom. Pont. *l.* 2. C. 5. Pag 612. [*t*] apud Martene Tom. 7. Pag. 605 [*u*] Tomo. 1. Sæculo 1. Pag. 178.

non S. Spiritûs afflatum attenderent, ac Nepotes ad supremæ istius dignitatis promoverent fastigium, sicq; summum Ecclesiæ Sacerdotium ab ordine Melchisedech, in ordinē Aaronis decideret, non dignatio cælestis gratiæ faceret Antistitem, sed carnalis successio generaret Sacerdotem. Hæc, inquam, mala Ecclesiæ impendentia auguratus S. Clemens, Pontificatum gerere renuit post S. Petrum, nec suscepit, nisi post Cletum, à Clero proclamatus, & coactus. Facta est hæc ordinatio Clementis tam in laudem Petri, ut ait Cotelerius (*x*) qui tantum virum promovit & Clementis, qui humiliter deposuerit susceptum officium, nec non in opprobrium quorumdam seditiosorum, cum quibus contendere noluerint Sanctissimi homines. Porrò summa gloria inde emicat Clementis, quod Petrus nullum ex Apostolis adhuc tunc viventibus, nisi solum designaverat Clementem in sedis Apostolicæ Successorem. Merito igitur reiicimus Tillemontii opinionem, asserentem, quod Clemens ordinatus quidem fuerat à Petro, sed ut Episcopus Apostolicus, nulli alligatus Ecclesiæ Reiicimus & Hammondi Præsbyteri Angli & Hetorodoxi dicentis, Clementem ordinatum fuisse Episcopum tantum Iudeorum, non vero gentilium, quæ quidem sola confictione, non vero aliquo solido nitantur testimonió. Licet vero Clemens sibi prætulerit Linum, & Cletum

[*x*] In notis ad Constt. Apost. Pag. 301.

tum, tamen quidquid totò hoc interstitiò, quod à Petri morte, usque ad Clementis effluxit mersionem, in Romana Ecclesia factum est dignum memoriâ, Clementis consiliô, monitis, curâ, studiò, vel jussu factum, ipsi Clementi à Sacris Scriptoribus passim attributum est, ut observat Andreas Du Sausay, (y) Linus ergo oblatum sibi à Clemente gubernium Ecclesiæ suscepit, quam annorum duodecem spatiô rexit, quo integro tempore Clemens Episcopus ut Vicarius Apostolicus diversas urbes lustravit, in Fide confirmavit. Post dormitionem itaq; Sancti Pontificis Lini, ut acuratè scribit Hesychius Salonitanus in Mss. Cassinensi, atq; ejusdem per Martyrium Coronationem, qui primus post S. Petrum Romanam Cathedram tenuit à consulatu Italici, & Trachali, usq; ad Consulatum Domitiani octavum, & Flavii Sabini, cum Clemens ex Aquileia Romam venisset, & ab universa Ecclesia summa cum gratulatione exceptus fuisset, atque, ut Pontificatum susciperet, instanter rogaretur, rursum renuit, sed Cletum esse eligendum demonstravit. Post verò quàm Cletus suscepit Cathedram S. Petri, communicatis cum eo Clemens cunctis, quæ per sexdecem annos in Provinciis gessaret, acceptaq; ejusdem Pontificis legatione, iterum relicta urbe, profectus est, ubi in Campaniam veniens, ante omnia sacellum adiit, in villa Materna, ad uulturnum situm, & pro fusis-

[y] De mysticis Galliæ Scrip. Pag. 878.

fuſis lachrymis, recoluit memoriâ, quanta animi ſui voluptate Synaxim *in illo* cum Apoſtolo Petro non ſemel percepiſſet. Inde ſe contulit ad alia loca, quæ ſimiliter SS Petri, & Pauli hoſpitio, & ſacrificio ſacrata fuêre. Et poſtquam obambulâſſet Eccleſias, pervenit Neapolim, illic apud Epiſcopum triduum inſumpſit, à quo edoctus, quantum afflictaretur Syracuſana Eccleſia, conſcenſo navigio in Syciliam transfretavit. Cum vero ad Pentapolitanam Urbem Syracuſas acceſſiſſet, adfuit illico Philippus Epiſcopus, quem S. Petrus Martiano Succeſſorem miſerat. Fratres etiam nobiles, qui Chriſto manus dederunt plurimi, acceptum Clementem honorificè ad hoſpitium deduxerunt. Salutatis de more Clemens Fratribûs, noctem cum Philippo in Dei laudibus conſumavit. Erat Eccleſia illa tunc vehementer afflicta, & turbata per quoſdam Ebbionis Sectatores, qui ſparſis in vulgus actis, quæ ſub Apoſtolorũ nomine Ebbion confixerat, multos titubare faciebant, nonnullos verò jam in errorem induxerant, qui pertinaciter Philippo Epiſcopo reluctabantur. Cæterum omnes Clemẽtis adventus ſummoperè recreavit, præter illos, qui commentitia acta advexerant, quiq; eadem nocte, qua Clementem adveniſſe intellexerunt, clam urbem egreſsi, etiam ex Inſula profugerunt. Mane facto convenit multitudo fidelium, ut à Clemente, quem Apoſtolorum Diſcipulum, &

Cooperatorem extitisse noverant, de Christi Divinitate, veritatem cognoscere valerent. Ille morem gesśit Populo, habito sermone, cunctos in veritate Fidei confirmavit, sed præcipuè Onesimum Præsbyterum Catanensem, qui cum doctisśimus haberetur, & cum Dione Præsbytero Messanēsi apprimè in Philosophia versato, per Ebbionitas seductus fuisset, Philippo sæpius negotium facesśisset, palam increpans, Episcopo reconciliavit. Deinde omnes codices conquirendo, ad se adferri jusśit, quos in conspectu omnium magno zelò ad unum excusśit. Tumq; Philippo Cathalogum tradidit illorum, qui esśent Canonici libri, monuitq, ut omnes manerent in doctrina, quam acceperant ab Apostolis, à Martiano, à Philippo, & à se, atque si quæ cuiquam difficultas occurrisset, de qua sibi satis fieri cuperet, Cletum Romanum Pontificem adiret, & de ea consuleret. Ita compositis illius Ecclesiæ rebûs, ordinatis, quæ servanda essent contra Hæreticos, perlustratisq; aliis civitatibûs cum Bonifacio Præsbytero Tauronitano, & Hyppolitho Syracusano, Diacono, in Sardiniam navigavit. Hucusque hoc accuratisśimum, & summæ raritatis manuscriptum reperi in Bibliotheca Romanæ sapientiæ, integrum autem extat in Archivio Casśinensi, quod jurispublici se facturum brevi promiserat mihi Vir Clarisśimus Antonius Capece Abbas Casśinensis. Quod autem addit Hesychius Clementem navigasse

vigasse

vigasse in Sardiniam, conciliari potest cum illis scriptoribus, qui asserunt S. Clementem fuisse primum Calaritanū Episcopum in Sardinia, antequam post mortem Cleti electus esset Romanorum Episcopus. Dictæ aut traditioni, & consvetudini testimonium medio juramento perhibuerunt viri Ecclesiastici Caparitani, affirmantes insuper altare majus dictæ Ecclesiæ dicatum esse D. Clementi, ut ait decisio sacræ Rotæ Romanæ (z] Nam Calaritano Episcopo primatum inter Episcopos Sardiniæ adjudicavit Sacra Rota propter fidelem traditionem, quod Cathedram illam prius tenuerat S. Clemens. In cujus rei testimonium quotannis die S Clementis, Archiepiscopus Calaritanus cum Clero processionaliter incedit ad Ecclesiam S. Saturnini, ibiq; fit sũmum Sacrum, & cum solemnitate Concionis, & ritûs Cantorumq; modulatione celebratur. Ad cujus Festivitatis atque processionis celebrationem quotannis agendam quidam census, & reditus opitulatur, & cogit. Ibiq; in Basilica S. Saturnini reperitur pervetusta effigies S Clementis, Pontificali habitu prædita, ut testatur Salvator Vitalis [a)

Antequàm verò statuemus Pontificatus Clementis certum locum, oportunum duximus referre singulas aliorum opiniones, quæ in tres Classes dividuntur.

Prima opinio docet Clementem immediatè successisse

[z] Parte 2. Pag. 300. [a] in annali Sordiniæ Parte 1. Pag. 23

Petro Apoſtolo, hanc tenent Author conſtitutionum Apoſtolicarum, Ruffinus, S. Hieronymus, [b] *Clemens*, inquit, *Vir Apoſtolicus, qui poſt Petrum, Romanam rexit Eccleſiam* in Caput 53. Iſaiæ, lib. 14 *Clemens Succeſſor Apoſtoli Petri, cujus Paulus Apoſtolus meminit.* lib. 1. adverſus Iovinianum; Proclus in Tractatu Miſſæ, S. Eucherius in Epiſtola Parenetica, S. Methodius in vita S. Dioniſii, Paſchalis II. in Epiſtola ad Norigaudum Epiſcopum Auguſtodunenſem. V. Beda lib. 2. Hiſt. Cap. 4. Gvalterus Laudunenſis Epiſcopus, Epiſtola ad Petrum Abalardum. Spicilegii Tomo 2. Chronicon Epiſcoporum Metenſium. S. Ephrem Epiſcopus Cherſonenſis, *Clemens Romanus poſt Petrum fuit Præco veritatis, & ejus Romanæ ſedis Succeſſor fidelis.* At hi, aliiq; bene multi Scriptores, quibus utantur rationum momentis, videamus, Dicunt: Clemens in Epiſtola ad Corynthios prima, meminit Templi Ieroſolymitani, quaſi adhuc præſentis, dum ait *Non ubiq; Fratres offeruntur Sacrificia, jugia, votiva, vel pro peccato, ſed Hieroſolymis tantùm.* Ergo ante Veſpaſiani, & Titi tempora jam fuit Pontifex, quia in præſenti dicit: *offeruntur.* Deinde proferens Apoſtolorum exempla, appellat eos proximos Athletas: ſic enim habet: *Miſſis veteribus exemplis, veniamus ad Proximos Athletas, & ætatis noſtræ gene-*

roſa

(b) Lib. 1. Contra Jovinianum Cap. 7, & in Cap. 62, Iſaiæ

rosa exempla: sumamus. Ergo Clemens proximè succedere debuit Apostolis, si Apostolorum exempla appellat ætati suæ proxima.

Hæc tamen facili negotio reijci potest, nam si Clemens succeßisset immediatè Petro, rexisset Ecclesiam Romanam annis triginta tribûs, sed hoc est contra communem omnium scriptorum sensum, qui solos novem annos Clementi tribuunt, non amplius: Ergo immediatè succedere Petro non potuit. Hieronymus verò cùm esset junior, hanc opinionem secutus fuit, tamen senior factus, in Cathalogo virorum illustrium illum ponit quartum. De Téplo autem Hierosolymitano loquitur Clemens de præterito in præsenti, nam in lege nova non poterant vetera sacrificia offerri Proximos vero vocat Apostolos, comparativè ad exempla prolata ex veteri testamento.

Altera opinio statuit Clementem post Linum, ante Cletum, quam amplectitur Optatus Milevitanus Lib. 1. cõtra Parmenianum: *Cathedra unica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus. cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus.* S. Augustinus Epistola 165 *si enim,* inquit. *Ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus.* Pleriq; latinorum, ut ait S. Hiero-

Hieronymus, Photius codice 112. in Bibliotheca Pag. 290. Hunc Clementem alterum à Petro Urbis Romæ Episcopum fuisse quidam autumant. Titulus sepulchralis in Piscariensi Ecclesia repertus cum corpore S. Clementis: *Hic jacet S. Clemens, Petri Discipulus, & a Petro Papa secundus.* In Cathalogo Liberiano, quarto sæculô, ut credibile est, scripto, ante Cletum ponitur sic: *Clemens annis novem mensibus undecim diebus 12 fuit temporibus Galbæ & Vespasiani, à consulatu Trachali, & Italici, usq; Vespasiano VIII. & Tito.* Hic consulatus ponitur de Clemente in codice Veronensi, in Cathalogo Felicis quarti, in libro Pontificalis, vulgo Damasi, ex quo tale conficitur argumenum. Iuxta Cathalogum Liberianum Clemens Pontificatum gessit à consulatu Trachali, & Italici ad Vespasianun IX. & Titum, novem annis, atqui hic annus incipit à 68 ad annum 77. Ergo anno 100. id est tertio Traiani mori non potuit Clemens.

At neque hæc opinio subsistere potest, nam Cathalogus Liberianus teste ipso Bucherio ad marginem, usque ad Calistum vitiosus est, & confusus, pugnat enim contra Canonem Missæ longè antiquissimum, in quo Clemens post Cletum ponitur. Nec valet effugium Gvichelmi Bibliothearii ad notas Anastasii, Cletum poni ante Clementem in Canone, non ordine Pontificatûs, sed Martyrii, quod primus Martyrio coronatus fuerit. Si enim hoc verum esset e-
tiam

tiam Iacobus major Apoſtolus deberet præponi in Canone Apoſtolis Petro & Paulo, cum ipſe fuerit Prothomartyr Apoſtolorum. Cæteri verò cathalogi nullius momenti ſunt cum manifeſtos errores contineant, primo, dicunt ſediſſe Clementem annis novem, & tamen à conſulatu Italici, & Trachali numerantur anni 12. ad conſulatum Veſpaſiani nonum. 2do. Cleto dant annos 12. cum tamen juxta conſulatum ſoli ſeptem anni remaneant: 3tio. dicunt Clementem ſediſſe annis novem, & Martyrio obiiſſe Anno Trajani tertio, atqui à conſulatu Italici, & Trachali ad tertium annũ Trajani, ſunt anni 33. Ergo Clemens poſt novem annos vel mortuus eſt, vel supervixit ad tertium Trajani annum? Si mortuus eſt poſt novem annos, quomodo potuit mori anno tertio Trajani? Si ſupervixit, ergo non eſt mortuus ut Romanus Pontifex, quia Cletus Eccleſiam Romanam regendam ſuſcepit. At falſum eſt, Clementem nõ obiiſſe Romanum Pontificem, ergo falſum eſt & aſſertum. Huic difficultati obviat Henſchennius clariſsimus Bollandiſta, qui hanc ſeriem chronologicam ſequitur, dicens Clementem poſt novem annos Pontificatûs completos, Anno 77. abdicâſſe Pontificatum, & ſupervixiſſe uti Epiſcopum Apoſtolicum, nulli Eccleſiæ alligatum, ad tertium Trajani Annum; at hæc abdicatio nullo ſolido Patrum antiquorum teſtimoniô probari poteſt.

Rectè

Rectè igitur tenendum est cum Cardinali Baronio ad Annum 69. dicente: *Illi potius inhærendum Romanorum Pontificum Chronographiæ, quæ antiquorum scriptorum, & Romanæ Ecclesiæ testimonio confirmatur*: atqui tertia opinio est hujusmodi, quæ ponit tertio loco Clementem: post Linum, & Cletum: ergo est probabilior. S. Ignatius M. in Ep. ad Tharsenses ait: *Cui* (Cleto) *successit Beatitudine dignus Clemens, Petri & Pauli Auditor* Antiquissimus secundi sæculi scoiptor, S. Irenæus Lib. 3. contra Hæreses Pag 176. ait: *Post eum* (Anacletum) *tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens, qui & vidit ipsos Apopostolos, & contulit cum eis, & cum adhuc insonantem prædicationem Apostolorum, & traditionem ante oculos haberet.* Eusebius Lib. 3. Hist: Cap. 12 ex Hegesyppo antiquissimo Scriptore, post Anacletum, sive Cletum sedisse scribit Clementem. Idem scribit S Hieronymus in Cathalogo, S. Epiphanius, antiquissimus Romanæ Ecclesiæ Canon, S. Prosper in chronico, Chronicon Alexandrinum, S. Ivo Carnotensis, Photius, Cardinalis, DEUS Dedit apud Schelstratum laudatus Tomo 1 Series Romanorum Pontificum in parietinis S. Pauli Romæ. MSS. Codex Reginæ Svetiæ, Colbertinus, & alii, ut antiquus ritus Mozarabicus in Hymno, unde de illo dicitur.

Primus Papatûs Petrus est in sede locatus

Qui

Qui consederunt, Linus, Cletusq; fuerunt,
His Clemens junctus, simili fuit ordine functus,
Hinc nutat mundus, sit quartus, sitnè secundus.

At hi omnes post novennium Pontificatûs, & aliquot menses, tertio Trajani Anno Clementem passum fuisse dicunt, sic Eusebius, Hieronymus, Cathalogi omnes Felicis IV Damasi, Veronensis, Iustiniani Imperatoris, in quibus obiisse Martyr tertio Trajani scribitur Clemens: ergo ordo Pontificatûs ejus congruit cum Martyrii ejus actis, quia à Trajano submersus dicitur. Unde hanc Epocham statuo: S. Petrus Martyrium consumavit Anno 66. cui successit Linus, qui rexit Ecclesiam Annis 12. obiit Martyr Anno 78. Lino successit Cletus, sive Anacletus, rexit Ecclesiam Annis etiam 12. obiit Martyr Anno 90. successit S, Clemens, post novem Annos & aliquot menses, Martyr à Trajano factus Anno 100. tertio Imperii Trajani.

CAPUT III.

De rebus gestis S. Clementis in Pontificatu

INsigni Sanctitate, Sapientia, & incredibili zelo, & pia affectione in pauperes nituit Clemens in Regimine Romanæ Ecclesiæ, septem instituit Nota-

rios, qui Paſsiones Martyrum per Regiones ſuas conquiſitas accuratè deſcribentes, relinquerent memoriæ, traderentq; ſæculis ſuccedentibus. Horum Notariorum nomen habent Prothonotarii, quos Participantes vocant, à Sixto V. P. M. ad duodenarium numerum aucti, inſignibus privilegiis cumulati, S. Clementem Fundatorem ſuum recognoſcunt, atq; in pendenti ſigillo Diplomatis ſui Doctoralis S. Clementis effigiem exprimunt, cum his literis: *S. Clemens Collegii Prothonotariorum Participantium Fundator.* Hocq; ſigillum viſendum mihi exhibuit Clariſſimus Vir D. Clemens advocatus Romanus. Decoravit Eccleſiam piis ritibus, lege ſancivit Sacrum veſtium uſum in Miſſæ Sacrificio, Epiſcopos pedo, ſacro amictu, ſandalibus, & Chirothecis ornavit (*c*) Archiepiſcopalis pallii eſt Author, mandavit Epiſcopalem Cathedram eminentiori locô ſtare in Eccleſia, ſummos Pontifices, eorumq; Legatos domo exire ſine Cruce prohibuit, ſacrum Liturgiæ ritum, quem à S. Petro acceperat (*d*) ſcripſit Romanæ Eccleſiæ conſignavit, Author eſt principii Canonis Miſſæ Latinæ, *Te igitur Clementiſſime Pater, Dominus vobiſcum,* Frugum benedictionem inſtituit. Quendam Hæreticum Marcum negantem corporum reſurrectionem, Chriſtum non verè paſſum, sed putativè, ſi Iacobo Sirmondo inſigni Theologo

è ſoc:

[*c*] Nauclerus volum. 2. Maffeus lib. 9. Rodulphus, Proclus conſtant. Patriarcha (*d*) Bellarminus Cardinalis.

è Soc. IESU fidem adhibemus (*e*) S. Clemens Episcopus Romanus, & Christi dignissimus Martyr, fixis, & integris assertationibus confutans, & coram omni plebe in Ecclesia detegens, æterna damnatione punivit: Deum verè natum, & passum D. N. IESUM CHRISTUM, nihil ab eo in Phantasia factum commemorans. Successit interea memoria dignum, quod, ut scribit Baronius [*f*) ex codice MSS. Vaticano, Sancta Mulier Veronica, Romam veniens sub Tyberio Cæsare, Tyro detulit secum sacratissimum sudarium, in quo Divinus Vultus Salvatoris nostri impressus remansit, quo Tyberium Cæsarem difficili morbo laborantem sanasse fertur, hancq; sacram effigiem morti proxima S. Clementi cûstodiendam reliquit, à quo successoribus suis declarata in Vaticana Basilica ad hæc usque tēpora asservatur, & cum maxima populi Romani devotione quotannis aliquoties exponi solet: Vultusq; Sanctus, ac Sudarium Veronicæ nominatur. In hujus rei memoriam Altare Sancti Sudarii, seu Veronicæ fuit consecratum in Festo S. Clementis, sicut habetur in antiquo Martyrologio: *Consecratio Altaris Sacrosancti Sudarii*, Item *Altaris S. Mariæ ad Præsepe, post ipsum, IX. Kalendas decembris in Festo S. Clementis.* Illud quoque singulari nota celebrandum produnt gravissimi scriptores, quod S. Clemens

 dum

[*e*] Ioan. 1. in Prædestinato. [*f*) ad Annum 34 Bollandiani Tom. 1. Pag. 451. in Chronico Bibliothecæ Olivarensis Ferrarius in Cathalogo *SS*, Galesinius in Martyrologio, Floriarium MSS, *SS.*

dum Miſſam Romæ celebraret, ſtatim obdormire viſus eſt, & poſt tres horas ad ſeipſum reverſus, ut vìdebatur, excuſationem populo attulit, quod juſſu B. Petri, ſibi neceſſarium fuit illo temporis ſpatio, Piſanam Eccleſiam, quæ D. Petro dicata fuerat. conſecrare, in cujus rei fidē indubiam, tres guttas proprii ſangvinis Piſis in Eccleſia illa reliquit ſuper marmoreum lapidem quæ in hanc uſq; diem in ſumma veneratione habentur in Eccleſia Piſana, & quotannis Feria quinta in Cæna Domini, in Aſcenſione Domini, in Feſto SS. Apoſtolorum, Petri, & Pauli, & in die octava dicti Feſti, quo die S. Clemens dictam Eccleſiam conſecravit, dictæ guttæ ſangvinis devotè ſub umbella, & cum luminaribus addictam Eccleſiam D Petri deferuntur, commitantibus Rm̄is Capellanîs. Hæc ſcribit Iulianus Vivianus *[g]* Idem teſtatur antiquiſſimus MSS. Codex aſſervatus in Archivio Caſtri S. Angeli Romæ, cui titulus, *Pantheon*, id eſt, omnia continens, ubi parte 31. de conſecrationibus Altarium hæc habentur: B. Petrus Apoſtolus primum Altare lapideum in Italia erexit, ſtatim cū tranſfretavit circa littora Piſanorum, ubi hodie eſt Eccleſia S. Petri ad Gradus, quod Papa Clemens primus conſecravit, qui dum illud Chriſmate illiniret, tunc de ipſius Papæ naribus aliquæ guttæ ſangvinis diſtillaverunt ſu-

per

[g] De Jure patronatus lib. 3. Cap. 2. n. 99. Pag. 66;

per ipſam Altaris menſam marmoream. & ille ſangvis in eodem marmore uſque hodie ita recens apparet, ſicut, ſi nobis videntibus ibi accidiſſet, & habetur in magna veneratione. Adſtipulatur huic veritati S. Iſidorus Serm. de S. Petro dicens: *Petrus ad gradus maris Eccleſiam conſtruxit, quæ poſtea in ejus nomine à Clemente Epiſcopo eſt dedicata.* Ex quo patet, ut ait Bartholomæus de ſpina, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter Ord. Præd. (g) quòd *Angelus in Figura S. Clementis Romæ fuit pro tempore, quo Sanctus ipſe corporaliter Piſis creditur fuiſſe reductus.* Meminit hujus Altaris conſecrati per B. Clementem Innocentius Papa VI. in Bulla ad Carolum Imperatorem dicens: *B Clemens Papa, eidem Petro in Apoſtolatu ſuccedens Eccleſiam ipſam in ipſius B Petri honorem, & nomen dedicavit.* Unde dictus Innocentius VI. hujus lapidis partem cum gutta ſangvinis S. Clementis donavit Carolo Cæſari ad Eccleſiam Wyſzehradenſem in Boemia, majorem vero partem cum duabus guttis ſangvinis remanentem Piſis, ipſemet conſecravit, Indulgentias indidit, ac voluit, ne ullus ſacrificaret in illo Altari, præter Pontificem, uſum Pallii habentem, ut teſtatur *Franciſcus de Froſinis* Archiepiſcopus Piſanus in ſua Synodo, Epiſtola 1. ante hoc Sacrum Altare in Eccleſia S. Petri ad gradus, Feſto S. Clementis

(g) Quæſt. de ſtrigibus Cap. 11. Pag. 33.

mentis habetur Capella, quibus addere juvat, quod hæc S. Reliquia ſingulis annis prima Dominica Auguſti defertur extra portam Florentinam ad D. Marcum, ubi publicæ venerationi exponitur, in memoriam beneficii accepti, cum plauſtrum, ubi prædicta Sacra Reliquia poſita fuerat ante memoratum Templum S. Marci ſteterit, ac boves amplius progredi minimè potuerint [*i*] Hæ ſacræ guttæ Sangvinis licet ingenti confluentium populorum, ac oſculantium concurſu tangantur, cum ſummo tamen miraculo, integræ, & vividæ ac ſi recenter eſſent prolapſæ, apparent videntibus. Plures ordinavit Clemens Epiſcopos, quibus in varias Regiones miſſis, plura Regna lumine Fidei illuſtravit. S Dionyſium Areopagitam miſſū in Gallias à Clemente prodit S. Methodius, dicens: *eoq; tempore, cum B Dionyſius ad B. Clementis veſtigia, & pedes acceſſit, Apoſtolicaq; Sanctitati ſe inſinuavit, tum ipſe à S. Clemente honoratus, dignitatemq; ab eo, & aptiſſimum honorem reportavit*, Quod confirmant Eugenius Epiſcopus Toletanus, Fortunatus Epiſcopus Pictavienſis, Gallicana Eccleſia, in Epiſtola ad Eugenium III ut ſolidis rationibus deducit noſter Natalis Alexander. Philippum miſit in Hiſpaniam, Creſcentem Pauli Diſcipulum in Germaniam, Lugdunenſibus Photinum, Narbonenſibus Paulum; Turonenſibus Gratianum, Cenomanis Iulianum deſtinaſſe

ſcribit

[*i*] Martinius in Theatro Eccleſiæ Piſanæ Pag. 98.

ſcribit Ivo Carnotenſis in Chronico MSS. Eugenium primum Toletanum Epoſcopum, Fulgentium Virum Sanctũ Atinenſi Eccleſiæ à Clemente conſecratum, & miſſum refert Oldoinus in notis ad Ciaconium S. Sanctinum primũ Meldenſibus Paſtorem, qui fuit ex numero ſeptuaginta duorum Chriſti Diſcipulorum, in Cæna Domini deputatus à Chriſto, ut aquam lavandis pedibus diſcipulorum pararet, & linteum præberet Salvatori à Clemente datum narrat Chronicon Wirdunenſe in nova Bibliotheca Labbæi Pag. 78. Urſinum quoque in Aquitaniæ Provinciam direxit Clemens, ut ibidem ſcribitur Pag 6. S. Flaviam, Domitillam Plautillæ Filiam S. Flavii Clementis Viri conſularis & Martyris Neptem ab Apoſtolo Petro Chriſtianis Sacris initiatam, nobiliſſimam Virginem ſacro perpetuæ Virginitatis ſervandæ velamine conſecravit. ut ſcribit Paulus Æmilius in ejus vita. Multi denique Nervæ Imperatoris Familiares, & nobiles Viri, inter quos Siſinius, & Theodora uxor ejus, Clementis doctrinâ, & miraculis ad ſacrum lavacrum acceſſerunt. Hæc dum ageret pro Eccleſia Sanctiſſimus Pontifex, accepit literas ab Eccleſia Corynthiorum, quibus ſignificatum ei fuit diriſſimum ſchiſma exortum inter Corynthios; ſed propter Calamitates, & adverſos caſus, qui tunc ipſi acciderunt Romæ, propter propagandam Fidem, tardius Corynthiis reſcripſit. Has Epi-

ſtolas

ſtolas tota antiquitatē celebratas, Apoſtolico ſpiritu plenas, veras, & genuinas Græco quidem ſermone à Clemente ſcriptas nomine Romanæ Eccleſiæ, latinitate donatas, à variis viris eruditis, pro communi utilitate Vindicandas ſuſcipimus.

CAPUT IV.

De duabus Epiſtolis S. Clementis.

CYrillus Lucaris Alexandrinus, deinde Conſtantinopolitanus Patriarcha, Schiſmaticus, ad Carolum primum Anglorum Regem pergrandem Codicē antiquiſſimum miſit, manu Theclæ nobilis Virginis Ægyptiæ circa tempora Nicenæ Synodi exaratum, in quo veteris, & novi teſtamenti libris, duæ Epiſtolæ S. Clementis Græco ſermone ſcriptæ additæ, repertæ ſunt.

Anno igitur 1633. Patritius Iunius primus ex illo manuſcripto Alexandrino duas Epiſtolas S. Clementis edidit, atque ex Græco latinitate donavit. Oxonii.

Anno 1647, Bartonius, & Godefridus Vendelinus cum Ioanne Fell Oxonienſi idem opus aggreſſi ſunt.

Anno 1664 eaſdem cum inſigni præfatione Ioachimus, & Ioannes Maderus recudi curārunt.

Annô 1672. Ioannes Baptiſta, Cotellerius Socius Sor-

bonicus

ſorbonicus inter opera SS. Patrum, qui primo Eccleſiæ ſæculô floruerunt, notis illuſtravit, facemq; aliis scriptis ſub nomine S. Clementis falſo circumlatis, & lucem prætulit.

Anno 1694 Paulus Colomeſius eandem operam navavit ſuis obſervationibus in eandem datis, clarus

Anno 1721. Petrus Couſtant, Ord. S Benedicti, Congreg: S. Mauri, eo libro egregio, quo veras Rom. Pont: Epiſtolas à S. Clemente I. uſque ad Innocentium, notis marginalibus auctas, publici juris fecit.

Anno denique 1724. Ioannes Clericus inter opera Patrum Apoſtolicorum, has duas Epiſtolas collectis ſimul omnium Eruditorum judiciis, ac præfationibus aliorum integris præmiſſis, ſingulorum notis illuſtravit.

Tempus ſcriptionis harum Epiſtolarum, de tempore, quo has Epiſtolas ſcriptas à S. Clemente dicamus, non conveniunt inter ſe viri eruditi, cum niſi ex conjecturis inferri poſſit. Unde in quatuor opiniones diviſi ſunt ſcriptores.

1ma Opinio eſt Ioannis Erneſtii, Grabii contendentis eam ſcriptam fuiſſe deſinente Neronis perſecutione, proximè poſt Petri, & Pauli Paſſionem, hoc eſt circa annum 68.

2da Godefridi Vendelini, qui eam ſcriptam aſſerit fervente Domitiani perſecutione, circa Annum Chriſti 95.

3tia Cotellerii, & Tillemontii, asserentium eam scriptam fuisse desinente Domitiani persecutione circa Annum 97.

4ta Denique Claudii Fleury, qui Tomo 1. Hist. Eccl. Pag. 248. circa tempus, quod excidium Hierosolymitanum antecessit, & mortem Neronis secutum est, nempe ante annum 70. Ex his tamen veri similior est opinio tertia.

Certum igitur, perspectumq; cunctis est, primam, & secundam S. Clementis ad Coryntbios Epistolam, esse verum, & indubitatum, & genuinum ejusdem opus. Unanimis est hac de re SS. Patrum antiquorum sententia. *S. Irenæus* Polycarpi auditor lib. 3. contra Hæreses. Cap. 3. Pag. 176. innuit: *Hujus Clementis temporibus, cum gravissima dissensio Corynthi exorta esset inter Fratres, Ecclesia Romana luculentissimam Epistolam Corynthiis scripsit, quâ eos ad Pacem, & concordiam revocaret.* Hegesippus antiquissimus Scriptor apud Eusebium lib. 4. Hist. Cap. 22. *meminit* inquit: *Dionysius Corynthius Clementis Epistolæ ad Corynthios scriptæ, quam ex prisca consuetudine in Ecclesia legi solitam esse, testatur his verbis: Hodie sacrum diem Dominicum transegimus, in quo Epistolam vestram legimus* (id est Soteris Papæ) *quam quidem perpetuo deinceps legentes perinde ac priorem illam nobis à Clemente scriptam, optimis præceptis, ac documentis abun-*

bundabimus. S. Clemens Alexandrinus lib. 4. ſtromatum dicit: *Et vero in Epiſtola ad Corynthios Apoſtolus Clemens:* & lib. 5. Strom: ait: *Quin etiam in Romanorum Epiſtola ad Copynthios ſcriptum.* Euſebius lib. 3. Hiſt. Cap. 12. ait: Hujus *Clementis una fertur eſſe Epiſtola, omnium judicio approbata, illuſtris illa quidem, & digna plane admiratione, quam tanquam ex Romanæ Eccleſiæ persona ad Corynthiorum Eccleſiam, tunc quidem exaravit.* & lib 5. Hiſt: Cap 6. ait: *tertio loco Epiſcopatum ſuſcepit Clemens, hic autem cum Beatis Apoſtolis fuit, cum ipſis vitam ſemper exegit, atque ab ipſis inſtitutus, & prædicationis eorum formam ſemper habebat in oculis. Sub hoc ergo Clemente ſeditio non modica exorta eſt apud Corynthios inter Fratres, ita ut ex Perſona Romanæ Eccleſiæ ſcriberet ipſe Clemẽs ad Corinthios Epiſtolã neceſſariã* & Lib 3. Cap. 19. ait: *Hujus Clementis Epiſtola habetur ad Corynthios ſcripta, præcipua plane, & valde mirabilis Quam Epiſtolam in pluribus Eccleſiis publicè legi, & veterum, & noſtris etiam temporibus conſtat* S. Hieronymus lib. de viris illuſtribus ait: *Clemens ſcripſit ex Perſona Romanæ Eccleſiæ ad Eccleſiam Corynthiorum valde utilem Epiſtolam.* Idem teſtantur Iuſtinus Martyr *Quæſt Cap: 74.* Origenes *lib. 2. de Principiis Cap. 3. & in Cap. 1 Ioan.* S. Epiphanius *Hæreſi 27. & 30.* Photius *codice 113. & 126.* Damaſus Pa-

pa. Possevinus, Sixtus Senensis, & omnes ferè tam Catholici, quàm Acatholici Scriptores pro genuino fetu illam agnoscunt. Ex quibus talis formatur ratio: illa Epistola est vera, quæ ab omnibus est recepta, sed Epistola hæc S. Clementis est accepta ab omnibus Patribus, nam habetur ut potentissima litera, omnium judiciô approbata, illustris, & admiratione digna, valde utilis, publicè in Ecclesia legi solita, mirabilis, & necessaria: ergo est vera S. Clementis litera, quæ post Canonicas scripturas, inter venerandæ antiquitatis monumenta principem locum tenet: Non est autem mirandum quod nomine Romanæ Ecclesiæ scripserat Clemens, tum quia is erat mos Apostolicus, nihil sine consilio Ecclesiæ agere, quem morem fuisse in primitiva Ecclesia testatur S. Cyprianus Ep. 5. *solus rescribere non potui, quando à primordio Episcopatus mei statuerim, nihil sine consilio vestro, & consensu plebis mea privatim sententiâ agere.* Tum quia totius Ecclesiæ Catholicæ votum erat, pacatam cernere Corythiorum Ecclesiam, ingensq; futurum erat Corynthiis incentivum, ipsa Romanorum simul scribentium concordia. Tum, quia recta ratio postulabat, quod sicut prius Corynthii ad totam Romanam Ecclesiam, cui tunc præerat Clemens, scripserant etiam Clemens Romanorum nomine illis rescriberet.

Ar-

Argumentum imum.

Hæc Epiſtola ſcripta eſt circa Annum 68. proximè poſt Martyrium, Petri & Pauli Apoſtolorum, ſed tunc nondum erat Romanus Pontifex Clemens, quia Linus primus ſucceſſit Petro- ergo ſcripta eſt à Romana Eccleſia, non à Clemente P. m. In ea Epiſtola Clemens mentiônem facit de Templo Hieroſolymitano, ut præſente, ſic enim narrát de illo· *Non ubique Fratres offeruntur ſacrificia, jugia, vel votiva, vel pro peccato, & delicto, ſed Hieroſolymis tantum.* Ergo eo tempore ſcripta eſt, quo adhuc Hieroſolymisofferebantur ſacrificia, ſed everſio Hieroſolymæ, & Templi incidit in Annum 70. ergo ante Domini Annum 70. ſcripta eſt, quo nondum erat Pontifex Clemens.

℞ Et ibi ſumit oblationem ut rem præteritam, enuntiatam in præſenti C. M. ut tunc adhuc præſentem, n, m. Hoc enim ut obſervat C. V. Cladius Fleury in exponendis comparationibus uſuvenit, ut res præteritæ, perinde ac ſi præſentes adeſſent, ob oculos ponantur: Hortatur Clemens Corynthios, ut omnia Divina munia ſuis temporibus agant, atq; in proprio ſtatu, & ordine ſive ſacro. ſive laico degant: unuſquiſque, inquit: *Veſtrum Fratres in proprio ordine, ac ſtatu, gratias agat DEO.* Et in hujus rei exem-

xemplum proponit eis, legem datam Iudæis, inter quos summus Sacerdos suum munus obibat, Sacerdotes, Levitæ, & Laici distinctum habebant locum. *Summo quippe Sacerdoti*, ait; *sua munia tributa sunt, & Sacerdotibus locus proprius præstitutus erat, Levitis quoq; sua ministeria incumbunt, homo laicus præceptis laicis constringitur.* atq; adeo non in omni loco, sed in Templo ante altare tenebatur summus Sacerdos, & cæteri Ministri offerre sacrificia, subjungit enim: *atq; illic non in omni loco sit oblatio, sed ante Templum ad Altare, postquam à summo Sacerdote, & prædictis Ministris inspecta, & approbata esset:* Ita pariter Corynthios adstringit, ut sacrificium in loco sacro, atq; debito tempore celebrent. *Qui ergo* ait, *assignatis temporibus oblationes suas faciunt, accepti, & Beati sunt.* Legem igitur olim datam Iudæis, quasi præsentem proponebat Corynthiis

Instant *3tio* Oblationem Templi Hierosolymitani, non ut præteritam, sed ut præsentem proponit Clemens P. a. Hierosolyma eversa est, Annò 70. sed hæc Epistola scripta est proximè post Annum 66 ergo Clemens scribit de Templo nondum everso. p n. narrat ibi Clemens Martyrium Petri, & Pauli, ut proximum. sic enim habet: *veniamus ad proximos Athletas, & ætatis nostræ generosa exempla sumamus*: sed Apostoli passi sunt Anno 66 ergo &c.

℞ D M. Dicit Martyrium Apoſtolorum proximum comparatum ad exempla veteris teſtamenti. C. M. comparatum ad tempus, quo ſcripſit Epiſtolam n. m præmiſſis enim exemplis Abelis, Moyſis, Aaronis, Davidis, & aliorũ veteris teſtamenti virorum, qui propter æmulationem, & diſſenſionem paſſi fuerunt, profert novæ legis recentiora exempla, *ſed ut vetera exempla*, inquit, *relinquamus, veniamus ad nuperos Athletas, ſumamus ætatis noſtræ generoſa exempla:* non dicit: *ſumamus dierum noſtrorum, ſed ætatis noſtræ exempla*, quia cum eſſet coævus Apoſtolis Clemens, ſua ætate perſecutionem paſſos fuiſſe uſque ad mortem Apoſtolos, propter invidiam, indicat his verbis Clemens atq; adeo proximum Apoſtolorum Martyrium ſuæ ætati, ut comparatum viris antiquortm ſæculorum deſcribit Sanctus Pontifex. Longum tamen tempus fluxiſſe à morte Petri, ad hujus Epiſtolæ ſcriptionem, colligimus ex ſtylo ejuſdem Clementis, imprimis namque Corynthiorum Eccleſiam vocat *antiquam*, ſed non poſſet vocari *antiqua*. niſi Clemens longo ſpatio poſt Apoſtolos, qui ipſam fundârunt ſcriberet. Deinde dicit Paulum ſcripſiſſe Corynthiis Epiſtolas *in principio Evangelii*, at Paulus 14. duntaxat Annis prius ſcripſerat, quam everſa fuerat Hieroſolyma, ergo remotiora tempora indicat. Porro principium Evangelii denotat initium novi teſtamenti, & Apo-

ſtoli-

ſtolicæ prædicationis, quare declarat S. Hieronymus, qui Lib. 2. contra Iovinianum Cap. 11. de Anna ait: *In Foribus Evangelii, Anna filia Phanuelis univira inducitur.* Et Tertulianus de Iejunio Cap. 8. ait *In limine Evangelii*, unde fores, & limina Evangelii dicuntur tempora præcedentia mox ſecuturum Evangelium. Si ergo Paulus in principio Evangelii direxit Corynthiis Epiſtolas, ſignum eſt Corynthiorum Eccleſiam eſſe Apoſtolicam, tum, quia Authorem ſuum habuit Apoſtolum, tum quia Apoſtolicas literas meruit accipere. *Erant enim illæ Eccleſiæ ex numero Apoſtolicarum*, ut inquit Tertulianus de Virginibus velandis Cap. 2. quæ ab Apoſtolis ſunt conditæ, quæ aliquem ex Apoſtolis Authorem ſuum protulerunt, quæq; Apoſtolicas Epiſtolas accipere meruerunt. Deniq; Clemens meminit aliquorum Præsbyterorum, *qui vel ab Apoſtolis, vel ab eorum ſucceſſoribus conſtituti, longo tempore præclarum ab omnibus teſtimonium reportârunt*, longum ergo tempus interceſſit inter mortem Apoſtolorum, & ſcriptionem ejus Epiſtolæ.

Inſt. 2 Illa Epiſtola ſcripta eſt ab Eccleſia Romana quando Clemens in exilium miſſus fuerat, ergo non eſt illi adſcribenda. p. a. 1*mo*: Quia nullam facit mentionem Romæ. 2*do*. Explicat calamitates ſuas, & caſus adverſos, quos forte patiebatur in Cherſoneſo. 3*tio*. Dicit Paulum

paſ-

passum esse in occidentis finibus, ergo tunc ipse erat in septemtrione.

℞ Satis claram mentionem facit Romæ Clemens, quia Epistolam suam nomine Romanæ Ecclesiæ inscripsit, calamitates autem, quæ sibi, & Ecclesiæ tunc acciderant, enarrat, dicens: *propter calamitates, quæ nobis acciderunt.* Scribens autem Corynthiis sitis in Oriente, rectè dicit Paulum passum fuisse in Occidente, cujus terminus Roma vocari potest, quia Paulus Romæ terminavit vitam, tum, quia Roma respectivè ad Hispaniam, Galliam, & alia remotiora Regna, potest dici terminus, non ultimus, sed primum extremum, scilicet confinia Occidentis relati ad Orientem, tum deniq; terminus quandoque sumitur pro centro, & sic Roma fuit centrũ aliorum Regnorum, nobilius in Occidente.

Inst: 3. In fine Epistolæ nominantur quinque Legati, missi cum Epistolis ad Corynthios: *missos autem à nobis, Claudium, Ephebum, & Valerium, Vitonem cum Fortunato, in pace cum gaudio ad nos brevi remittite.* Sed horum nulla mentio est in antiquis Scriptoribus: Nam Vitonem, Plinius l. 6. Cap. 17. Vetonem memorat longè ante Clementem. Fortunatus autem tulit Epistolam Corynthiorum ad Paulum, porrò cum pervenisset Romam, jam Paulus obiêrat: ergo S. Clemens vice Pauli rescripserat

Corynthiis, vel jam tunc erat Pontifex Romanus, ut vult Dodvvellus, vel non erat, si erat Pontifex, ergo ultimis Neronis annis scripsit, si non erat, ergo Ecclesia Romana rescripsit, non verò Clemens.

℟ Ignotum nobis est, quisnam fueit Lator Epistolæ Corynthiorum ad Clementem, an ille Fortunatus, cujus meminit Paulus 1 Cor. 19. nostis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici, quoniam sunt primitiæ Achaiæ, qui iteratam Epistolam Paulo deferre non potuit, cum Paulus jam pridem obierat. neque Epistola Corynthiorum inscripta fuit Paulo, sed Clementi, & Romanæ Ecclesiæ, an alter Fortunatus ejusdem nominis, Fortunatus enim legitur apud Iosephum *lib 18. antiq: Cap. 9* alius Fortunatus inter 72. Discipulos Christi ponitur in Chronico Alexandrino *Pag. 506*. Valerium verò Discipulum B. Petri Episcopū Trevirensem memorant Martyrologia ad diem *29. Ianuarii*. Aliorum verò nomina veneranda sunt, quorum acta nobis sunt incognita.

Argumentum 2dum.

EPistola Clementis inter scripturas repudiatas numeratur. Ergo non est vindicanda S. Clementi p. a. *1mo*, Eusebius reprehendit Clementem Alexandrinum, quod utatur scripturis repudiatis, ita enim ait: *in iisdem libris affert te-*

sti-

ſtimonia scripturarum, quæ à nonnullis repudiantur nempe ex Clementis, ac Barnabæ, Iudæq; Epiſtolis. 2*do.* Author Stichometriæ inter Apocrypha novi teſtamenti, ponit: Clementis verſus 2600. *Eo. &c:*

℞ D. Numerantur inter ſcripturas repudiatas, quia non erant Canonicæ C. quia non erant Eccleſiaſticæ, N. In tanto enim pretio habitæ fuerunt à pleriſque Clementis Epiſtolæ, quod illas in Canone ſacrarum ſcripturarum reponebant. Unde in Canone 84. Apoſtolorum ponuntur poſt libros Canonicos, *Clementis Epiſtolæ duæ.* Quem Canonē admiſit S Damaſcenus, & ideo reprehenditur ab Euſebio S. Clemens Alexandrinus, quod æquè utatur Clementis Romani Epiſtolâ, ac ſcripturis Canonicis. In Stichometria autem numerantur Epiſtolæ Clementis inter Apocripha novi teſtamenti, prout Apocryphum opponitur Libris Canonicis, non ptout opponitur Libris Eccleſiaſtìcis, Quod oſtendit S. Hieronymus *Epiſt:* 106. Hic prologus ſcripturarum, quaſi galeatum principium omnibus Libris, quos de Hæbreo vertimus in Latinum, convenire poteſt, ut ſcire valeamus, quidquid extra hoc eſt, inter Apocrypha eſſe ponendum. Ubi Hieronymus Apocryphum dicit oppoſitum Libris Canonicis, non verò Eccleſiaſticis.

Inſt: 1. Illa Epiſtola eſt Apocrypha, quia opponitur Libris Eccleſiaſticis p. a. In illa Epiſtola dicitur: *Oceanus*

 homi-

hominibus impermeabilis, *& qui post ipsum sunt mundi, ejusdem Domini dispositionibus gubernantur*. Deinde Phænicem Avem describit Clemens, ut rem certam, sed tam pluralitas mundorum, quàm Phænix, Fabulam præferunt: ergo &c: p. n. Photius Criticorum Parens codice 126. hæc ita reprehendit: Reprehendat vero hoc in illis quispiam, quod extra Oceanum mundos aliquos collocet, deinde forte & illud, quod Phænicem avem unicam, tanquam pro verissimo adhibet argumento.

℞. Non solius Clementis, verum & aliorum hæc fuit opinio, quod Oceanus sit intransmeabilis, tum propter ingentem copiam monstrorum, tum propter marini æstûs violentiam, Oceanus autem hic intelligitur mare Britannicum, quod, ut scribit Plinius lib 1. *Cap. 97.* octingentis cubitis supra Britanniam intumescebat. Unde Hegesippus de excidio Hierosolymitano scribens, ait: *Plus est transire ad Britannos, quàm triumphâsse de Britannis.* Et in hac opinione erat S. Irenæus *lib. 2. Cap 47.* S. Hieronymus *in Cap. 4. ad Ephes:* S. August: *Lib. 16. de Civ: Dei Cap. 9.* S. Hilarius *in Psal. 68.* & nulli concessum fuit, usque ad quartum sæculum transmeare Oceanum. Hinc per plures mundos, vel illa Regna Britanniæ, & Hiberniæ intelliguntur, quibûs inventis Cæsar, alium se Orbem putabat invenisse. juxta illud Virgilii:

Et penitus toto diversos Orbe Britannos.

Vel intelliguntur *illæ* partes mundi, quæ, *parvi mundi appellantur.* Et ita locutũ fuisse Clementem testatur Origenes *Lib. 2. Cap, 3.* Meminit, inquit, sanè Clemens Apostolorum Discipulus etiam eorum, quos Græci Antictonas nominant quo putetur omnis quidem universitas, unus, & perfectus mundus, generaliter dici, intra quem, vel à quo cæteri, si qui illi sunt, putandi sunt, contineri. Si vero Clemens reprehendendus est propter Phænicem, etiam reprehendi debet Iob, qui illius meminit. *Cap. 29. v. 18.* dicens: *expirabo in nido mea, & sicut Phænix multiplicabo dies meos.* Reprehendi deberet S. Hieronymus, & Tertulianus, qui *Lib. de Resurr: Carnis Cap. 12.* Resurrectionem Corporum exemplo phænicis ostendit. Phænix enim primis Christianis fuit resurrectionis symbolum, ut colligimus ex actis MSS. Vaticanis, quia S. Cæcilia V. & M. in Sarcophago S. Maximi Martyris jussit sculpi Phænicem, ad innuendam fidem Resurrectionis. Unde quia S. Clemens totus est in ostendenda Resurrectione corporum, ideo optimè adstruit Phænicis similitudinem.

Inst: 2. Si Clemens scripsisset hanc Epistolam, Christũ Deum appellâsset, sed non adhibet Deo convenientes voces *Eo &c:* P.N. Photius arguit Clementẽ, quod nec illas quidem Deo convenientes, & sublimiores de eo voces pronuntiat

ciat, tametsinec aperte ipsum ullibi in his blasphemet *Eo. &c:*

℞ Immerito arguit Photius Clementem, non ne hæc sunt Clementis verba de Divinitate Christi: *Dei viatico,* inquit, *contenti eratis, dilatati eratis in visceribus, & passiones illius præ oculis vestris erant.* Ecce passiones Christi, appellat passiones Dei, non ne hæ sunt Dei naturam exprimentes voces? & Cap 16. ait: *Manifestum facientes quod per Sangvinem Domini futura esset Redemptio universis Credentibus, & sperantibus in Deum.* Sed purus homo suo sangvine mundum redimere non potuit, ergo si Christum appellat Redemptorem, certè Deo convenientes voces adhibet.

Inst. 3. Clemens scribit Christum assumpsisse veram carnem. ita enim habet: *Christus D. N. ex voluntate Dei Sangvinem suum pro nobis tradidit, & carnem pro carne nostra, & animam pro animabus nostris:* ergo scribit contra Valentinianum, qui hoc dogma negabat, sed Clemens contra Valentinianum scribere non potuit, quo longè antiquior fuit; ergo non est Clementis, sed alterius Coævi Valentiniano Patris hæc Epistola.

℞ Scribit contra Valentiniani Personam n. contra Valentiniani errorem c. sicut enim Paulus, & alii Apostoli præcesserunt modernos Hæreticos, & tamen suis Epistolis pugnant contra illorum errores, ita & Clemens pugnat

contra

contra errorem Valentiniani, & aliorum Hæreticorum. Sic S. Hieronymus *Lib.* 1. contra Iovinianum *Cap.* 3. propugnans Virginitatem, obiicit Ioviniano Clementem, dicens: *ad hos & Clemens successor Apostoli Petri scribit Epistolas, omnemq; penè sermonem suum de Virginitatis puritate contexuit*: sed Clemens contra Iovinianum nunquam scripsit, ergo scripsit contra errores Ioviniani. Sic S. Ignatius M. in Epistola ad Smyrnenses, pugnat contra Theobulum, qui tamen non vidit Ignatii tempora. Clemens ergo Doctrina relicta Ecclesiæ, est instar gladii, quo omnes errores profliguntur.

Instant: 4. Blondellus, Clemens duos tantum admittit Ordines Episcoporum, & Diaconorum, nulla facta mentione Præsbyterorum sed hæc sunt contra doctrinam Romanæ Ecclesiæ: ergo non sapit doctrinam Apostolicam.

℞ Episcopos tantum & Diaconos nominat juxtà locum Isaiæ, quem ibi refert, in aliis vero locis, sæpius meminit Præsbyterorum, sic enim dicit: *Beati Præsbyteri, qui viam prius emensi, fructuosam, ac perfectam consecuti sunt dissolutionem.* Deinde dicit aliquos Præsbyteros ab Apostolorum successoribus constitutos fuisse.

Inst: 5. Paulus ibi dicitur passus sub Principibus, sed tunc nullus erat Princeps, nisi Nero Imperator; ergo falsa profert.

℞ Nomine Principum intelligi Præfectos urbis, vel consules: mos enim invaluit, ut pluraliter nominetur una Persona Imperatoris, ut patet ex pluribus actis M M apud Ruinartium. Salmasius vero & Pearsonius dicit, sub Præfectis passum intelligi Paulum, quales erant ultimo Neronis annô, duo Præfecti, Prætorio Præfectus Tigellinus, & Sabinus, & cum summa potestate Nelius.

Inst: 6. Plura ibi adducit Clemens, quæ a veritate abhorrent, *1mo.* Fabulam filiarum Danais, & Dircæ assumit pro veritate, quem secutus Clemens Alexandrinus, encomium dicavit iisdem, dictum Danaides. *2do* Dicit superstitem esse statuam salis, inquam conversa fuerat uxor Loth. *3tio.* Loquens de electione Aaronis, aliqua narrat, quæ nullibi in S. Scripturis leguntur, uti de duodecim virgis, quibus erant nomina 12. Tribuum inscripta. &c:

℞ Illas mulieres non sapere fabulam, quia licet nobis sunt ignotæ, Christianas tamen fuisse, & pro fide suplicia sustinuisse testimonio Clementis comprobatur, qui de illis ita ait: *Propter æmulationem vexatæ mulieres Danaides, & Dirce, cum gravia, & nefanda supplicia sustinuissent, inconstanti fidei cursu pervenerunt, & corpore debiles, nobile præmium acceperunt.* An vero Clemens Alexandrinus eiisdem mulieribus encomium suum dicaverat, an aliis, exploratum non habemus. De statua autem salis uxoris Loth,

scribit

ſcribit quoque & S. Irenæus Lib. 4 contra Hæreſes Cap. 51 *Loth reliquit uxorem in confinio. ſtatuam ſalis uſque in hodiernum diem.* Imo Ioſephus aſſerit eam ſtatuam ſe vidiſſe. Hinc Tertulianus in carmine dicit:

In fragilem mutata ſalem, ſtetit ipſa ſepulchrum,
Ipſaq; imago ſibi formam ſine corpore ſervans,
Durat adhuc

Si ergo in hac narratione erravit Clemens, erraverunt Irenæus, Ioſephus, & Tertulianus, quod abſit. Cùm veró aliqua narret quæ in ſacris literis non habeantur, illas tamen circumſtantias adjecit ex traditione Hæbræorum. De duodecim autem Virgis teſtatur Philo *Lib. 3.* de vita Moyſis S. Auguſtinus *ſerm. 3 de tempore*, & alii Patres. In rebus enim geſtis narrandis licet adhibere aliquas circumſtantias, quanquam non reperiantur in SS Quo jure etiam uſi ſunt S. Stephanus act. 7. & Paulus 2. *ad Tim Cap 3.*

Inſt. 7. Clemens docet occiſionem ſui ipſius, ſed occiſio ſui non eſt licita, ergo ea docet, quæ Viro Apoſtolico ſunt indigna. P. M. *Multi*, inquit *Reges, & Principes peſtifero tempore ſæviente, cum oraculo admoniti eſſent, ſe ipſos morti tradiderunt, ut cives ſuos ſangvine liberarent. Eo. &c.*

℞ Non approbat Clemens iſta exempla, ut ſequenda, ſed proponit ſolum, & refert, ut pacem doceat Corynthios

thios, nam dicit: *Gentium exempla proferamus*, non tamen dicit: *approbamus*, *vel sequamur*. Profert autem illa ad verecundiam sediriosorum, qui propter publicam pacem nec ullum verbum offensivum sustinere patiuntur. Et ita intellegi Clementem testatur Origenes *in Ioan: 1.* dicens: *Et hæc ita evenisse admittit* non sine causa, historiis credens, Clemens ille fidelis.

Inst. 8. refert Clemens aliquos sacræ scripturæ Textus, qui nunquam extant in Bibliis. Clemens Alexandrinus aliqua fragmenta prolixiora profert, quæ contractiora repe-riuntur in Epistola. S. Basilius *Lib. de Spiritu S. Cap. 29.* quoddam testimonium ut antiquioris Clementis de SSSma Trinitate laudat, quod minimè reperitur in Epistola.

℞ Aliquos Textus SS. Clemens ita simul jungit, ut ex duabus junctis, unus solum videatur, uterq; tamen, qui ad substantiam rei reperitur in sacris Bibliis, licèt non quo ad literam. Et pari modo Clemens Alexandrinus verba Clementis Romani ampliat, quo ille verba sacra. S. Basilius vero fortè ea verba ex illo Epistolæ loco desumpsit, qui in avulsis foliis desideratur.

Inst: 9. Allata testimonia veterum Patrum, solum evincunt vera esse illa fragmenta, quæ modo citantur, non tamen probant totam Epistolam eandem esse, quam modo habemus, ac illam, quam scripsit Clemens. Nam vati-

cinia

cinia Sybillarum, laudantur à Patribus, & tamen illa Collectio Sybillarum quam modo habemus, non eſt genuinum opus Sybillarum. Deinde illa fragmenta, prolata per Particulam: *Dixit Clemens:* non ſunt vera, proterant enim Patres memoriâ retinere, quod Clemēs olim docendo dicebat: ℞ Eandē eſſe *E*piſtolam utramque Clementis, quæ nunc juriſpublici facta eſt, ac illa, quam legerunt antiqui Patres. Hanc enim quæſtionem de iiſdem Epiſtolis propoſitam ab Illuſtriſſimo Viro Hieronymo Bignonio advocato Regio Supremi Senatûs Pariſienſis ita declaravit, C.V. *Hugo Grotius* in *E*piſtola *154.* ad Gallos: Quod unum potui, Epiſtolam illam legi, relegiq; aliquoties, & omnibus quantum eſt virium mearum expenſis, aliter exiſtimare non potui, quin hæc ſit eadem, quam legit Photius quia non tantum loca, quæ à Patribus citantur, hic videntur, ſed & res ipſæ, quas obſervat Photius, & quod maximum Character Hieronymo dictus, ad illum, qui eſt in Epiſtola ad Hæbreos, accedere. Quod in veteris teſtamenti locis, puriſſimam, & adhuc non interpolatam ſequitur 70. Seniorum verſionem. Hæc Vir eruditiſſimus. Unde juxta Regulas Critices, illa ſcriptura habet identitatem cum Autographo, quæ ſervat conformitatem Characteris, ſeu modum ſcribendi, ſed Epiſtola Clementis habet conformitatem ſtyli cum fragmentis, ergo illa Epiſtola eſt eadem,

quam legerunt antiqui Patres P. N. Modus ſcribendi Clementis, ut obſervat Photius, ad Eccleſiaſticam, & inelaboratam dicendi formam inclinat, & ut dicit *Patritius* Iunius, ſtylus Authoris & ſcribendi genus primævam ſimplicitatem ſapit, & tenera adhuc naſcentis Eccleſiæ incunabula, ſed idem ſtylus obſervatur in fragmentis, ac in ipſa Epiſtola nunc reperta: ergo eadem eſt Epiſtola, quam antiqui legerunt, Nam S. Hieronymus, & Euſebius ideo probant Epiſtolam ſub nomine Pauli ad Hæbreos ſcriptam fuiſſe, quo ad ordinem ſermonis à Clemente, quia convenit Characteri Epiſtolæ ejûs ſcriptæ ad Corynthios, eundemq; ſervat dictionis Characterem, ut confirmat S. Thomas Angelicus Doctor: *Vnde dicebant ipſam eſſe Clementis Papæ Ipſe enim ſcripſit Athenienſibus, quaſi per omnia ſecundum ſtylum iſtum, in Prologo ad Epiſt:* ad Hæbr: ſed fragmenta ex Epiſtola Clementis citata à Patribus, concordant cũ hac Epiſtola, habentq; eundem ſtylum, & Characterem dictionis; ergo hæc Epiſtola eadem eſt nunc, quæ fuit lecta ab antiquis. Exemplum autem de Sybillarum vaticiniis non eſt ſimile, nam vera ſybillarum Autographa M SS tempore Neronis, ſimul cum Capitolio, ubi aſſervabantur, combuſta ſunt, reliqua vero exemplaria ab aliis fuerunt interpolata, interjectis pluribus, ut conqueritur Celſus apud Origenem Lib. 7. Epiſtolarum vero exemplar

plar genuinum repertum est cum codice Bibliorum interpolatorum in Egypto, scriptum manu Thæclæ Fæminæ nobilissimæ, grandioribus Græcis literis, tempore primi Concilii Nicæni. Quando autem Patres utuntur hâc particula: *Dixit Clemens* semper addunt in Epistola sua.

Proponitur Argumentum contra secundam Epistolam S. Clementis, & simul ejus veritas demonstratur.

S. Irenæus solius primæ, & unicæ Epistolæ à Clemente scriptæ mentionem facit· ergo hæc secunda ab illo non admittitur pro legitima. Deinde Dionysius Corynthiorum Episcopus testatur priorem illis à Clemente scriptam Epistolam publice legi solitam, sed si Clemens duas scripsisset Epistolas; Dionysius testaretur illas priores à Clemente scriptas, cum unius Authoris æqualem mererentur à Corynthiis venerationem: *Eo &c.*

℞ S Irenæus non dicit primam Epistolam publicè fuisse lectam in Ecclesiis, quod tamen testatur Dionysius, Eusebius, & Hieronymus Ideo ergo solius primæ Epistolæ meminit Irænæus, quia illam dicit Ecclesiæ Romanæ nomine scriptam.

Secunda vero cum non præferat nomen Romanæ Ecclesiæ, sed Romani Pontificis Clementis, ideo mirum non est illam siluisse. Dionysius vero solius primæ Epistolæ meminit. quia majori plausu fuit recepta à Corynthiis. Se-

cunda

cunda vero non fuit adeo celebris, & ideo neq; legebatur publicè. Quanquam S. Epiphanius Hæresi 30. utramque legi solitam testatur dicens: *Ipse Clemens illos per omnia redarguit in Epistolis, quas scripsit, Encyclicis, quæ in S. Ecclesiis leguntur.* Cum vero Dionysius appellat *priorem Epistolam*, videtur innuere *& secundam*, licet non tam celebrem, à Clemente scriptam fuisse Corynthiis Epistolam.

Inst: 1. Dionysius vocat priorem Clementis Epistolam, ad distinctionem posterioris, quæ fuit à Sotere Papa scripta: ergo non intelligitur secunda Clementis, sed posterior Soteris. Imo ut asserit Cotelerius, secunda fuit prior tempore, prius scripta, quam prima, quia ut ipse ait. *Secunda tempus pacificum spirat, prima vero annuntiat calamitates.* Deinde Epistolæ illæ Encyclicæ, memoratæ à S. Epiphanio, non intelliguntur illæ, quas Clemens direxit Corynthiis, Illæ enim ad unam Corynthiorum Ecclesiam ordinatæ fuerunt, Circulares vero, seu Encyclicæ ad omnes Ecclesias dirigi solent. Tum denique quia in illis ab Epiphanio laudatis docet Virginitatem, in nostris vero tantum docet concordiam, & animorum unionem.

℞ Utramque Epistolam simul fuisse Corynthiis directam, primam quidem illam esse, quam nomine Romanæ Ecclesiæ, inscripsit. Secunda vero nomine proprio, quæ priva-

tas

tas Salutares admonitiones, & melioris vitæ formam, ut ait Photius, continet. Et utraque tempore pacifico, desinente Domitiani persecutione scripta est. Quod vero Epiphanius illas vocat Encyclicas, inde fit, quod aliæ Orientales Ecclesiæ, audientes pacatam Corynthiorum Ecclesiam, & his Epistolis ad pacem compositam, easdem Epistolas communicatas sibi, propter utilitatem quoque suam in publicis conventibus legebant. Porro Virginitatem etiam nostræ docent: prima pluribus in locis, secunda, ubi desinit esse integra.

Inst: 2. Epistola illa secunda, potius dici debet Homilia, quia in exordio nulla est salutatio, contra Apostolicam scribendi formam Neque indicat, ad quos sit scripta: ergo est abjudicanda S. Clementi.

℞ Non præmittitur in illa salutatio, quia jam in prima est præmissa, cui immediatè annexa est hæc secunda. Unde non Homilia, sed Epistola appellatur à Patribus. *Fertur & altera*, subintelligitur ad Corynthios. Lectus est Libellus, inquit *Photius*, in quo continebantur duæ Clementis Epistolæ ad Corynthios. *S. Damascenus* proferens ex illa varia fragmenta, dicit: *ex Epistola secunda S. Clementis ad Corynthios.*

Inst: 3. Illam Epistolam Ruffinus, & Nicephorus dicunt *ignotam*. S. Hieronymus *à Veteribus reprobatam*, *Photius*

eam

eam dicit esse, quæ *ut notha* reiicitur: ergo non est adscribenda S. Clementi.

℟ Et hi Scriptores loquntur ex non accurata Eusebii locutione. C. loquuntur ex propria sententia N. Eusebius ergo, ex quo male hauserunt alii, non negat hanc Epistolam, sed tantum dicit, non fuisse æquè celebrem, ac primam, sic enim ait Lib. 3. Hist: Ecl: Cap: 37. *Sciendum tamen est, alteram quoque Clementis Epistolam circumferri, verum hanc non perinde receptam, atque approbatam fuisse, pro certo habemus, quandoquidem vetustiores ejus testimonio nequaquam usos fuisse comperimus.* Hæc ille. Illi ergo, qui post Eusebium scripserunt, quem sibi Ducem proposuerunt. ipsi Eusebio, & veritati imposuerunt, quod sic demonstro. Illa Epistola non est ignota, nec reprobata. nec notha, quæ duntaxat non est perinde recepta, ac prima, sed talis est hæc Epistola secunda, E. adem minor est Eusebii P. M. Ly *Perinde* instituit comparationem, sed nulla datur comparatio, ubi non dantur duo positiva, positivum autem utriusque Epistolæ est ut fuerit accepta. Comparativum, ut prima magis fuerit accepta, quam altera; ergo; quæ minus fuit accepta, vere fuit accepta, quamquam non perinde, ac prima Porro quæstio nostra non est de celebritate ejus Epistolæ, quam totam attribuimus primæ. sed de numero Epistolarum quem

asserit

asserit, & admittit Eusebius. Quodsi veteres secundam hanc non laudârunt, ac primam, minimè sequitur eam fuisse abjudicandam S. Clementi sed hoc unum, quod hæc secunda non fuerit æquè celebris, ac prima. Imo oppono his Patribus alios, qui eam agnoverunt, & ejus testimonio usi sunt. *S. Hieronymus* Lib. 1. adversus Iovinianũ Cap. 7. sententiam suam de illis duabus profert. *Ad hos* ait, *Et Clemens Successor Apostoli Petri, cujus Paulus Apostolus meminit, scribit Epistolas*, atq; non dixisset plures, nisi etiam alteram veram agnosceret: *Eo. &c. Maximus* in Prologo ad opera Dionysii. ait: *neque Clementis Romani, nisi duas solas Epistolas scripsit Eusebius.* Tum etiam, ultimus Canon Apostolorum Clementis Epistolas duas exhibet. Tum etiam in Stichometria Sacrorum Librorum ponuntur: *Clementis versus* 2600. Evangelio Lucæ in numero similes, qui utramque integram componebant Epistolam. Testimonia ex ea proferunt S. Damascenus, Dorothæus, Maximus, & Photius. Tum quia extat ejus testimonium in tribus vetustis MSS. codicibus, Bibliothecæ Regis Franciæ, Bibliothecæ Parisiensis Soc: IESU, & Bibliothecæ Bodlejanæ, Tum denique idem stylus, character, & antiquitatis notæ in illa apparent, ac in prima.

Inst: 4. In hac secunda Epistola utitur Clemens testi-

 moniô

moniô Evangelii ſecundùm Egyptios, ſed hoc Evangelium eſt Apocryphum, neque illud relatum extat in quatuor veris Evangeliis: ergo non decuit Virum Apoſtolicum, & ſapientem credere Apocryphis

℞ Plus eſt referre aliquem librum in Canonem ſacrorum librorum, quam illum aſſerere Eccleſiaſticum, ſed Epiſtola Iudæ Apoſtoli relata eſt in Canonem, licet in ea reperiatur Apocryphus locus de altercatione Michaëlis Archangeli cum Diabolo, de corpore Moyſis. Unde ait S. Hieronymus: *Judas Frater Iacobi, parvam quidem, quæ de ſeptem Catholicis eſt, Epiſtolam reliquit, & quia de Libro Enoch, qui Apocryphus eſt, in ea aſſumit teſtimonium, à pleriſq; reiicitur, tamen Authoritatem vetuſtate jam, & uſu meruit, & inter ſacras ſcripturas computatur.* Ergo ſi hac citatione loci Apocryphi non obſtante, relata eſt in Canonem, etiam Clementis Epiſtola non obſtante eadem ratione, poteſt agnoſci pro Eccleſiaſtica. Deinde S. Ignatius Martyr in Epiſtola ad Smyrnenſes citat Evangelium juxta Hæbreos, quod Apocryphum pariter eſt, & tamen illa Epiſtola ejus eſt legitima. Origenes utitur Evangelio Ægyptiorum *Lib. 7. in Lucam*, Hieronymus Prologo *in Mathæum commentans*, Epiphanius *Hæreſi 62. Cap. 2.* Theophylactus *ad principium Lucæ;* ergo horum etiam opera eſſent ut ſpuria reiicienda. Unde Pearſonius rectè

dicit

dicit in vindiciis Ignatianis *Tom, 2. Pag. 396.* Temerariũ planè, & periculosum est de antiquitate, aut veritate scripti alicujus, ex Apocryphorum citatione dubitare. Clemens itaq;, & alii Patres id, quod Hæretici ex Evangelio Ægyptiorum ad impugnandas nuptias proferebant, mysticè accipiebant de Regno Christi, & de futura vita ubi summa erit animæ, & corporis concordia, ubi persistentibus sexibus cessabunt sexuûm officia.

Inst: ultimo: Iustinus, ut falso putatur *Quæst: 74.* dicit Clementem adhibuisse Sybillæ vaticinia ad probandum finem mundi per ignem, ita enim habet: *Si præsentis rerum status finis est impiorum per ignem judicium, prout dicunt Prophetarum, & Apostolorum scripta, insuper Sybillæ ipsius, quemadmodum ait B: Clemens in Epistola ad Corynthios:* sed Clemens non debuit Sybilis probare dogma fidei, ergo inconvenienter usus est Sybillis, quæ Clemente erant posteriores, ut vult Usserius.

℞ Textum Pseudo Iustini corruptum esse, qui in Græco fonte ita potius legendus est, *quemadmodum ait & B. Clemens in Epistola ad Corynthios.* Unde illa particula *&* hunc bonum sensum facit, quod finem mundi futurũ per ignem, Prophetæ, Apostoli, Sybillæ, & Clemens in Epistola sua docet. Et hoc docuisse Clementem testatur S. Irenæus, dicens: *Qui ignem præparavit Diabolo, & An-*

gelis ejus, quæ verba Clementis citat Irenæus ex Epiſtola prima. quæ propter avulſa aliqua folia modo in ea non reperiuntur, neque Pſeudo Iuſtinus indicat, in qua Epiſtola hoc ſcribat Clemens, in prima, an in altera. Illuſtratis itaq; Epiſtolis, earum genuinum Characterem ſincerè hic apponimus, propter venerandam tanti Pontificis Authoritatem, quæ poſt Canonicas ſcripturas, maximi momenti eſt.



S. CLE-

❦❦**❦❦

S. CLEMENTIS EPISCOPI ROMANI EPISTOLA

Ad Corynthios prima, ex Persona Ecclesiæ Romanæ scripta

Ecclesia Dei quæ incolit Romam, Ecclesiæ Dei, quæ incolit Corynthum, dilectis in voluntate Dei, Gratia vobis per IESVM CHRISTVM multiplicetur in verbo Dei.



Ropter calamitates, & casus adversos, qui nobis acciderunt, Fratres, tardius videmur convertisse animum ad eas res, quæ à vobis, dilecti, quæsitæ sunt, & ad alienam, peregrinamq; Dei electis seditionem scelcstam,, ac impiam, quam pauci homines præcipites, ac temerarii, in tantum vecordiæ inflam-

flammarunt, ut venerabile, ac celebre, & ab omnibus dignum amari nomen vestrum, magnopere blasphemetur. Quis enim apud vos diversatus, virtute omni plenam, firmamq; Fidem vestram non probavit? Modestiam, ac decentem in Christo pietatem non est admiratus? Magnificentiam hospitalitatis vestræ non prædicavit? Perfectam, stabilemq; cognitionem non judicavit Beatam? Nam sine acceptione Personarum cuncta faciebatis, & in Dei legitimis ambulabatis, subditi præpositis vestris, & honorem debitum Senioribus vestris tribuentes, juvenibus, ut moderata, & honesta cogitarent, mandabatis, mulieribus denuntiabatis, ut in inculpata, & honesta, & casta conscientia peragerent omnia, diligerent pro officio viros suos, atque in obedientiæ regula constitutæ, res domesticas honoratè administrarent; docebatis, omninoq; modestè se gererent, omnes autem humili animo eratis, nullatenus superbientes, magis subjecti, quam subiicientes, dantes potius, quam accipientes, Dei viatico contenti, & accuratè attendentes sermonibus, ejus, dilatati eratis in visceribus, & passiones illius præ oculis vestris erant. Sic pax alta, & præclara erat, omnibus dabatur insatiabile benefaciendi desiderium, & plena Spiritus S. super omnes effusio erat, atq; referti sancta voluntate, bona alacritate, cum pia confidentia extendebatis manus vestras ad omnipotentem De-
um

um, ſupplicantes illi, ut propitiùs eſſet, ſi quod inviti peccâſſetis. Vobis per diem, ac noctem ſolicitudo erat pro univerſa fraternitate, ut cum miſericordia, & conſcientiis ſalvaretur numerus electorum Dei, ſinceri, & ſimplices eratis, adq; injuriæ immemores invicem, Omnis ſeditio, & omnis ſciſſura vobis abominationi erat, de proximorum delictis lugebatis, eorum defectus, veſtros judicabatis, omnis bonæ operationis non pænitebat vos, ſed parati eratis ad omne opus bonum Veneranda, & virtute omnium referta converſatione ornati, cuncta in timore ejus peragebatis, Mandata Domini ſcripta erant in cordis veſtri tabulis, omnis gloria, & diſtenſio data vobis eſt, & impletum eſt illud ſcripturæ: edit, & bibit, & dilatatus eſt, ac, incraſſatus, & recalcitravit dilectus. Hinc æmulatio, & diſcordia, & ſeditio, perſecutio, ac tumultus, bellum, & captivitas Sic inſurrexerunt inhonorati contra honoratos, inglorii contra glorioſos, inſipientes contra ſapientes, juuenes adverſus Seniores. Ideo procul abſunt Iuſtitia, & pax, ſed unuſquiſque timorem Dei deſerit, & in Fide ejus cæcutit, nec in inſtitutis ejus præceptorum ambulat, nec Chriſto decenter converſatur, ſed unuſquiſque ſecundum pravas cupiditates ſuas incedit, invidiam iniquam, & impiam aſſumendo, per quam & mors intravit in mundum. Ita enim ſcriptum eſt, dum eſſent in campo. *Surrexit*

rexit Cainus super Abelem Fratrem suum, & occidit eũ. Ita enim scriptum est, *& factum est post dies, obtulit Cain de fructibus terræ sacrificium Deo, Abel quoque obtulit.* Videtis Fratres, quod æmulatio, & invidia, fratricidium effecit. Propter æmulationem Pater noster Jacob aufugit à facie Esau Fratris sui. propter æmulationem Aaron, & Maria extra castra segregati habitarunt. Ob æmulationem & David, persecutionem à Saule Rege Israel passus est.

Sed ut vetera exempla relinquamus, veniamus ad nuperos Athletas, sumamus ætatis nostræ generosa exempla. Propter æmulationem, atq; invidiam, qui Ecclesiæ erant fideles, ac justissimæ columnæ, etiam usque ad mortem passi sunt persecutionem, accipiamus præ oculis nostris bonos Apostolos, Petrus ob iniquam æmulationem, non unum, aut alterum, sed multos sustinuit labores, atq; ita Martyr effectus, discessit ad debitum Gloriæ locum Propter æmulationem Paulus, patientiæ præmium obtinuit, cum catenas septies portâsset. vapulâsset, lapidatus esset, præco factus in Oriente, & Occidente, eximium Fidei suæ decus accepit, totum mundum docens Iustitiam, & ad Occidentis terminum veniens, & sub Principibus Martyrium passus, ita è mundo migravit, atq; in locum sanctum abiit, patientiæ magnum exemplar factus. His viris, qui Divi-

nam

nam vitam duxerunt, aggregata est ingens electorum multitudo, qui multas contumelias multaq; tormenta propter æmulationem passi, exemplo pulcherrimo apud nos fuerunt. Propter æmulationem vexatæ mulieres Danaides, & Dirces, cum gravia, & nefanda supplicia sustinuissent, inconstanti Fidei cursu pervenerunt, & corpore debiles, nobile præmium acceperunt. Æmulatio abalienavit uxores à Maritis, & mutavit illud Patris nostri Adami dictum: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea. Æmulatio, & contentio urbes magnas evertit, & gentes magnas eradicavit Hæc dilecti, non tantùm ut vos admoneamus, scribimus, sed etiam ut nos ipsos commonefaciamus, in eodem enim stadio versamur, & certamen idem nobis impositum est. Quocirca relinquamus inanes, & vanas curas, atq; veniamus ad gloriosam, & venerabilem sanctæ vocationis nostræ Regulam. Videamus, quid bonum, & quid jucundum, acceptumq; coram eo, qui fecit nos. Fixis oculis respiciamus in Sangvinem Christi, cernamusq;, quàm pretiosus sit Deo ejus sangvis, qui propter nostram salutem effusus, toti mundo pænitentiæ gratiam obtulit. Intueamur diligenter omnes mundi ætates, discamusq;, quod in singulis ætatibus, pænitentiæ locum Dominus dedit volentibus ad ipsum converti. Nòé pænitentiam prædicavit, & qui ei obedièrunt, servati sunt. Ionas Ninivitis Urbis

ſubverſionem prædicavit, illi autem de peccatis ſuis actâ pænitentiâ, Deum præcibus placârunt, & ſalutem conſecuti ſunt, licèt alieni à Deo eſſent. Miniſtri Divinæ Gratiæ, per Spiritum Sanctum de pænitentia ſunt locuti, ipſeq; omnium Dominus, de pænitentia locutus eſt cum juramento, *Ego enim vivo, dicit Dominus: nolo mortem peccatoris* ſicut pænitentiam, addens & pulchram ſententiam: *Reſipiſcite Domus Iſraël ab iniquitate veſtra,* & in alio loco ſic dicit: *Lavamini: & mundi eſtote.* Omnes itaq; dilectos ſuos volens pænitentiæ fieri participes, omnipotente ſua voluntate firmavit. Quare obediamus magnificæ, & glorioſæ illius voluntati, & ſupplices illius miſericordiæ, ac benignitatis, procidamus, & convertamur ad miſerationes ejus, relictis vanis operibus, contentione, & quæ ad mortem ducit, æmulatione, fixis oculis eos intueamur, qui magnificæ ejus gloriæ perfectè ſervierunt. Accipiamus Henochum, qui in obedientia juſtus repertus, tranſlatus fuit, & non inventa eſt mors illius. Nòè fidelis inventus, per miniſterium ſuum ſecundam nativitatem mundo prædicavit, & per eum Dominus conſervavit animalia cum concordia in arcam ingreſſa. Abrahamus amicus vocatus, inventus eſt fidelis, quando dictis Dei audiens fuit. Hic per obedientiam eggreſſus eſt è terra ſua, & è cognatione ſua, & è domo Patris ſui,ut, pro exigua terra, &

cogna-

cognatione debili, & domo parva derelicta, promissiones Dei in hæreditatem acciperet. dicit enim ei, *abi de terra tua &c.* Propter fidem, & hospitalitatem datus est ei filius in senectute, & per obedientiam obtulit eum, sacrificium Deo, in uno montium, qui ei à Deo ostensus fuit. Propter hospitalitatem, & pietatem Lothus è Sodomis salvus evasit, cnm tota Regio circumjacens, igne, sulphure damnata esset. Palam fecit Dominus, quod sperantes in illũ non relinquat, eos verò, qui in contraria declinant, punitione, ac supplicio afficit, quæ enim unà cum eo egressa fuerat uxor illius, cum diversa sentiret, nec concors esset, in ejusmodi signum posita est, ut salis statua in hodiernũ usque diem sit servata; quo cunctis notum esset, quod animo incerti, & de potentia dubitantes, in judicium, & in significationibus, universis generationibu fiunt, Ob fidē, & hospitalitatem servata est Rahab meretrix, missis enim à IESU Filio Nave ad Ierichontem Exploratoribus, intellexit terræ Rex, quòd Regionem illius èxploratam venerant, & emisit Viros, qui eos comprehenderent, ut comprehensi necarentur. Hospitalis igitur Rahab suscipiens eos, occultavit in solario sublimi stipula, supervenientibus autem hominibus à Rege missis, ac dicentibus: *Viri ad te venerunt terræ nostræ Exploratores, educ eos, Rex enim ita imperat, illa* respondit: *duo Viri, quos quæri-*

tis, ingreſſi ſunt apud me, ſed confeſtim abièrunt, & vadens non oſtendit eos illis, & dixit ad Viros: *certe ſcio, quod Dominus Deus veſter tradet vobis Urbem hanc, timor enim, & pavor veſtri incidit in omnes habitatores ejus. Quando igitur contigerit vos eam capere, ſervate me, & domum Patris mei* & dixerunt ei: *ſic erit, quemadmodum locuta es nobis, cum igitur nos adeſſe cognoveris, congregabis omnes tuos ſub tecto tuo, & ſervabuntur: qui autem invenientur extra domum, peribunt,* & addiderunt, *ut ſignum daret, nempe funiculum coccineum appenderet de Domo ſua,* manifeſtum facientes, quod per Sangvinem Domini futura eſſet Redemptio univerſis credentibus, & ſperantibus in Deum. Videtis dilecti, non ſolùm Fides, ſed etiam Prophetia in muliere extitit. Humiles itaq; ſimus, Fratres, deponentes omnem arrogantiam, & faſtum, & iram, atq; faciamus, quod ſcriptum eſt, dicit quippe ſpiritus Sanctus: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Præcipuè monens ſermones Domini noſtri IESU CHRISTI. quos locutus eſt, docens manſvetudinem, & æquanimitatem. Sic enim dixit: *miſeremini, ut miſericordiam conſequamini.* Hôc præcepto, & his mandatis ſtabiliamus nos, ſemper obedientes ſimus ſanctis eloquiis, humiliter de nobis ſentientes. Ait enim S. Sermo, *ſuper quē reſpiciam, niſi ſuper manſvetum, & quiẽtum, & trementē*

eloquia mea. Iuſtum ergo, ac pium eſt, Viri Fratres, Deo potius obediẽtes nos eſſe, quã ſequi eos, qui in ſuperbia, & ſeditione duces fuerunt abominandæ æmulationis. Detrimentũ enim nõ leve, imo vere grande periculũ ſuſtinebimus, ſi præcipitanter nos tradiderimus voluntatibus hominum, qui ad contentiones, & ſeditiones collimant, ut nos ab eo, quod rectè habet, abalienent. Benigni inter nos ſimus, juxta miſericordiam, & dulcedinem illius, qui fecit nos. Chriſtus ſiquidem eorum eſt, qui humiliter de ſe ſentiunt, non eorum, qui ſupra ovile ejus efferunt ſe. Sceptrum Majeſtatis Dei Dominus noſter IESUS CHRISTUS, non venit in jactantia arrogantiæ, neque ſuperbiæ, cum potens ſit, ſed in humilitate. Cernitis Viri cari, quod exemplum nobis datum ſit, nam ſi Dominus adeo humiliter ſe geſſit, quid faciemus nos, qui ſub jugum gratiæ ejus venimus? Imitatores etiam ſimus eorum, qui in pellibus caprinis, & melotis prædicantes Chriſti adventum, ambulaverunt, dicimus autem Prophetas, Eliam, & Eliſæum, adhuc & Ezechielẽ, ac præterea eſt, qui ſplendoris laudem conſecuti ſunt. Magno teſtimonio cunctis eſt Abrahamus, & Dei amicus vocatus eſt, hic autem intentè reſpiciens ad Gloriam Dei, humiliter dicit: *Ego autem ſum caro, & cinis.* Talium igitur, ac tantorum, adeoq; laudatorum, humilitas, & concordia, per obedientiam, non tantùm nos, ſed anteriores

ætates

ætates meliores fecit, eósq; qui in timore, & veritate eloquia ejus susceperunt. Multorum itaq;, ac illustrium gestorum participes facti, recurramus ad pacis scopum, nobis ab initio traditum, & figamus oculos in Patrem, & Creatorem Cæli, & mundi, atq; illius magnificis, & exuberantibus donis pacis, ac beneficiis hæreamus. Cognitione contemplemur eum, & mentis oculis intueamur in æquanimam illius voluntatem, consideremus, quomodo erga omnem creaturam suam sit lenis, & facilis. Cæli gubernio ejus commoti, in pace ei subiiciuntur. Dies, & nox ab illo ordinatum cursum perficiunt, nec eo propter sibi mutuo impedimento sunt. Sol & Luna, ac Syderum chori, secundùm ejus mandatum in concordia, sine ulla transgressione, sibi cõstituta Orbem evolvunt. Terra gravida, juxta voluntatem illius suis temporibus plurimum cibum hominibus, ac feris, omnibusq;, quæ in ea sunt, animantibus, producit, non contendens, nec mutans quidquam eorum, quæ ab illo decreta sunt. Abyssorum, quæ investigari non possunt, & inferorum, quæ emanari nequeunt, judicia ejusdem mandatis continentur. Immensi maris capacitas per ordinationem ejus, in cumulos coagmentata, non transgreditur, quæ ipsi circumposita sunt claustra, sed prout ei præcipit, ita facit. Dixit enim: *hucusque venies, & fluctus tui in te comminuentur.* Oceanus hominibus impermea-

permea-

permeabilis, & qui post ipsum sunt mundi, ejsdem Domini dispositionibus gubernantur. Tempestates vernæ, æstivæ, autumnales,& hyemales, in pace aliæ aliis succedunt. Ventorum libramina pro tempore munus suum sine offendiculo obeunt. Fontes etiam perennes ad usum, & sanitatem creati, ubera sua indesinenter ad hominum vitam præbent, Deniq; animalia minima cætus suos in concordia, & pace faciunt. Hæc omnia magnus Opifex, & rerum omnium Dominus, in pace, & concordia fieri jussit, omnibus benefaciens, superabundanter autem nobis, qui ad miserationes ejus confugimus, per D N. IESUM CHRISTUM, cui gloria, & Majestas in sæcula sæculorum Amen.

Videte dilecti, ne beneficia ejus, quæ multa sunt, nobis in condemnationem cedant, nisi dignè illo viventes, bona; & beneplacita in conspectu ejus cum concordia fecerimus Dicit enim alicubi. (k) *Spiritus Domini Lucerna scrutans secreta, ventris.* Consideremus, quam propè sit, & quod ipsum nihil latet, tam cogitationum, quam ratiocinationum, quæ facimus. Æquum igitur est, ut ab ejus voluntate non simus transfugæ. Homines stultos, insipientes, elatos, & gloriantes in jactantia sermonis sui potius offendamus, quam Deum Dominum IESUM CHRISTUM, cujus Sangvis pro nobis datus est, veneremur. Seniores nostros honoremus, Iuvenes doceamus, disciplinam timoris

(k] Prov. 20.

Dei

Dei Uxores noſtras ad id, quod bonum eſt, inducamus, amabiles caſtitatis mores oſtendant, ſimplicem, ac ſinceram mansvetudinis ſuæ voluntatem demonſtrent, moderationē lingvæ ſuæ ſilentio manifeſtam faciant, charitatem ſuam non ſecudùm animi ſui propenſiones, ſed omnibus Deum Sanctis mentibus æqualem præbeant. Liberi noſtri diſciplinæ Chriſti participes ſint, diſcant quid humilitas apud Deū valeat, quid caſta Charitas apud Deum poſſit, quomodo timor ejus bonus eſt, ac manſvetus, & ſervans omnes, qui in ipſo verſantur in pura mente. Eſt enim cogitationum, & conſiliorum mentis Scrutator, cujus Spiritus eſt in nobis, & cum voluerit, eum aufert. Hæc autem omnia Fides, quæ eſt in Chriſto confirmat, ipſe etenim per Spiritum Sanctum ita nos compellat: (l) *Timorem Domini docebo vos.* Miſericors in omnibus, & beneficus Pater, viſcera erga timentes eum habet, & gratias ſuas ſimplici mente ad ipſum accedentibus, benigne, ſvaviterq; largitur. Quare dubii animô non ſimus, neque hæſitet anima noſtra ſuper eximiis, & ſplendidis muneribus ejus. Longè ſit à nobis ſcriptura illa, ubi dicit: [m] *Miſeri ſunt, qui animô ſunt duplices.* Videtis quod in exiguo tempore ad maturitatem pervenit fructus arboris. In veritate, brevi, ac de repentè perficitur voluntas ejus, Scriptura enim te-

ſtimoniū

[l] Pſal, 35. [m] Pſal: 32.

ſtimonium perhibente, quod (n) *protinus veniet Dominus ad Templum ſuum, & Sanctus, quem vos expectatis.* Conſideremus dilecti, quemadmodum Dominus continuo nobis oſtendat Reſurrectionem, quæ futura eſt, cujus (o) *Primitias fecit Dominum IESUM CHRISTUM; ſuſcitans cum à mortuis.* Intueamur Dilecti Reſurrectionem quæ omni tempore fit, dies & nox Reſurrectionem nobis declarant, cubat nox, exurgit dies, dies obit, nox advenit. Reſpiciamus fruges ſementis, quomodo fiant, omnibus obvium eſt, exiit Seminator, & jecit ſemen in terram, jactiſq; ſeminibus, quæ arida, & nuda ceciderunt in terram, diſſolvit tempus, deinde ex diſſolutione Providentiæ Domini magna virtus reſuſcitatur, atq; ex uno fructu pluribus auctum profert. Contemplemur ſignum mirabile, quod in Orientalibus locis, ſcilicet in Arabia fit, avis quippe eſt quæ vocatur Phænix, hæc unigenita exiſtens, annos vivit quingentos, cumq; jam morte diſſolvenda eſt, loculum ſibi conficit, ex thure, & Myrrha, & reliquis aromatibûs, quem completo tempore ingreditur, & obit. Ex carne vero ejus putrefacta, vermis naſcitur, qui animalis defuncti humore nutritus, plumeſcit, deinde fortior factus, loculum illum, ubi anteceſſoris oſſa ſunt, tollit, eaq; portans ex Arabica Regione ad Ægyptum uſque in urbem, quæ dicitur Heliopolis vergit, & interdiu ſpe-

(n) Malach. 3. ỿ 7. (o) 1. Cor. 15.

ctantibus omnibus avolans, super altare solis illa collocat, atq; citò retrorsum proripit se. Itaq; Sacerdotes commentarios temporum diligenter inspiciunt, & inveniunt avem expleto annô quingentesimo venisse. An magnum igitur, & admirandum esse arbitramur, si omnium opifex eos resurgere faciat, qui sanctè ipsi servierunt, in bonæ fidei confidentia, ubi etiam per volucrem nobis ostendit promissionis suæ magnificentiam. Dicit enim alicubi: (p) *Et suscitabis me, & confitebor tibi, & dormivi, & soporatus sum, exurexi, quia tu mecum es.* Ac rursus Iob dicit: (q) *Et resuscitabis carnem meam hanc, quæ hæc omnia perpessa est.* Hac igitur spe animi nostri ad eum adstrigantur, qui in promissis fidelis est, & in judiciis justus. Qui ne mentiamur, præcipit, multò magis ipse non mentitur. Nihil quippe Deo impossibile, præterquam mentiri. Exsuscitetur igitur Fides ejus in nobis, & cogitemus, quod omnia ipsi propinqua sunt. Verbo magnificentiæ suæ constituit omnia, & verbo potest illa evertere Quis dicet ei: quid fecisti, aut quis resistet virtuti fortitudinis ejus? *Quando voluit, & quomodo voluit omnia condidit, neque quidquam ab eo decretum preteribit.* Universa coram ipso sunt, nihilq; cosilium ejus latet, si Cæli enarrant Gloriam Dei, opus autem manuum ejus annunciat firmamentum,

[p] Sap. 12. [q] Psal. 87. Iob. 19.

tum, si dies diei eructat verbum, & nox nocti annunciat scientiam, & non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Cum igitur omnia videantur, & audiantur, timeamus eum, & pravorum operum impuras cupiditates relinquamus, ut illius misericordia à futuris judiciis tegamur. Quo enim quis nostrum à potenti manu ejus fugere potest? qualis autem mundus suscipiet quempiam ab eo transfugientem? Dicit enim scriptura alicubi: [r] *Quo ibo, & ubi abscondar a facie tua, si ascendero in Cælum, tu illic es, si abièro ad extrema terræ, illic est dextra tua, si descendero in abyssos, illic est Spiritus tuus.* Quo igitur abibit quis, vel quo aufugiet ab eo, qui omnia complectitur? Accedamus ergo ad Deum in sanctitate animæ, castas, & impollutas manus elevantes ad illum, diligentes benignum, & misericordem Patrē nostrum, qui nos electionis partem sibi fecit. Sic enim scriptum est: [s] *Factus est pars* Domini *populus ejus Iacob, funiculus hæreditatis ejus Isràél* Et alio in loco ait: [t] *Ecce Dominus accepit gentē è medio gentium, sicut homo accipit primitias areæ suæ, & ex gente illa egredientur Sancta Sanctorum.* Cum igitur sancti pars simus, omnia, quæ ad Sanctitatem pertinent, faciamus, vitantes obtrectationes, impuros, & impudicos complexus, ebrietates,

[r] Psal. 138. [s] Deut. 32. [t] Deut. 4. ỷ 34.

ac novarum rerum ſtudia, abominandas cupiditates, deteſtandum adulterium, execrabilem ſuperbiam, Deus enim inquit: *ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Agglutinemur ergo eis quibus gratia à Deo conceſſa eſt, induamur concordiam, humiles, continentes, ab omni ſuſurro, & obtrectatione procul recedentes, operibus & non verbis juſti effecti. Dicit enim: (*u*) *Qui multa loquitur, & viciſſim audiet, aut loquax videtur eſſe juſtus?* Benedictus natus mulieris brevis vitæ, ne ſis multus in verbis. laus noſtra in Deo ſit, & non ex nobis ipſis. Odit enim eos Deus, qui ſemetipſos prædicant. Teſtimonium boni operis noſtri ab aliis tribuatur nobis. Sicut datum eſt Patribus noſtris, Viris juſtis. Temeritas, & arrogantia, & audacia apud eos, qui maledicti ſunt à Deo, moderatio autem, & humilitas, & manſvetudo apud illos, qui à Deo benedicti ſunt. Ejus igitur Benedictionibus firmiter adhæreamus & videamus, quænam ſint benedictionis viæ. Animo repetamus, quæ ab initio ſunt facta, cujus gratia Pater noſter Abraham Benedictus fuit? nonne, quia juſtitiam, & veritatem per Fidem operatus eſt? Iſaac cum confidentia cognoſcens, quod futurum erat, libenter hoſtia factus eſt. Iacob cum humilitate ſeceſſit é terra ſua, Fratrem fugiens, & profectus eſt ad Laban, & ſervivit, & data

ta

(*u*) Iob. II.

ta ſunt ei duodecim ſceptra Iſràël Donorum, quæ per eum conceſſa ſunt, magnificentiam, ſi quis animo ſincero ſigillatim conſideraverit, agnoſcet. Ab illo enim orti ſunt omnes Sacerdotes, & Levitæ, qui Altari Dei miniſtrant, ab illo Dominus IESUS ſecundùm carnem, ab illo & Reges, Principes, & Duces, ſecundùm Iudam, ac reliquæ ejus tribus non in parvo honore ſunt, ut pote cum promiſſet Deus, erit ſemen tuum, ſicut ſtellæ Cæli. Si ergo omnes Gloriam, & amplitudinem adepti ſunt, non per ſe ipſos, aut opera ſua, aut juſtas actiones, quas fecerunt, ſed per voluntatem ejus, & nos igitur per voluntatem ejus in CHRISTO IESU vocati, non per nosmet ipſos juſti efficimur, neque per noſtram ſapientiam, aut intelligentiam, aut pietatem, aut opera, quæ in Sanctitate cordis operati ſumus, ſed per fidem. per quam omnes, qui unquam extiterunt, juſtificat Deus Omnipotens, cui ſit gloria in ſæcula ſæculorum Amen.

Quid igitur faciemus Fratres, ceſſabimus à bonis operibus, & charitatem derelinquemus? neutiquam permittat hoc Dominus à nobis fieri, ſed cum diligentia, & alacritate, feſtinemus omne opus bonum perficere. Ipſe namq, conditor, & Dominus omnium in omnibus ſuis delectatur. Cælos enim ſuprema, & maxima potentiâ ſua firmavit, & incomprehenſibili prudentiâ ornavit eos. Terram quoque

ab

ab aqua, quæ illam ambit, separavit, & super firmum propriæ voluntatis fundamentum stabilivit, & animalia, quæ in illa versantur, jussu suo præcepit esse. Mare etiam, & quæ in illo sunt animalia, cum prius creâsset, potentia sua inclusit. Præ omnibus animal excellentissimum, & intellectûs gratiâ maximum, hominem, sacris, & intaminatis manibus formavit Imaginis suæ Characterem. Ita enim agit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Hæc igitur omnia cum perfecisset, laudavit ea, benedixitq., ac dixit: *Crescite, & multiplicamini*. Videamus quod in bonis operibus ornati fuerint omnes justi. Et ipse ergo Dominus cum se operibus decorâsset gavisus est. Habentes itaq; hoc exemplar, impigrè ad voluntatem ejus accedamus, & totis viribus nostris operemur opus justitiæ Bonus operarius panem suum opere suo parturn cum fiducia accipit, segnis vero, & remissus locatorem suum non audet intueri. Oportet ergo nos ad bonũ faciendum prompto animo esse, ex hoc enim omnia constant. Quippe nobis prædicit: *Ecce Dominus, & merces ejus coram illo, ut reddat unicuique secundum opus suum*. Itaq, ex toto corde, nos hortatur ad hoc, ne segnes, & desides, simus ad omne opus bonum. Gloriatio nostra & fiducia in ipso sit. Voluntati ejus subiiciamur. Attendamus ad universam Angelorum ejus multitudinem, quomodo adstantes

stantes

ſtantes voluntati ejus famulantur. Dicit enim Scriptura: *Decem millia decem millium aſſiſtebant ei, & mille millia miniſtrabant ei, & clamabant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth plena eſt omnis creatura gloria ejus.* Et nos ergo in concordia congregati in unum, communi conſenſu velut ex uno ore, ad ipſum totis viribus clamemus, ut participes fiamus magnarum, & inclitarum promiſſionū ejus Dicit enim: (*w*) *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quanta præparavit expectantibus eum.* Quam Beata ſunt dilecti, & mirabilia dona Dei, vita in immortalitate, in juſtitia ſplendor, veritas in libertate, Fides in confidentia, continentia in Sanctitate, & hæc omnia ſub intellectum noſtrum cadunt: Quænam igitur ſunt; quæ expectantibus præparantur? Sanctiſſimus conditor, & Pater ſæculorum, ipſe eorum quantitatem, & pulchritudinem novit. Nos igitur ſummo ſtudio, contendamus in numero expectantium eum reperiri, ut repromiſſorum donorum participes fiamus. Quomodo autem eveniet iſtud, Dilecti, ſi Fide in Deum ſtabilita, fuerit mens noſtra, ſi quæ illi placita ſunt, & accepta, exquiſiverimus; ſi quæ inculpatæ ejus voluntati conveniunt, perfecerimus, & ſecuti fuerimus viam veritatis, abiicientes à nobis omnem injuſtitiam, & iniquitatem, avaritam, contentiones, malignitates, & fraudes, ſuſurros, & obtrectati-

(*w*) 1. Cor. 2.

ones

ones, odium Dei, ſuperbiam, & jactantiam, inanem gloriam, atq; amorem vanitatis. Qui enim hæc faciunt, Deo odioſi ſunt, neque ſolum qui faciunt, ſed & qui conſentiunt eis. Hæc eſt via chariſſimi, in qua invenimus Salvatorem noſtrum IESUM CHRISTUM, Pontificem oblationum noſtrarum, Patronum, & Auxiliatorem infirmitatis noſtræ. Per hunc in altitudines Cælorum oculos defigemus, per hunc ſpeculabimur labii expertem, ac ſupremum illius vultum. Per hunc aperti ſunt oculi cordis noſtri, per hunc inſipiens, & obſcurata mens noſtra in admirabilem ejus lucem aſſurgit. Per hunc voluit Dominus, ut immortalem ſcientiam guſtaremus, qui cum ſit ſplendor Majeſtatis ejus, tantò maior eſt Angelis, quantò differentius nomen hæreditavit. Ita quippe ſcriptum eſt: *Qui facis Angelos tuos, Spiritus, & Miniſtros tuos flammam ignis.* De Filio autem ſuo ſic dicit Dominus: *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* Et iterum dicit ad eum: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Quinam ſunt inimici ejus? qui pravi ſunt, quiq; Divinæ voluntati ſuam voluntatem opponunt Militemus igitur Viri Fratres, cum omni ſtudio, in irreprehenſis ejus præceptis, conſideremus eos, qui ſub ducibus noſtris merent, quam ordinatè quàm ſtrenuè, quàm ſubmiſſè imperata exequuntur. Non omnes ſunt Præfecti, neque Tri-

buni

buni, neque Centuriones, neque Quinquagenarii, neque in iis constituti gradibus, qui consequuntur, sed unusquis que in suo ordine, quæ ab Imperatore, vel Ducibus iubentur, peragit, Magni sine parvis existere nequeunut neque parvi sine magnis, mutua quædam in omnibus necessitudo est, & in his usus sumamus corpus nostrum caput sine pedibus nihil est, vicissimq; pedes sine Capite. Minima autem corporis nostri membra necessaria, & utilia sunt toti corpori. Universa vero conspirant, & ad conservationem totius una subjectione utuntur. Servetur itaq; totum corpus in Christo IESU, & unusquisque proximo subiiciatur secundùm donum, quod per gratiam ejus obtinuit. Fortis ne contumeliâ afficiat imbecilem, imbecilis vero fortem revereatur. Dives Pauperi largiatur: pauper vero gratias agat Deo, quod ei dederit, per quem inopia ejus suppleretur. Sapiens ostendat sapientiam suam non in verbis, sed in operibus bonis. Humilis non sibi ipse testimonium ferat, sed ab altero sibi ferri sinat Qui carne castus est, non insolescat, sciens alium esse, qui continentiam ei donat. Reputemus ergo Fratres, ex qua materia facti sumus, qui, & quales *ingressi* sumus in mundum. Tanquam è sepulchro, & tenebris Author, & Conditor noster introduxit nos in mundum suum, præparatis, antequam nasceremur, beneficiis suis. Hæc igitur o-

mnia ab eo habentes, in omnibus ipsi gratias agere de-
bemus, cui gloria in sæcula sæculorum Amen.

Stulti, & insipientes, & fatui, & imperiti derident nos,
ac sublannant, dum sese cogitationibus suis extollere cu-
piunt. Quid enim potest mortalis, aut quale robur
terrigenæ? scriptum est enim, (x) *non erat figura ante
oculos meos, sed auram, & vocem audiebam.* Cum ergo
hæc nobis manifesta sint, etiam in Divinæ cognitionis pro-
funda introspicientes, cuncta ordine debemus facere, quæ
nos Dominus jussit peragere. Statutis temporibus oblati-
ones, & officia perfici, neque temere, vel inordinatè fi-
eri præcepit, sed præfinitis temporibus, & horis, ubi eti-
am, & à quibus celebrari vult ipse excellentissima sua
voluntate, definivit, ut Religiosè omnia secundùm bene-
placitum facta accepta essent voluntati ejus. Qui ergo
assignatis temporibus oblationes suas faciunt, accepti & Be-
ati sunt, nam qui legitima Dei sequuntur, non peccant,
Summo quippe Sacerdoti sua munia tributa sunt, & Sa-
cerdotibus locus proprius præstitutus est. Levitis quo-
que sua ministeria incumbunt. Homo laicus præceptis la-
icis constringitur Unusquisque vestrum Fratres in proprio
ordine, ac statu gratias agat Deo, in bona conscientia de-
gens, non transgrediens præscriptam muneris sui regulam
in honestate. Non ubique Fratres offeruntur sacrificia, vel
votiva

[x] Iob. 4.

votiva, vel pro peccato, & delicto, ſed Hieroſolymis tantùm atque illic non in omni loco fit oblatio, ſed ante Templum ad Altare poſtquam à ſummo Sacerdote, & prædictis Miniſtris, quorum eſt explorare, an omnis maculæ expers ſit, inſpecta, ac probata eſſet. Qui ergo aliquid, præter id, quod voluntati ejus conſentaneum eſt, agunt, morte mulctantur. Videte Fratres, quò magis cognitione donati ſumus, eò graviori periculo ſumus obnoxii. Apoſtoli nobis Evangelizaverunt à Domino IESU CHRISTO, IESUS CHRISTUS à Deo miſſus eſt, igitur Chriſtus à Deo, & Apoſtoli à Chriſto, factumq; eſt utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaq; acceptis mandatis, & certo perſvaſi, per Reſurrectionem D. N. IESU CHRISTI, & in Fide confirmati per verbum Dei, cum Spiritûs Sancti plenitudine & ſecuritate, egreſſi ſunt annunciantes adventurum eſſe Regnum Dei. Prædicantes igitur per Regiones, ac urbes primitias earum Spiritu cum probaſſent, in Epiſcopos, & Diaconos eorum, qui credituri erant, conſtituerunt, neque hoc novè, à multis enim temporibus de Epiſcopis, & Diaconis ſcriptum fuerat. Sic enim alicubi dicit Scriptura: (y)*Conſtituam Epiſcopos eorum in juſtitia, & Diaconos eorum in Fide.* Et quid mirum, ſi quibus commiſſum in Chriſto eſt, à Deo hujuſmodi mu-

(y) Iſaiæ. 6. ℣ 17.

nus, prædictos conſtituerint? [z] Quomodoquidem, & Beatus Moyſes. fidelis famulus in tota Domo,, omnia, quæ ipſi mandata erant, in ſacris libris annotavit, quem & ſæcuti ſunt reliqui Prophetæ, iis, quæ ab ipſo ſancita erant, teſtimonium pariter perhibentes. Ille namq; cum æmulatio pro Sacerdotio incidiſſet, ac tribus digladiarentur inter ſe, quænam illarum glorioſo hoc nomine ornata eſſet, juſſit, ut duodecim Principes Tribuum afferent ſibi virgas quibus uniuſcujuſque Tribus nomen eſſet ſuperſcriptum, haſq; cum accepiſſet, ligavit, & annulis eorundem Principum obſignavit, atque in tabernaculo teſtimonii depoſuit ſuper menſam Dei, & clauſo tabernaculô, claves juxta, & virgas ſignavit, dixitq; illis: [ż] *Viri Fratres: cujus tribus virga germinaverit, hanc elegit Deus, ut Sacerdotio fungatur: & miniſtret ei Mane autem facto, convocavit univerum Iſráël, ſexcenta millia virorum, & ſigilla Principibus Tribuum oſtendit, aperuitq; tabernaculum teſtimonii, & protulit virgas, & inventa eſt virga Aaron non tantum germinâſſe, ſed & fructum habere.* Quid vobis videtur Dilecti, an non id futurum præſcierat Moyſes? maximè noverat. Verum ne ſeditio inter Iſráëlitas fieret, ita ſe geſſit, ut glorificaretur nomen veri, ac ſolius Dei, cui gloria in ſæcula ſæculorum Amen.

Apo-

[z] Græcum textum legerat Clemens[ż] Num. 17. ỷ 1.

Apoſtoli quoque noſtri D. N. IESUM CHRISTUM cognoverunt futuram eſſe de Epiſcopatu contentionem, eam igitur ob cauſam, perfectam præcognitionem adepti, prædictos conſtituerunt, ac deinceps futuræ ſucceſſionis hanc tradiderunt regulam, ut cum illi deſceſiſſent, miniſterium eorum, ac munus alii probati viri exciperent. Qui igitur ab illis, aut deinceps ab aliis Viris eximiis conſentiente Eccleſia univerſâ, conſtituti ſunt, & ovili Chriſti humiliter, quietè & liberàliter miniſtrarunt, ac longo tempore præclarum ab omnibus reportarunt Teſtimonium, hos cenſemus officiô injuſtè deiici. Non enim erit leve peccatum, qui eos, qui citra querelam, & ſanctè offerunt dona, ab Epiſcopatu removerimus. Beati Presbyteri, qui viam priùs emenſi, fructuoſam, ac perfectam conſecuti ſunt diſſolutionem Non enim verentur, ne quis de conſtituto ipſis loco eos transferat. Nempe videmus nonnullos de Miniſterio, quo honeſtati fuerant, & in quo ſese inculpatè geſſerant. à vobis dimotos eſſe. Contentioſi eſtis Fratres, & in rebus, quæ ad ſalutem non pertinent, æmulatores. Diligenter inſpicite Scripturam Spiritûs Sancti vera oracula attendite, nihil in illis injuſtum, neque perverſum ſcriptum eſt. Neque enim invenietis juſtos ab hominibus ſanctis depulſos. Perſecutionem paſſi ſunt juſti, ſed ab iniquis, in cuſtodiam injecti ſunt, ſed ab impiis, lapidati ſunt

à ne-

à nefariis, occisi sunt à scelestis & injusto zelô abreptis. Hæc passi, bono animô tulerunt. Quid enim dicemus Fratres, Daniel in specum Leonum ab hominibus Deum timentibus conjectus est? Anania, Azaria, & Misäél, ab iis, qui Magnificum, &nobilem Altissimi cultum observabant, conclusi sunt in fornacem ignis? Absit prorsus. Quinam igitur hæc patrârunt? Homines odiô, atque execratione digni, & omni malitia pleni, eò furoris eruperunt, ut viros in sancto, & inculpato proposito servientes Deo, contumeliis, ac tormentis affecerint, nescientes Altissimum esse Propugnatorem, & Protectorem eorum, qui in pura conscientia potentissimo nomini ejus inserviunt, cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Illi verò in fiducia sustinentes, gloriæ, & honoris hæredes facti sunt, & à Deo in memoria ipsorum exaltati, beatiq; effecti sunt in sæcula sæculorum Amen. Talibus igitur exemplis & nos adhærere oportet Fratres. scriptum est enim: *Sanctis vos adjungite, quia, qui illis adhærent, Sanctifi abuntur*. Et rursus in alio loco dicit: *Cum viro innocente innocens eris, & cum perverso perverteris*. Quare innocentibus, & justis jungamus nos, ii quippe sunt electi Dei. Ut quid inter vos contentiones, iræ, dissensiones, schismata, & bellum? non ne nobis unus est Deus, & unus Christus, & unus gratiæ Spiritus, qui effusus est super nos,

& una

& una vocatio in Christo? Cur deducimur, & distrahimur membra Christi, & contra proprium corpus seditionem movemus, eoq; vesaniæ devenimus, ut nos invicē aliorum membra esse obliviscamur? Recordamini verborum IESU Domini nostri. Dixit enim: *Væ homini illi, bonum erat ei, si natus non fuisset, quàm ut unum ex electis meis scandalizàret.* Schisma vestrum multos pervertit, multos in animi dejectionem, multos in vacillationem omnes nos in tristitiam conjecit, & adhuc persistit vestra dissensio? Sumite Epistolam Beati Pauli Apostoli, quid primum vobis in principio Evangelii scripsit? Profecto in spiritu ad vos literas dedit de se ipso, & Cepha, & Apollo, quia etiam tum diversa in studia scissi eratis. Sed varia illa inclinatio minus peccatum vobis intulit. Propendebatis enim in Apostolos celeberrimos, & in virū ab illis probatum. Nunc vero quinam vos perverterint, & nominatissimi vestri fraterni amoris decus imminuerint, animadvertite. Turpia sunt Dilecti, & Valde turpia, & Christiana conversatione indigna, audiri firmissimam, & antiquam Corynthiorum Ecclesiam, propter unum, aut alterum hominem contra Presbyteros seditionem movere? Atq; is rumor non tantum ad nos pervenit, sed & ad eos, qui nobis animo, ac sententia alieni sunt, adeo, ut propter vestram insipientiam etiam nomini Domini blasphe-

miæ

miæ inferantur, vobis autem periculum creatur. Hoc igitur auferamus celeriter, & Domino accidamus, & plangamus, orantes eum, ut propitius factus, reconcilietur nobis, atq; in decoram, & castam fraterni amoris viam nos reducat, ac restituat; hæc est enim porta justitiæ ad vitã aperta, sicut scriptum est: *hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.* Cum ergo portæ multæ apertæ sint. quæ in justitia, ea & in Christo est, in qua Beati sunt omnes, qui intrârunt, & iter suum in sanctitate, & justitia direxerunt, imperturbate omnia peragentes. Sit aliquis fidelis, sit potens in enarranda cognitione, sit sapiens in sermonum justa dijudicatione, sit in operibus purus, quantò major videtur esse, tantò humilior esse debet, & quærere communem omnium utilitatem, non autem privatam. Qui charitatem in Christo habet, servet Christi mandata, vinculum charitatis Dei quis potest enarrare, magnificentiam bonitatis ejus, quis, ut opportet, eloqui sufficit? Altitudo, ad quam evehit charitas, inenarrabilis est, charitas nos Deo agglutinat, charitas operit multitudinem peccatorum, charitas omnia sustinet, omnia æquo animô fert. In charitate nihil est sordidum, nihil superbum. Charitas schisma non habet, charitas seditionem non movet, charitas omnia in concordia facit. In charitate perfecti omnes evaserunt electi Dei. Sine charitate nihil acceptum est Deo,
in

in charitate nos aſſumpſit Dominus, propter charitatem, quam erga nos habuit, Chriſtus D N. ex voluntate Dei, Sangvinem ſuum pro nobis tradidit, & carnem pro carne noſtra, & animam pro animabus noſtris. Videtis chariſſimi, quàm magna, & admiranda res ſit, charitas, & quod perfectio ejus nequit explicari. Qui idoneus, qui in ea inveniatur, præter eos, quos Deus dignos eſſe voluerit Oremus igitur, & petamus digni haberi, ut in charitate inculpati, citra humanam propenſionem vivamus. Generationes omnes ab Adamo,, uſque in hodiernum diem præteriêrunt, at qui in charitate per gratiam Chriſti consumati ſunt locum habent piorum, qui in viſitatione Regni Chriſti fient manifeſti. ſcriptum eſt enim·[ż]*Ingredere in cubicula tua paululum, quantulumcunque, donec pertrànſeat ira, & furor meus, & recordabor diei boni, & ſuſcitabo vos è loculis veſtris* Beati ſumus Dilecti, ſi præcepta Dei in charitatis concordia fecerimus, ut per charitatem remittantur nobis peccata noſtra. ſcriptum quippe eſt: [a) *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates* Hæc Beatitudo contingit electis à Deo per IESUM CHRISTUM D. N. cui gloria in ſæcula ſæculorum.

[ż) Iſaiæ 26. ℣ 20. [a) Pſal. 31. ℣ 1.

Quotquot igitur per quendam adverſarii illapſum, deliquimus, veniam poſtulemus, qui verò ſeditionis ac diſſenſionis Duces, & Principes fuerunt, debent communem ſpem conſiderare. Qui enim cum timore, & charitate vivunt. ſeipſos incontumelias incidere malunt, quàm proximos, ſeq; ipſos potiùs condemnant, quàm pulchram, & juſtam, quæ nobis tradita eſt, confeſſionem, Nam melius eſt homini confiteri de lapſibus, & peccatis, quam indurare cor ſuum, ſicut induratum eſt cor eorum. qui contra famulum Dei Moyſen ſeditionē fecerunt, quorum condemnatio manifeſta fuit, deſcenderunt enim vivi in infernum, & mors abſcorpſit eos, Pharao, & exercitus ejus, & omnes Præfecti Ægypti, currus etiam, & Equites eorum, non aliam ob cauſam maris rubri profundo immerſi ſunt, & perierunt. quàm quod ſtulta eorum corda indurata fuerunt; poſtquam per famulum Dei Moyſen tot, tantaq; portenta facta fuerant, in terra Ægypti. Nullius rei, Fratres, indigens eſt Dominus omnium, nequidquam deſiderat, præter quam, ut ei fiat confeſſio. Ait enim electus David: (b) *Confitebor Domino, & placebit ei ſuper vitulum novellum cornua producentem, & ungulas.* Noſtis enim & probè noſtis Sacras Scripturas, Dilecti, & pæ-

[b] Pſal. 66. ℣ 31.

& penitus in eloquia Dei introspexistis, illa igitur in memoriam revocate. Cum Moyses ascendisset in montem, & quadraginta dies, noctesq; quadraginta in jejunio, & humilitate transegisset, dixit ad eum Deus: [c] *Surge Moyses descende velociter hinc, quia iniquitatem fecit populus tuus. Vidi populum hunc, & ecce populus dura cervice est, sine me exterminare eos, & delebo nomen eorum de sub Cælo.* Dixit autem Moyses: *neutiquam Domine, remitte peccatum huic populo, vel etiam me dele de libro viventium.* O! magnam charitatem, o! insuperabilem perfectionem, liberè ad Dominum loquitur famulus, remitti plebi rogat, quod deliquit, vel seipsum unà cum illis deleri petit. Quis ergo inter vos generosus, quis misericors, quis charitatis plenus, dicat, *si propter me seditio, & contentio, & Schismata, discedo, abeo quocunque volueritis, & quæ multitudo jusserit, facio tantum ovile Christi in pace degat, cum constitutis Presbyteris.* Qui hoc fecerit, magnum sibi decus in Domino comparabit, & omnis locus eum excipiet. (d) *Domini enim est terra & plenitudo ejus.* Hæc qui Divinam cujus nunquam pænitet, vitam, vivunt, fecerunt, & facient. Ut autem etiam gentium exempla proferamus,

(c) Exodi 32. ℣ 9. [d] Psal. 23. ℣ 2.

multi Reges, & Principes peſtifero tempore ſeviente; cum oraculo admoniti eſſent, ſeipſos morti tradiderunt, ut cives ſuos Sangvine liberarent. Multi à ſuis civitatibus, ne ſeditio amplius duraret, ſeceſſerunt. Multos cognovimus è noſtris, qui ſeipſos in vincula conjecerunt, ut alios redimerent: Multi in ſervitutem ſeipſos dederunt, & accepto pretiô ſui, alios liberarunt. Mulieres multæ per gratiam Dei corroboratæ, hæroica multa geſſerunt. Beata Iudith, cum urbs obſideretur, rogavit ſeniores, ut liceret ſibi in alienigenarum caſtra tranſire, ac ſeipſam periculo tradens, propter charitatem Patriæ, populi obſeſſi, egreſſa eſt, & Dominus Holofernem tradidit in manu fæminæ. Nec minus perfecta ſecundùm Fidem Eſther, periculo ſe objecit, ut duodecim tribus Iſraél jam perituras liberaret. Nam in jejunio, & humilitate precata eſt omnium Effectorem Dominum Deum ſæculorum, qui animi ejus humilitatem cernens, populum liberavit, cujus gratiâ periculis illa ſe obtulerat. Et nos igitur oremus pro eis, qui in aliquod peccatum lapſi ſunt, ut detur illis moderatio, & humilitas, qua non nobis, ſed Dei voluntati cedant, ſic enim ipſis erat fructuoſa, & perfecta, quæ eſt apud Deum, & Sanctos cum miſericordia. recordatio Aſſumamus diſciplinā, juxta quā nemo de-
bet

bet indignari, Dilecti, admonitio, quam invicem facimus, bona est, & per quam utilis, siquidem nos voluntati Dei agglutinat, Sic enim agit sacer sermo: (e) *Quos enim diligit Dominus, corripit.* Et iterum dicit: (f) *Beatus homo, quem arguit Dominus. Monitionem vero Omnipotentis ne renuas.* Videtis Dilecti, protegi eos, qui corripiuntur à Domino, cum enim bonus sit Correptor, vult nos Sancta sua correptione admoneri. Vos ergo, qui seditionis fundamenta jecistis, subditi estote Presbyteris, & correptionem suscipite in pænitentiam, flectentes genua cordis vestri, discite subiici, deponentes arrogantiam, ac superbiam, lingvæ vestræ jactantiam, melius enim vobis est in ovili Christi parvos, & probatos inveniri, quàm altũ sapientes, è spe illius deiici. Ita siquidem dicit; virtutem complectens sapientia (g) *Quoniam vocabam, & non obedistis & extendebam verbum, & non attendistis, sed irrita fecistis consilia mea, & increpationibus meis rebelles fuistis* (h) Inspector omnium Deus, Spirituûm Dominus, & Herus universæ carnis, qui elegit D. IESUM CHRISTUM, & per eum nos in populum peculiarem, det omni animæ, quæ magnificum, & Sanctum nomen ejus invocaverit, Fidem, timorem,

(e) Psal. 117. (f) Iob 5. ℣. 17. (g) Prov. 1. ℣. 13. (h) Tres paginæ hic desunt, avulsæ à manuscripto Græco.

timorem, pacem, patientiam, æquanimitatem, continentiam, puritatem, & temperantiam, ut nomini ejus grata ſit per ſummum Sacerdotem, & Patronum noſtrum, IESUM CHRISTUM, per quem illi gloria, Majeſtas, potentia, honor, & nunc, & in omnia ſæcula ſæculorum Amen. Miſſos autem à nobis Claudium, Ephebum, & Valerium, Vitonem cum Fortunato in pace cum gaudio ad nos brevi remittite' ut citius optabilem, nobiſq; deſideratiſſimam pacem, & concordiam annuncient, quâ & nos de veſtra tranquilitate citiùs gaudeamus. Gratia Domini noſtri IESU CHRISTI ſit vobiſcum, & cum omnibus ubique vocatis à Deo, & per ipſum, per quem ei gloria, honor potentia, Majeſtas, ſolium æternum à ſæculis, in ſæcula ſæculorum Amen.



EPI-



✠†*†✠

EPISTOLA S. CLEMENTIS

Secunda ad Corynthios

FRatres ita ſentire nos oportet de IESU CHRISTO, tanquam de Deo, tanquam de Iudice vivorum, & mortuorum, nec decet nos humilia ſentire de ſalute noſtra. Dum enim humiliter de illo ſentimus, parva etiam nos accepturos, ſperamus, & dum tanquam exigua audimus, peccamus, neſcientes, unde vocati ſumus, & à quo, & in quem locum, & quanta ſuſtinuit pro nobis IESUS CHRISTUS pati, Quam igitur ipſi rependemus remunerationem, aut quem fructum reddemus dignum iis quæ dedit nobis. Quanta verò ei debemus pia? Nam lucem nobis largitus eſt, tanquam Pater filios nos appellavit, pereuntes nos ſervavit. Qualem ipſi laudem tribuemus, aut mercedem, qua compenſemus, quæ accepimus, qui mente eramus obſcuri, & adorabamus lapides, ligna, aurum, argentum, atq; æs, hominum o-

pera, & tota vita noſtra nihil aliud erat, quàm mors. Obſcuritate itaq; circumdati, & tali caligine plenum habentes viſum, reſpeximus eam nebulam, qua cingebamur, illius voluntati deponentes, Nam miſeratus eſt, nos, & viſceribus commotus, ſalvos nos fecit, cum vidiſſet in nobis multum errorem, atq; interitũ, nec ullam nos habere ſpem ſalutis, præter eam, quæ ab ipſo eſt. Vocavit enim non, cum nos eſſemus, & ex eo, quod non erat, nos eſſe voluit. (h) *Lætare ſterilis, quæ non paris, erũpe, & clama, quæ non parturis, quia multi filij deſertæ magis, quàm ejus, quæ habet virum.* Quod dixit: *lætare ſterilis, quæ non paris,* nos dixit, ſterilis quippè erat Eccleſia noſtra, antequam ei dati eſſent liberi. Quod vero dixit, *clama, quæ non parturis,* hoc dicit, preces noſtras ſimpliciter ad Deum proferre nos, ut parturientes deſinamus. Quod autem dixit: *quia multi filii deſertæ.* Quandoquidem populus noſter à Deo deſertus eſſe videbatur, nunc autem cum credidimus, plures facti ſumus iis, qui Deum habere cenſebantur. Alia quoque ſcriptura dicit: [i] *quia non veni vocare juſtos, ſed peccatores,* hoc eſt: quia debeat pereuntes ſalvare. Illud ſiquidem magnum, & admirabile eſt, non quæ ſtant,
ſed

(h) Iſaiæ 54. ỳ i. (i) Math. 9. ỳ 13.

ſed quæ cadunt, fulcire. Ita CHRISTUS pereuntia voluit ſalvare, & ſervavit multos, dum venit, dumq; nos iam pereuntes vocavit. Cum igitur tantam erga nos miſericordiam fecerit, primò quidem quod nos, qui vivimus, Diis mortuis non ſacrificamus, nec adoramus eos, ſed per ipſum agnovimus veritatis Patrem. Quænam hæc agnitio ad ipſum, niſi eum, per quem ipſum cognovimus, non negare, ipſe vero etiam ait: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Hæc igitur merces noſtra, ſiquidem confiteamur eum, per quem ſervati ſumus. Quânam autem re illum confitebimur? faciendo, quæ dicit, & mandata illius non ſpernendo; eumq; non labiis tantum, ſed ex toto corde, & ex tota mente honorando, dicit quippe Iſaias: [k] *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe abeſt â me.* Ne igitur ipſum Dominum duntaxat vocemus, id enim non ſalvabit nos, ſiquidem ait: [l] *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, ſalvabitur, ſed qui facit juſtitiam.* Itaq; Fratres operibus, ipſum confiteamur, alii alios diligendo, non adulterando, neque obtrectando in vicem, neque æmulando, ſed vivendo in continentia, miſericordia, & bonitate, & mutua commi-

 ſeratio

[k] Iſaiæ 29. ℣ 13. [l] Math. 7 ℣ 21.

ſeratione moveri debemus, & non pecuniæ cupiditate duci. Bonis operibus confiteamur Deum, non autem contrariis. Nec timendi ſunt homines, ſed potiùs Deus. Idcirco hæc facientibus nobis dixit Dominus: Si fueritis mecum congregati in ſinu meo, & non feceritis mandata mea abiiciam vos, & dicam vobis: *Diſcedite à me: neſcio vos unde ſitis, Operarii iniquitatis.* Unde Fratres, derelicto mundi hujus incolatu, faciamus voluntatem ejus, qui vocavit nos, ac de hoc mundo exire non timeamus, ait enim Dominus: Timete eum, qui poſtquàm mortui fueritis, habet poteſtatem animæ, & corporis, ut mittat in gehennam ignis. Et ſcitote Fratres. quod peregrinatio carnis hujus in hoc mundo brevis eſt, modici corporis, promiſſio autem Chriſti magna, & admirabilis eſt, atq; requies ſyderei Regni, & vitæ æternæ. Quid igitur faciendo, ea conſequi poterimus? niſi Divinè, & juſte vivendo, & mundana hæc, tanquam aliena ducendo, nec illa concupiſcendo. Dum enim ipſa concupiſcimus poſſidere, excidimus à via juſta. Dixit autem Dominus, [m] *Nullus ſervus poteſt duobus Dominis ſervire.* Si nos volumus & Deo ſervire, & mammonæ, inutile nobis eſt, nam quæ utilitas *ſi quis universum*

verſum

[m] Math. 6.

versum mundum lucretur, atq; animæ Damnum faciat! Hoc porrò sæculum, & futurum, duo sunt inimici, illud prædicat adulterium, corruptelam, avaritiam, & fraudem, hoc vero istis nuncium remittit. Non ergo possumus amborum amici esse, oportet autem, ut illi valedicentes, hôc utamur. Putemus melius esse, quæ hic sunt odisse, quia parvi, & exigui temporis, & corruptioni obnoxia sunt; illa autem diligere, quæ bona sunt, & incorrupta. Facientes enim Christi voluntatem, inveniemus requiem, sin minus, nihil nos ab æterno supplicio eripiet, si mandata illius contemnamus. Dicit autem & Scriptura in Ezechiele: [n)*Si Iob, & Nôé & David resurgant, non liberabunt filios in captivitate.* Quod si viri adeo justi non possent justitiis suis, liberare filios suos nos, nisi Baptisma purũ, & immaculatum servaverimus, quâ fiducia intrabimus in Regnum Dei, aut quis erit advocatus noster, si operibus piis, & justis carere inveniamur? Quocirca Fratres mei, certemus, scientes, quod præ manibus est certamen, quodq; ad corruptibilia certamina appellunt multi, sed non omnes coronantur, nisi qui plurimum laboraverint, & præclare certaverint. Nos igitur certemus, ut omnes coronemur. Ergo curramus

N2 viam

[n] Ezech. 14. ℣ 20.

viam rectam, certamen conferamus incorruptum, & multi ad ipsum appellamus, atq; certemus, ut & coronemur, & si non possumus omnes coronari, saltim proximi coronæ accedamus. scire nos oportet, eum, qui certamen corruptibile certat, si corrumpere, ac peccare inveniatur, flagellatum auferri, & extra stadium proiici. Quid autem putatis passurum, qui incorruptionis certamen corruperit? De iis enim, qui sigillum non servaverint, ait: [o] *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extingvetur, & erunt invisionem omni carni.* Quamdiu ergo versamur in terra, pænitentiam agamus. Lutum quippe sumus in manu Artificis, quemadmodum enim figulus, si fuerit vas, quod in manibus suis distortum, aut contritum fuerit, illud refingit. Sin veró anteoccupans, in fornacem ignis illud miserit ,non amplius poterit suppetias ipsi ferre: ita & nos quamdiu sumus in hoc mundo, malorum, quæ in carne gessimus, ex toto corde pæniteat, ut à Domino salvemur, dum pænitentiæ tempus suppetit. Postquam enim è mundo migravimus, non amplius possumus ibi exomologesim, aut pænitentiā adhuc agere. Quare Fratres voluntatem Patris facientes, carnemq; servantes castam, & mandata Domini custodientes, vitam consequemur æternam. Ait quip-

pè

[o] Isaiæ 66, v 24.

pè Dominus in Evangelio: (*p*) *Si parum non servâstis, quis majus vobis dabit*, dico enim vobis: *qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis erit.* Hoc ergo dicit, servate carnem castam, & sigillum incontaminatum, ut vitam æternam recipiatis. Et nemo vestrum dicat, quod hæc caro non judicatur, neque resurgit, agnoscite, in quo servati estis, in quo visum recepistis; nisi dum in hac carne estis constituti. Nos ergo oportet, carnem, tanquâm Templum Dei custodire. Quemadmodum enim in carne vocati estis, ita & in carne venietis. IESUS CHRISTUS Dominus, qui nos servavit, cum primum esset Spiritus, caro factus est, & sic nos vocavit, ita etiam & nos in hac carne mercedem accipiemus. Diligamus igitur nos invicem, ut veniamus omnes in Regnum Dei. Donec tempus habemus, in quo sanemur, demus nos Medico Deo remunerationem ipsi tribuentes. Quam? pænitentiam ex sincero corde. Nam præscius omnium est, & quæ in corde nostro versantur, novit. Demus itaq; illi laudem, non ex ore solum, sed etiam ex corde, ut nos tanquam Dei filios suscipiat. Etenim Dominus dicit: [*q*] *Fratres mei sunt ii, qui faciunt voluntatem Patris mei.* Itaq; Fratres mei, faciamus voluntatē

Patris

[*p*] Lucæ 16. [*q*] Math. 12.

Patris, qui vocavit nos, ut vivamus, & ſequamur potius virtutem, vitium autem, derelinquamus, veluti præcurſorem ſuppliciorum noſtrorum, & fugiamus impietatem, nè nos mala comprehendant. Nam ſi bona agere ſtuduerimus, conſectabitur nos pax. Eam ſiquidem ob cauſam non eſt reperire hominem, quilibet enim humanis ducuntur timoribus præponentes voluptatem præſentem promiſſioni futuræ. Ignorant enim, quantum tormentum habeat præſentium uſus, & quantas habeat delicias futura promiſſio. Et quidem ſi illi iſta facerent ſoli, tollerabile eſſet, jam verò perſeverant inſontes, animas pravis doctrinis imbuere, neſcientes, quod duplicem habeant condemnationem, & ipſi, & qui audiunt eos, Nos ergo in corde mundo ſerviamus Deo, & erimus juſti. Si autem non ſerviêrimus, quia fidem non habemus promiſſioni Dei, erimus miſeri. Dicit enim ſermo Propheticus: *Miſeri ſunt qui animo duplices, & corde incerti ſunt.* Ita & populus meus agitationes, & preſuras tulit, dehinc excipiet bona. Itaq; Fratres mei, animô ne vacillemus, ſed ſperantes ſuſtineamus, ut & mercedem reportemus. Fidelis enim eſt, qui promiſit ſe redditurum unicuique ſecundùm opera ejus. Si ergo fecerimus juſtitiam coram Deo, ingrediemur in Regnum ejus, & accipiemus promiſſi-

missiones, quas nec auris audivit, nec oculus vidit, neque in cor hominis ascenderunt. Igitur in horas Regnum Dei expectemus, in charitate, & justitia, quandoquidem adventus Dei diem nescimus. Interrogatus enim ipse Dominus à quodam, quando venturum esset Regnum ejus, dixit: *Cum duo erunt unum, & quod foris, & quod intus, & masculus cum fœmina, neque mas neque fœmina.* Duo autem sunt unum, quando alter ad alterum sequimur veritatem, & in duobus corporibus sincerè, ac sine simulatione fuerit anima una. Et quod foris & quod intus, hoc dicit, animam vocat *quod intus*, & corpus, *quod foris.* Quando igitur corpus tuum conspicuum est, ita & anima tua manifesta sit in operibus bonis. & masculus cum fæmina, hoc dicit: (*) Animum ejusq; impetum vocat: *masculum*, concupiscentiam intelligit: *femellam.* Cum igitur quis neq; animo, neq; concupiscentiæ obsequitur, sed potius depulsa Caligine hinc oborta, pudore suffusus per pænitentiam Spiritum, & animam unierit in obedientia rationis, tunc nec inest nobis mas nec fæmina.

Hucusque definit esse integra altera Clementis Epistola, quam veluti naufragantis fortunæ Tabulam, longis jactatam casibus, ex orientis partibus ad Romanũ portum reversam, unde ordinata Corynthum fuerat, rece-

(*) Supplet Clemẽs Alexãdrinus in libro 3. strommatũ qui legit totã Epistolã.

recepimus, saltim hoc fragmentô contenti simus, qui ejus integritate destituti sumus. Sunt quidem & alia plura opera, quæ Clementis nomen, non manum præferunt, inter quæ est Epistola sub ejus nomine ad Iacobum Fratrem Domini, De officio Cleri, ad Iulium, & Iulianum, suos Discipulos, De communi vita, Epistola Encyclica de virginitatis puritate, Canones Apostolorum 85. Constitutiones Apostolorum libris 8. comprehensæ. Recognitionum libri 20 Homiliæ Clementinæ. Disputatio Petri cum Simone Mago. Epithome Clementina. Commentaria in Sacrosanctas utriusque testamenti scripturas, teste Sixto Senensi in Bibliotheca Sancta. Testatur quoque Cotelerius, se invenisse titulum in Cathalogo MSS. Ecclesiæ S. Petri Bellovacensis. Sermo S. Clementis Papæ in Petri Apostolorum Principis sessione, qua Cathedram instauravit Antiochiæ Ioannes verò Michäél Vanslebius Ordinis Prædicatorum memorat Epistolam Petri ad Clementem lingvâ Æthiopica scriptam. *Kitab asrar à Climentos*, in Ecclesia Æthiopica legi solitam. De his tamen non aliud ferimus judicium, nec in illis discutiendis longiorem moram insumimus, nisi hæc omnia partim fuisse conficta à Græcis, partim vitiata ab Hæreticis, ut suorum errorum pretium, & commendationem sub

tanti

tanti Pontificis nomine aucupari possent. Merito igitur ab omnibus Reipublicæ literariæ viris inter apocrypha, & commentitia reiiciuntur, licet Canones Apostolorum & constitutiones aliquæ receptæ sint, incertũ tamen est, quo Authore, & tempore conscriptæ sint. Optimam operam in his vulgandis navavit Cotelerius socius Sorbonicus, quæ ex Græco in latinum vertit, & suis observationibus illustravit Epistolam ad Hebræos Pauli Apostoli, teste S. Hieronymo, & aliis ex Hæbraico in latinum vertit Clemens. Unde colligimus, Clementem fuisse peritissimum lingvæ latinæ patriæ, Hæbraicæ & Græcæ.



DOCTRINA

APOSTOLICO ANGELICA CLEMENTINO THOMISTICA

Ex Epiſtolis geminis

S. CLEMENTIS PAPÆ

COLLECTA

1. S. CLEMENS dicit: *In DEI legibus ambulabatis.*
Chriſtianis enim primis leges Dei non fuerunt ad ſervandum impoſſibiles, quam impoſſibilitatem falſò aſſerunt Lutherani.

2. Dicit. *Dei viatico contenti eratis.* Innuit S. Pater Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quia CHRISTUM Deum & hominem realiter continet, atque viatores ducit ad Patriam.

3. Dicit: *Paſſiones illius præ oculis veſtris erant.* Docet S. Pater dari in CHRISTO communicationẽ idiomatum

tum in concreto; quia cùm CHRISTUS ratione naturæ humanæ pateretur, passiones CHRISTI ut hominis, erant passiones Dei propter idiomatum communicationem.

4 Dicit: *Petrus Martyr effectus, discessit ad debitū gloriæ locum.* Habent Acatholici testimonium coævi Scriptoris de Martyrio Apostoli Petri ideo desinant derogare gloriam Martyrii tanto Apostolo.

5 Dicit: *His viris, qui Divinam vitam duxerunt, aggregata est ingens Electorum multitudo, qui multas contumelias, multaq; tormenta propter æmulationem passi.* Possumus imitari exempla Sanctorum, vitia propria domando, nec sumus necessitati ad peccandum, ut dicit Lutherus. Videant magnam multitudinem Electorum, qui paucitatem Martyrum objiciunt Ecclesiæ, contra quos scripsit Ruinartius.

6 Dicit, *Sangvinem CHRISTI intentis oculis intueamur & quam pretiosus sit Sangvis Deo, consideremus, qui propter nostram salutem effusus, toti mundo pœnitentiæ gratiam obtulit.* Docet Sanctissimus Pater *1mo*: CHRISTUM Dominum pretiô Sangvinis sui condignam exhibuisse satisfactionem Deo pro peccatis totius naturæ humanæ. *2do* Satisfactionem CHRISTI fuisse valoris simpliciter infiniti.

 3tio

3tio Si Sangvis CHRISTI propter noſtram ſalutem eſt effuſus, CHRISTUS ex vi præſentis Decreti non veniſſet, ſi Adam non peccaſſet. 4to CHRISTUS non veniſſet ſolis actualibûs peccatis exiſtentibus, non exiſtente originali 5to Si Sangvis CHRISTI toti mundo pænitentiæ gratiam obtulit, CHRISTUS pro omnibus hominibus quò ad ſufficientiam pretii mortuus eſt, licet quo ad efficaciam pro ſolis electis.

7 Dicit: *Dominus IESUS venit in humilitate.* CHRISTUS ante paſſionem ſuam habuit pulchritudinem ſummam corporis, quæ ejus ſtatum decebat.

8 Dicit: *IESUS CHRISTUS à Deo miſſus eſt.* Ergo verus Meſſias à Prophetis promiſſus jam venit, illeq; eſt IESUS CHRISTUS.

9 Dicit: *Conſideremus dilecti, quemadmodum Dominus futuram Reſurrectionem nobis continuò oſtendat, cujus primitias Dominũ IESUM CHRISTUM fecit, quem à mortuis ſuſcitavit.* Generalis reſurrectio mortuorum eſt dogma fidei, ante hanc CHRISTUS ſecundùm Carnem primus ad immortalem vitam reſurrexit

10 Dicit: *ab illo* (: Iacob :) *Dominus IESUS ſecundùm carnem.* CHRISTUS enim Carnem aſſum-

pſit

psit ex Beata Virgine, quæ est vera Mater Dei, & Virgo perpetua desponsata Beato Iosepho, & matrimonio juncta ante legationem Angeli.

11 Dicit: *Nonne nobis unus est Deus & unus CHRISTUS & unus gratiæ Spiritus, qui effusus est super nos.* Hoc testimoniô Clementis usus est Sanctus Basilius Magnus contra Arium, Trinitatis Divinæ mysterium defendens. Hinc patet in CHRISTO esse unam Personam, duas vero naturas; Divinam & humanam, duas quoque voluntates & operationes. Unio tamen naturæ humanæ facta est immediatè in Persona Divina, quæ unio non est entitas modaliter & realiter distincta, sed Verbum Divinum immediatè unitum est humanitati.

12 Dicit: *CHRISTUS Dominus N. ex voluntate Dei Sangvinem suum pro nobis tradidit, & Carnem pro carne nostra, & Animam pro Animabus nostris.* Ex his Sancti Patris Verbis colligimus *1mo* quod Sangvis naturalis fuit hyppostaticè unitus Divino Verbo, non verò Sangvis nutrimentalis. *2do* CHRISTUS habuit verum Corpus humanum & fuit verus Deus & verus homo. *3tio* Humanitas CHRISTI habuit existentiam Divinam non verò propriam creatam. *4to* Anima CHRISTI habuit omnes

mnes virtutes morales infusas, gratiam habitualem, sine illa tamen potuit CHRISTUS mereri de potentia absoluta, sine gratia vero auxiliante non potuit mereri præmium supernaturale, etiam de potentia Dei absoluta.

13 Dicit: *Ita sentire nos oportet de IESV CHRISTO tanquam de Deo, tanquam de Iudice vivorum & mortuorum. IESVS CHRISTVS Dominus, qui nos servavit, cùm primum esset Spiritus Caro factus est.* CHRISTUS enim ratione naturæ Divinæ priùs extitit, quàm nasceretur ex Beata Virgine Maria, adeoque est verus Filius Dei naturalis & Beatæ Virginis.

14 Dicit: *Quanta sustinuit pro nobis IESVS CHRISTVS pati.* Annô, quo passus est CHRISTUS, pascha celebravit Die 14. Mensis Nisan instituitq; Sacramentum Corporis sui in pane azymo.

CAPUT V.

De Martyrio S. Clementis.

REctè judicavit Solerius, Clarissimus Bollandi socius in notis ad Martyrologium Hieronymi, notissima es-

ſe Clementis acta, ſed ad tuendam omnino eorum ſinceritatem, brevia occurrunt, ſcopuli & ſyrtes in mari magno, quod poſteris ſuis enatandum reliquit. Huic tamen mari periculoſo me committo hujus Martyris munitus anchorâ. Hic ergo Vir Sanctus, ut ait Trithemius de ſcrip. Eccl. & Deo dilectus, morum quoque decore ornatus ita fuit, ut Iudæis, gentibus & omnibus Chriſtianis populis placeret. A Chriſtianis enim ideo maximè diligebatur, ut referunt acta MSS. in codice 112. in Archivio Bibliothecæ Caſſanatenſis aſſervata, quoniam ſingularum Regionum inopes nominatim habebat ſcriptos, & hos quos Baptiſmatis ſanctificatione mundaverat, non ſinebat publicæ mendicitati eſſe ſubjectos. Mediocres ac Divites admonebat, ne paterentur baptizatos pauperes, à Iudæis, & gentilibus ſtipem publicam poſtulare, & vitam Baptiſmatis conſecratione mundatam, donis gentilium inquinari. His, & aliis donis pollens, & Deo & hominibus complacebat. Cum incredibili pietate, morum ſvavitate, omnium effectus, conciliaret ſibi, nam ut ſcribit Gvilhelmus Pepinus: *B. Clemens erat, faciem habens gratioſam, & verba dulciora ſuper mel, & favum, inſuper habebat greſſum gravem, & honeſtam morum compoſitionem, quæ omnia indicabant interiorē animi diſpoſitionem & innatam manſvetudinem;* Gravis ſeditio

in eum exarſerat in populo Romano, commota à Comite Sacrorum Publio, Tarquinio, ideo ad Tribunal Urbis Præfecti Mamertini perductus, optione ſibi data per literas Imperatoris Trajani, potius elegit longum exilium ſubire, quam thus adolere Idolis. Itaq; ablegatus ultra pontum in Cherſonam, ad ſecanda marmora damnatus eſt. Ubi cum reperiſſet plures Chriſtianos eidem ſupplicio addictos pro Chriſti confeſſione, ſitim patientibus, remonſtratum ſibi Divinitùs agni apparentis ſigno limpidiſſimum fontem à Deo obtinuit. Quo miraculo cum plures ad Fidem convertiſſet, Idola evertiſſet, alligatâ ad ejus collum anchorâ in medio maris demerſus eſt ab Aufidiano Præſide. Revelavit tamen Deus Martyris ſui corpus, nam mare ad tria miliaria receſſit ubi inventa eſt ædicula marmorea miraculosè fabricata, intùs verò arca marmorea, in qua ſacrum corpus conditum fuerat, & juxta Arcam anchora, quâ merſus fuerat, inventa eſt.

Sunt tamen moderni Acatholici, & rigidiores Critici, qui Martyrio Clementis fidem denegant, eumq; immeritò Martyribus annumerari dicunt, horum agmen ducit Ioannes Pearſonius, Dodvvellus, Samuel Baſnagius, Caveus, Ioannes Clericus, illos ſequuntur Tillemontius, Bailetius, Honoratus à S. Maria, & alii,

quorum argumentis antequam satisfiat, veritatem Martyrii Clementis vindicare aggredimur, ut probemus testimoniis veterum Patrum S. Clementem semper veneratum fuisse, uti Martyrem consumatum, & vindicatum.

Zozimus Papa Anno 414 Romæ in Basilica S. Clementis [r] celebrato concilio contra Celestium Hæreticum, in Epistola 3 ad Affricanos ita scribit: *Die cognitionis resedimus in S. Clementis Basilica, qui imbutus B. Petri Apostoli disciplinis, tali Magistro veteres emendasset errores, ratosq; profectus habuisset, ut Fidem, quam didicerat, & docuerat, etiam Martyrio consecraret, scilicet, ut ad salutiferam castigationem tanti Sacerdotis Authoritas, præsenti cognitioni esset exemplo*: Unde Zozimus dicit: *Clementem fuisse Martyrem consummatum, quia Fidem Martyrio consecravit.* dicit *& Martyrem vindicatum, quia ejus Basilicam elegit pro celebrando Concilio, in qua ei ab antiquo cultus delatus fuit.* Huic argumento obiiciunt, Zozimum fuisse credulum nimis, facilemq; aurem præbuisse iis, quæ ipsi obtrudebantur, nam Celestium scelestissimum Hæreticum absolvit, judicavitq; innocentem. Audiant tamen S. Augustinum, qui *lib.* 2. ad Bonifaci-

 um

[r] Tomo 2. Conciliorum, Pag. 1559.

um *Cap.* 1. dicit Zozimum quidem benignitate usum fuisse, minimè vero approbâsse errores Celestii, ita enim loquitur: *Quidquid interea lenius actum est cum Celestio, servata duntaxat antiquissima & robustissima fidei firmitate, correctionis fuit Clementissima suasio, non approbatio exitiosissima pravitatis.* Quis verò obtrudit Zozimo, ut eligeret Basilicam S Clementis? non ne quia sciverat imbutum fuisse doctrinâ Apostoli Petri? quia fidem Martyriò consecravit Clemens? quod ex antiquissima fidei firmitate, & ex cultu Clementi publicè ab Ecclesia delato, uti vero Martyri indubitatum habuit Zozimus.

S. Leo Magnus, summus Pontifex [*f*] in Concilio Vasensi, Annô 442. Canone 6. inquit: *Ex Epistola S. Clementis, utilia quaque prasenti tempore Ecclesiis necessaria, sunt honorificè proferenda, & cum reverentia ab omnibus fidelibus, & pracipuè Clericis percipienda. Propter venerandam antiquitatem statutis prasentibus roboramus, quod supra scriptus Beatus Martyr, de Beatissimi Petri institutione commemorat.* Deinde Epistola 24. ad Flavianum, meminit S Leo cujusdam *Renati Presbyteri S. Clementis.* Ergo si S. Leo appellat S. Clementem Beatum Martyrem

(*f*) Tomo 3. Conciliorum Pag. 1458.

tyrem, Clemens eſt Martyr vindicatus. Si meminit Renati Præsbyteri S. Clementis, ergo jam ante ætatem S. Leonis gaudebat titulô Præsbyteri Eccleſia S. Clementis Romana, ſed tituli Eccleſiarum inde vocati ſunt, quia ante fores Eccleſiæ pendebant quædam vela, ubi aut imago, aut nomen Martyris depictum erat, ut ſcribit S. (t) Gregorius Turonenſis, & S. Paulinus; ergo indicat S. Leo Clementem verum fuiſſe Martyrem vindicatum. Hic autem Titulus S. Clementis, ſuper alios Urbis Titulos eminebat, quia alii Tituli Eccleſiarum unum, vel duos Præsbyteros habebant, ille vero tres ſimul habebat, quorum meminit in ſuo Apoſtolico Diplomate S. Gregorius Magnus, ut videre eſt in lapidea tabula, in Baſilica SS. Ioannis & Pauli poſita: Quocirca ait S. Gregorius: *Satis conſtat de tribus illis Tituli S. Clementis Præsbyteris, qui in Concilio Romano ſimul interfuerunt, Petrum tantum ut Cardinalem, ſeu Principalem Præsbyterum Titulo præfuiſſe; Urbicum verò Archipræsbyteri obiiſſe munus, & ſervum Dei, velut minorem Præsbyterum Tituli miniſterio operam navâſſe.*

S. Hieronymus Maximus Eccleſiæ Doctor in Cathalogo ſcriptorum illuſtrium, tali elogiô exornat S. Cle-

(t) Ludovicus Thomaſinus Parte 2. de Beneficiis lib. 2. Cap. 21. & 98.

Clementem? *Obiit tertiô Trajani annô & nominis e-*
jus memoriam usq; hodie Romæ extructa Ecclsia cu-
stodit. Ergo Ecclesia S. Clementis antiquior est ipso
Hieronymô, nam illa particula, *usque hodie*, indicat
longum tempus ante elapsum. Ergo & cultus S. Cle-
menti delatus antiquior fuit Hieronymô, sed Ecclesiæ
non dicabantur quarto, aut quinto sæculo, nisi solis
Martyribus vindicatis, ut testatur Innocentius Papa III.
Cap. 3. de mysterio Missæ, dicens: *Sedes Episcopales,*
quæ juxta dispositionem B. Petri Apostoli sunt in ci-
vitatibus singulis antiquitus constructæ non in memo-
riam Confessorum, sed ad honorem Apostolorum, &
Martyrum, & præcipuè B. Mariæ Virginis, veterum
devotio dedicavit. In Concilio autem Transfordiensi
anno 794. Canone 72. sic statutum fuit: *ut nulli no-*
vi Sancti colantur, aut invocentur, nec memoriæ eorú
per vias erigantur, sed hi solum in Ecclesia veneran-
di sunt, qui ex Authoritate passionum, & vitæ meritô
electi sunt. At qui S Clementi à primis sæculis Eccle-
siæ Episcopales erectæ sunt, nam antiquissimam in sub-
urbibus Parisiensibus Ecclesiam, ubi Episcopi Parisi-
enses sepeliebantur in memoriam, quod S. Dionysius in
ejusdem cryptis latebat, suo nomini dedicatam habu-
it, ut testatur Andreas Du Saussay, de mysticis Galliæ Scri-
ptoribus

ptoribus, Pag: 487. Deinde in monte Martyrum Parisiis, ubi S. Dionysius passus fuisse traditur, in Catacumbis repertum est lapideum Altare anno 1611. in quo hæc nomina inscripta legebantur: *Martyribus, Clementi, Dionysio*, ut scribit Binetus Pag: 10. in vita S Dionysii. Tum etiam Episcopalis Ecclesia Veletrensis, quæ primó Cardinalium Decano, & Episcopo semper gloriatur, S Clementi ab antiquo dedicata fuit, ut testatur Gaudericus Episcopus Veliternus ad Ioannem VIII. Papam scribens: *Cum ego.* inquit, *valde inutilis hujus eximii Martyris Christi Ecclesiæ, apud Veliternum oppidum sitæ præfuerim*: Unde ut loquar verbis sacris, Lucæ Cap. 19. *si tacere voluerimus*, [Martyriũ Clementis] *lapides ipsi clamabunt*. At ut rectè fatetur, Acatholicus licèt, Samuel Basnagius: *Mentibus magis, quam lapidibus, tanti Viri nomen florebat*. Deinde Hieronymus refert testimonium Ruffini Aquileiensis, *lib.* 2 Apologiæ adversus Ruffinum, *Pag.* 512. in hæc verba: *Clemens Apostolorum Discipulus, qui Romanæ Ecclesiæ post Apostolos, Episcopus, & Martyr fuit*. Ex quo colligo, Hieronymum acerrimé redarguisse semper Ruffinum Origenis defensorem: at si Ruffinus falsò asseruisset Clementis Martyrium, Hieronymus de hoc quoque arguisset Ruffinum, ergo, quia Hieronymus

mus non reprehendit illum ob allatum Clementis Martyrium, ita enim dicit: *si tibi diceretur, quos habet Origenes in hæresi socios, rectè ista proferres, nunc à te quæritur, hæc, quæ in Origenis libris scripta reperiuntur, bona sint, an mala, taces, & pro his alia loqueris; Clemens hoc ait:* Ergo si Hieronymus affirmat, & non renuit testimonium Ruffini de allato Clementis Martyrio, pro indubitato illud habuit Hieronymus. At inquiunt contrarii: Ruffinus minori pollebat ingenii accuratione, quia libris recognitionum à se in latinum ex Græco conversis dabat fidem: Ruffinus tamen non asseruit Clementem Martyrem ex Recognitionibus, tum, quia in illis nulla fit mentio de morte Clementis, fingitur enim ibi Clemens loqui de se ipso, at de sua morte scribere non posset, nisi post mortem. Tum etiam, quia, ut observat Cardinalis Baronius ad annum 102. appendix illa de Martyrio Clementis non est Ruffini, sed alterius Scriptoris, qui eam ex actis Passionis Clementis mutuatus est, quam Perionius latinitate donavit, Cotelerius vero eam dicit à Metaphraste appositam. Tum denique, quia Ruffinus non dabat fidem iis, quæ continentur in Recognitionibus, ita enim ait *lib.* 2. de adulteratione librorum Origenis ad Macarium: *Quid quæso de his sentiendum, quod Apo-*

sto-

ſtolicus Vir, imò penè Apoſtolus, non ea ſcribit, quæ Apoſtoli dicunt? Cui Apoſtolus Paulus teſtimonium dedit, dicens: Cum Clemente *&c: quorum nomina ſunt in libro vitæ, & ſcribebat hoc, quod libris vitæ contrarium eſt?* Rectè Ruffinus infert, Clementis nomen in libro vitæ ſcriptum dicitur ab Apoſtolo, ergo non decuit Clementem ea ſcribere, quæ ſunt libris vitæ contraria: ergo non agnovit pro genuino Clementis partu libros Recognitionum, adeoq; Ruffinus aſſeruit merito Clementem Martyrem ex publicâ Eccleſiæ acceptione, quæ in manifeſtatione cultûs à primis ſæculis S. Clementi delati conſiſtit.

Magni momenti quoque teſtimonium ipſa ſacra Romana Eccleſia dat de ejus Martyrio, cum S. Clementem in canone Miſſæ inter Sanctos Martyres commemoret, *Memoriam venerantes Beatorum Apoſtolorum, ac Martyrum tuorum Lini, Cleti, Clementis.* Canon vero Miſſæ antiquiſſimus eſt, ut ait ſacrum Concilium Tridentinum *ſeſſione 22. Cap. 4. Eccleſia,* inquit *Catholica Sacrum Canonem multis ante ſæculis inſtituit.* Ut enim obſervat ſapientiſſimus Pontifex Benedictus XIV. de ſacrificio Miſſæ *lectione 1. Pag. 81.* Canon antiquior eſt ſæculô quarto, cùm in illo nulli Confeſſores, niſi ſoli Martyres nominentur, labente vero ſæculô quarto, cul-

tus

tus Confessoribus delatus fuerat, ut docet Innocentius III. S. Bonaventura, Cardinalis Bona; atq; in Canone positi sunt soli Maryres consumati, & Vindicati, ita enim docet S. D. N. Benedictus XIV. *lib.* 1 de Canonizatione Sanctorum *Cap.* 2. *de hisce*, inquit, *Martyribus vindicatis intelligenda sunt primorum sæculorum monumẽta, quæ Religiosi cultûs exhibitionẽ erga Martyres præseferunt:* paulo vero inferius docet, quod *nulli putativo Martyri Religiosus cultus exhibebatur.* Ergo quia S. Clemens in Canone ponitur, Vindicatus Martyr censendus est, non solum autem Ecclesia Romana in suo Canone Clementem Martyribus annumeravit, sed etiam orientales Ecclesiæ in suis Liturgiis ejusdem nomen Martyribus adscripserunt ut in Liturgiis Græcorum, Iacobitarum, S. Marci S. Ioannis Acemati, in Æthiopica, Arabica, ubi inter Martyres singulari Elogiô invocatur S. Clemens. Licèt verò in Ambrosianæ Missæ Canone, & in aliis quibusdam, mentio quoque fiat Confessorum, hujusmodi tamen additiones sũt tantum quarundam Ecclesiarum, ut ait Eminentissimus Cardinalis Lambertinus, nunc summus Pontifex Benedictus XIV. constans tamen semper fuit in eo Romana Ecclesia, ut B. Virginis, Apostolorum, & Martyrum nomina retineret. Horum Martyrum nomina sunt: Linus Cletus, Clemens, qui S. Petro Synchroni. Co-

adjutores, & Successores fuerunt. Hinc etsi Ioannes Apostolus ponatur in Canone, & non sit consummatus Martyr, quia in ferventis olei dolium missus, Calicem Domini promissum biberat, à morte tamen violenta præservatus fuerat; tamen Ioannes in Canone positus est, ut Apostolus cum Apostolis, non autem ut Martyr, ut docet Innocentius III. S. Bonaventura, & Benedictus XIV. illi enim, qui licèt multa passi fuerant, non tamen consumarunt Martyrium, minime in Canone recensentur. Hujus rei exempla sunt in S. Thecla Fæminarum Prothomartyre, quæ ideo in Canone locum non habet, quia ut advertit eruditus Bailetius, tormentorum vi non fuit mortua, sed post tormenta, quæ passa fuit, in pace quievit, S. Sylvester non nominatur in Canone, licet passus fuerat, quia ut ait *S. Thomas in 4. sententiarum, Dist: 49. articulo 3. sicut patet de Beato Sylvestro, de quo non solenizat Ecclesia, sicut de Martyre, quia in pace vitam finivit, quãvis prius aliquas passiones sustinuerit.* Deinde ut scribit Eusebius *lib. 1. Hist: Eccl: Cap. 2.* Christiani, qui post tormẽta supervivebant, renuebant appellari Martyres dicentes. *nos abjecti. tantũ Christi nominis Confessores* Opponunt contrarii aliquos Sanctos, qui tum in Canone ponuntur, tum etiam de illis, ut de Martyribus

Ecclesia Missas, & officia celebrat, qui tamen usque ad mortem non fuerant passi: quia B. Virgo honoratur in Canone, quæ licèt plusquam Martyr celebretur, vitam tamen in pace finivit. S. Felix Nolanus, S Gregorius Magnæ Armeniæ Patriarcha, S. Martinus, Sylverius, & Marcellus, Papæ, & Apollinaris, celebrantur ut Martyres, licèt non consumarent Martyrium. In Canone nominantur Abraham, & Melchisedech, qui tamen Martyres non fuerunt. Invocantur ibi omnes Sancti, non omnes tamen Sancti fuerunt Martyres; ergo potuit Clemens poni in Canone, ut illi dicunt, licet aliqua passus fuerat, non tamen usque ad mortem. At imprimis advertant, velim, quod B. Virgo Maria licèt plusquam Martyr celebretur, in Canone tamen Romano non Martyris nomine, sed titulô, & dignitate Maternitatis Christi, seu Genitricis Dei, ut loquitur Canon, supra alios Sanctos memoratur. Deinde celebrē distinctionem Martyrū intelligant, quorum alii vocantur *Designati*, quibus mortis sententia fuerat notificata, & adhuc non fuerat executioni mandata. Alii Martyres consumati, seu coronati, erant illi, qui vel in tormentis, vel paulò post tormenta, ipsorum tormentorum violentia moriebantur. Martyres verò vindicati erant illi, quorum felix in Domino exitus fuerat discussus, & appro-

approbatus, & quibus jam fuerat cultus judicio Ecclesiastico delatus. Unde eruditus Vir Du Pin explicans illa verba S. Optati Milevitani lib.2 *Etsi Martyris, sed nondum vindicati*, ait: *nondum ab Ecclesia in numerum Martyrum relati, nondum in Canonem, & in Dipticha transscripti.* Alii quoque Martyres subdistinguuntur dupliciter, alii sunt *Initiativi*, qui post tormenta, quæ passi sunt, superstites manent, alii sunt *absoluti*, & perfecti, qui propter fidem in cruciatibus, vel vi cruciatuûm moriuntur. Has distinctiones Martyrum eruditissimo calamo describit Benedictus XIV. Pontifex Maximus *lib. 1 de Canonizatione SS. Cap. 2. Pag. 10.* Qui enim post tormenta supervixerunt, Martyres quidem designati, aut initiativi dici possunt, non verò consumati, & coronati, ut docet S. Thomas 2.2. *Quæst 124 art 4. ad 3* dicens: *Nec Martyrium propriè dicitur pro sola tolerantia carceris, vel exilii, nisi fortè secundùm, quod ex his sequitur mors.* Hæc Angelicus Doctor: Illi verò, qui in perpessis tormentis, aut carceris squallore moriuntur profide, consumati Martyres censendi sunt, & tales ponuntur in Canone, & celebrantur ab Ecclesia. Qui vero post tormenta miraculosè sunt liberati, Martyres quidem appellantur, Ecclesia tamen de illis celebrans, illum actum Mar-

 tyrii

tyrii celebrat. Unde alii Sancti diversas habent Festivitates, aliam, qua passio, aliam, quâ natalis, seu mortualis dies colitur, alii vero eandem diem communem habent,. Abraham vero, & Melchisedech memorantur ideo in Canone, quia oblationes eorum erant Deo gratæ, & acceptæ, sicut & munera Abelis. Nomine autem omnium Sanctorum, intelliguntur omnes Martyres. In codice enim MSS. Coloniensi in margine Canonis adnotata sunt hæc verba: *Nec non illorũ Martyrum, quorum hodie per universum mundum in conspectu gloriæ tuæ celebratur triumphus.* Quæ verba postea abbreviata, & in honorem omnium Sanctorum usitata fuerunt à Gregorio III. ut adnotavit Pamelius *Tomo 2.*

CAPUT VI.

Proponitur Argumentum Negativum, Positivum, & Chronologicum,

Argumentum Negativum

ANtiqui Patres, ut obiicit Pearsonius, & Dodvellus, silent Martyrium Clementis; nam. S. Ire-

næus *lib.* 3. *adversus Hæreses Cap.* 3. texens Cathalogum Romanorum Pontificum, licet majori elogiô celebret Clementem, quam cæteros, solum Thelesphorum appellat Martyrem, dicens: *Qui etiam gloriosissimè Martyrium fecit.* At si Clemens fuisset Martyr, idem de illo dixisset Irenæus, ac de Thelesphoro, quia si aliquis est Martyr, id solent notare Patres, ut Tertullianus de præscriptionibus *Cap.* 3, dicit: *Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si vidua, si Doctor, si etiã Mârtyr lapsus è regula fuerit.* Tum etiam quia nec Clemens Alexandrinus, qui illum *Apostolum* nominat, nec Origenes qui, *Discipulum Apostolorum*, nec Dionysius Areopagita, nec Nilus qui *Romanum Philosophum* nominant, nec Tertullianus, qui illum dicit *ordinatum à Petro*, Martyrem nuncupant: ergo antiqui Patres non agnoverunt pro Martyre Clementem.

℟ Argumentum negativum fundari debet in silentio generali, ut docet Launojus de auctoritate argumenti negativi *Pag.* 176. Et ipsemet Pearsonius in Vindiciis Ignatianis, & ideo, ut certò concludat, debet universim sumi ea de re, de qua agitur. Sicut Eusebius ideo reprobat plura Evangelia sub nomine Apostolorum, quia nullus ea admittit, præter quatuor, unde silentium omnium, est efficax argumentum. At

si

ſi dantur argumenta à teſtimonio poſitiva, tunc argumentum negativum, univerſale non eſt, nam cum multi idem dicunt, generale ſilentium non eſt. Quò caſu argumentum negans, ſe ipſum negat, at ex puris negativis nihil ſequitur. Itaq; ſi non eſt generale ſilentium, nihil ex eo certi concluditur: Nam primi tres Evangeliſtæ, qui de ſuſcitatis à Chriſto mortuis ſcribunt, nullam mentionem faciunt Lazari revocati ad vitam; nec Lucas, qui illum dicit mortuum, ſuſcitatum afferit, ſolus poſtremus Evangelii ſcriptor, Ioannes id ſcribit: Ergo quia priores Evangeliſtæ tantum miraculum ſilent, poſtremus Ioannes, qui illud enarrat falſum enarrat? Deinde ſolus Mathæus apparitionem ſtellæ memorat, tres poſteriores Evangeliſtæ illam tacent; ergo falſum erit, quod ſcribit ſolus Mathæus, quia hoc non ſcripſerunt cæteri? non rectè concluderet, qui hôc genere argumenti uteretur. unde ex ſilentio Irenæi, & aliorum nihil evincitur, quia licèt Irenæus tacet Clementis Martyrium, non tamen illud negat. Nominat ibidem Irenæus Apoſtolos Petrum & Paulum, nec tamen illos dicit Martyres; ergone Apoſtoli propter ſilentium Irenæi Martyres dicendi non ſunt? Irenæus dicit, Linum illum eſſe, cujus Paulus meminit in Epiſtola ad Timotheum, dicens: *Salutat te Eubulus, &*

Pudens

Pudens, *& Linus*, *& Claudia*, non tamen dicit Clementem illum esse, cujus idem Paulus meminit ad Phippenses *Cap.* 4. dicens: *Cum Clemente*, *& cæteris adjutoribus meis*, *quorum nomina sunt in libro vitæ*: ergo ne antiqui Patres falsum dicunt, ut Origenes, Eusebius, Hieronymus, Epiphanius, Ruffinus, Chrysostomus, & alii, qui Clementem Romanum Pontificem à Paulo memoratum intelligunt ideo, quia hoc non dicit Irenæus? minime gentium. Itaq; Irenæus sibi proposuit, solam successionem Romanorum Pontificum describere, non eorum gesta narrare. Ita enim dicit: *Habemus enumerare eos*, *qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi Ecclesiæ*, *& successionem eorum usq; ad nos*. Licet vero solum Thelesphorum appellet Martyrem, hoc ipso tamen alios antecessores Martyriô functos innuit. Nam ista vocabula, quæ in Latina editione, leguntur: *Qui etiam gloriosissimè Martyrium fecit*, in Græco textu ita leguntur *Qui similiter*, unde illa particula *etiam*, vel *similiter*, est comparativa, comparativum autem non est, nisi inter plura vel saltim duo positiva, ergo quia Thelesphorus similiter fecit Martyrium, illud fecisse & Clementem cum aliis innuit Irenæus Tertulianus autem ibi loquitur de Martyre designato, id est de confessore, qui causa fidei tenebatur in carcere

cere, quia addit: *Si etiam Martyr lapsus à regula fuerit*: At Martyr consumatus labi à regula non potest; Tertullianus igitur totus est in hortando, ne propter illos, qui deficiunt à fide, deficiamus & nos eorum exempla secuti, ita enim ait: *neq; prudentes neq; fideles, neq; usitatos æstimemus, quos Hæreses potuerunt demutare.*

Inst 1. Eusebius de morte Clementis, ita dicit: *abiit è vita:* sed abire è vita, est Confessoris potiùs, quam Martyris, quia non violentam, sed naturalem mortem designat: ergo illum non agnovit ut Martyrem. Deinde vetus depositio Martyrum Bucheriana habet quidem Clementem, sed alium à Pontifice, ita enim ibi ponitur: 9. *Kal.* Novem *Clementis, Claudii, Nicostrati & Symphoriani in comitatum.* At Clemens Papa non undecima, sed vigesima tertia die Novembris colitur, solus sine sociis, & non in comitatu, sed Chersonæ in exilio passus dicitur: ergo &c:

℞ Hoc scribendi genere utitur Clemens Romanus de morte Pauli, quo Eusebius de morte Clementis, de Paulo enim ita dicit Clemens in Epistola sua prima ad Corynthios: *E mundo migravit, atque in locum Sanctum abiit* Ergonè Paulus non fuit Martyr, quia Clemens illum dicit migrasse, & abiisse è vita?

mini-

minime,ergo nec ex Eusebii stylo colligitur Clementē non esse Martyrem, quia ab Eusebio scribitur abiisse è vita. Deinde Eusebius nullam mentionem facit Nicenæ synodi, quæ ipsis Constantini vicennalibus celebrata est, ergone illa celebratio concilii coæva Eusebio falsa erit, propter Eusebii silentium. Documenta ergo historica Ecclesiæ Romanæ desumebantur ex antiquis monumentis, & locis Martyrum, ubi illorum passiones celebrabantur, ut testatur S Cyprianus *lib. 3.* Epistola 6. *Dies eorum*, inquit *quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum, celebrare possimus.* Ab illis autem monumentis ipse Eusebius desumit testimonium, quod nec Heggesyppus, nec Irenæus, nec alii prodidêre memoriæ. Nam *lib. 2. Hist. Eccl Cap. 23.* ait: *ac Paulus quidem* inquit *Romæ, capite truncatus, Petrus verò crucifixus fuisse eodem [Nerone] regnante traduntur.* Quam quidem narrationem abundè confirmant, Petri, Pauliq; nomine insignita monumenta, quæ in urbis Romæ Cæmeteriis etiamnum visuntur. Refert etiam Cajum hæc scribentem ad Proculum: *ego vero Apostolorum trophæa possum ostendere, nam sive in vaticanum, sive ad ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi trophæa eorū, qui Ecclesiam illam fundaverunt.* Si ergo Eusebius

narrationem de Martyrio Apostolorum ex monumentis, & vestigiis Romæ relictis deducit, & veritatem inde metitur, nos etiam Martyrium Clementis malumus à Titulis, Tabulariis, Cathalogis, Ecclesiis, & aliis monumentis Romanis repetere, quam illud ab Eusebio, Irenæo, & aliis expiscari, quorum auctoritas longè inferior est auctoritate Romanæ Ecclesiæ, quia maior est auctoritas Ecclesiæ, quàm alicujus privati Scriptoris, igitur si Ecclesia Romana ab antiquo coluit, & hucusque colendum proponit Clementem ut Martyrem, Eusebii silentium, qui libros Didacticos & Apologeticos non veró historiam Romanæ sedis Antistitum scripsit, non præferimus, satis loquentibus Antiquioribus Eusebio monumentis. Quod autem depositio Bucheriana non contineat Clementem, minimè movemur, nam neque continet Thelesphorum, neque Ignatium, qui pro certo habentur uti Martyres. Huic Depositioni opponimus antiquissimum Indiculum codicis MSS. Vaticani 3764. ubi asseritur, in quo loco quisque Romanus Pontifex requiescit, de Clemente autem sic habetur: *In Ponto in mari Clemens:* Et aliam Depositionem opponimus, de qua ita loquitur Gregorius M lib 7. Epistola 29 *Nos inquit, penè omnium Martyrum distinctis per singulos dies Passionibus,*

col-

collecta in uno codice, nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum venerationem Missarum solemnia agimus. In sacramentario autē suo, appellat insignem Martyrem Clementem. Indiculus igitur ille Bucherianus ex antiquioribus Dyptichis, & Tabulariis, descriptus est, uti observat C. V. Iosephus Augustinus Orsius, Sacri Palatii Apostolici Magister, Ordinis Prædicatorum, Dissertatione de SS. Felicitate, & Perpetua *Pag. 22.* Multi tamen Martyres ob ingentem multitudinem in eo omissi sunt, quia ergo antiquiora monumenta continent Clementem, ideo Bucherianæ Depositionis silentium nobis est minoris momenti.

Inst: 2. Pearsonius, Scriptores similitudine nominis ducti, confundunt Clementem Papam cum Flavio Clemente Consule, & Martyre, ideo enim aliqui appellant illum affinem Imperatoribus, quia confundunt: Eū cū Clemente Consule, qui Domitiani Imperatoris verus consobrinus erat, ut Baronius advertit *ad Annum* 98. & Spondanus *ad Annum* 98. ergo etiam potuit esse confusio Martyrii, Flavii Clementis cum Clemente Papa

℞. Hanc confusionem Pearsonius infeliciter auguratur, cum distincta sit utriusque Clementis nobilitas, & Martyrium, nobilitatem ejus jam vindicavimus,

diſtinctum autem Martyrium utriuſque diſtincti teſtantur tituli, qui in eorum Tumulis reperti ſunt. Flavii Clementis corpus repertum eſt anno 1725. in Baſilica S. Clementis Romæ ab Eminentiſſimo Principe Annibale Albano, Epiſcopo Portuenſi, Præsbytero Cardinali S. Clementis ubi cum Sacris Oſſibus reperta eſt inſcriptio talis: *Flavius Clemens Martyr hic feliciter eſt tumulatus.* Altera vero reperta eſt, quam Reverendiſſimus Pater, Orſius S. Palatii Magiſter accuratiſſimè ita interpretatus eſt; cujus diſſertationem Italicam inferius exhibemus: *Leo Idibus Octobris Christo conſecravi Aſyriò, Prothogene Conſulibus.* Atque hæ inſcriptiones factæ ſunt à S. Leone Magno, qui literas ſuas hocce conſulatu ſubſcripſit; illaq; Sacra Oſſa Flavii Clementis depoſuit in majori ara, quam Chriſto conſecravit. Annô verò 1104. ſub Paſchali II. in Piſcarienſi Baſilica ſub ara maxima inventa eſt capſula plena oſſibûs S. Clementis Papæ ab Auguſtino Cardinali Tituli SS quatuor Coronatorum, cum hac inſcriptione: *Hic jacet S. Clemens, Petri Diſcipulus, & à Petro Papa ſecundus, qui juſſu Trajani Imperatoris, anchorâ ad ejus collum ligatâ fuit in Pelago merſus.* Unde ex diverſiſſimis inſcriptionibus apparet diverſitas Martyrii utriuſque Clementis, cum utrũque Eccleſia agnoſcat pro Martyre.

Argu-

Argumentum Poſitivum

DIocletianus acta Martyrii Clementis cum cæteris juſſit comburere, undè ut obſervat Cardinalis Baronius ad annum 100. Quæ ex antiquioribus illis in hominum memoria Conſervata remanſerant, ſcriptis fuerant poſtea conſignata: at tanto tempore è memoria hominum labi poterant illa acta ſincera, illorumq, loco conficta, poſterorum memoriæ iterum commendari, qui ducti nimia credulitate, illa pro veris aſſerebant, ac ſcriptis conſignârunt. Igitur ſi acta Martyrii ſincera non ſunt, Martyrii quoque fides conficta ſit, oportet,

℞ Mirandum non eſt, ſcripta illa tot Martyrum fuiſſe combuſta, cum enim advertiſſent Chriſtiani nominis hoſtes, inter quos Princeps erat Diocletianus, ſcriptis Matyrum animos fidelium in ſua Religione confirmari, & accendi, ad tolerandas paſſiones, non ſolũ hominibus, ſed etiam actis Martyrum bellum indixêre, ut etiam eorum memoriam poſſent extingvere, ut advertit *Theodoricus Ruinartius Ord. S. Benedicti, Congregationis S. Mauri*, in Præfatione generali ad acta ſincera Martyrum nota 4. adeo tamen felix, & conſtans Chriſtianorum erat memoria, quod hæc acta melius

lius

lius impressa fuerant mentibus, atque posteris ore tradita. At non soli homines, verum & lapides insigniti Martyrum nominibus, eorum factorum testes superant. Memoriæ Clementis Custos integerrima fuit Ecclesia ejus nomini exstructa, ut ait Hieronymus: *Nominis ejus memoriam, usque hodie Romæ exstructa Ecclesia custodit.* Sed ut ait ipse Basnagius: *Mentibus tamen magis, quàm lapidibus tanti viri nomen florebat.* Si magis mentibus florebat Clementis nomen, quis concedit, ejus acta sepulta fuisse in memoria hominum? nam ejus acta sincera à Synchrono Auctore scripta Græcè, in Oriente remansisse integra dicit Leo Allatius in Diatriba Simeonum.

Inst: 1. Tillemontius, legitur in illis actis, quod Comes officiorum Publius Tarquinius dederit pecuniam populo, ut commoveret seditionem contra Clementem, sed hæc non sunt vera, nam temporibus Nervæ, & Trajani nondum erat institutus ille gradus, quia Lex 2. *Theod: de Metallis* est Iuliani Augusti ad Ruffinum comitem officiorum: qui titulus tempore Trajani non legitur, ergo acta illa non continent veritatem.

℞ Comes officiorum non erat eo tempore quò ad nomen, erat tamen quò ad rem ipsam, nam etiam Clemens Paulum Apostolum passum dicit *sub Principi-*

bus

bus, id est sub Præfectis, cum tamen eo tempore Præfecti urbis non appellabantur Principes.

Inst. 2. Clemens in actis illis seditiosos suos appellat canes, contra ipsum latrantes, at hæc non conveniunt humilitati Christianæ, ergo &c:

℞ Si CHRISTUS Dominus, qui erat mitis, & humilis corde, Pharisæos, & Iudæos appellabat genimina viperarum, si S. Ignatius Martyr appellabat Milites, à quibus Romam ducebatur, Leopardos, qui beneficiis ejus pejores fiebant, sine humilitatis detrimento, potuit etiam Clemens sine ulla nota superbiæ, inimicos Christi appellare canes latrantes.

Inst: 3. Clemens dicitur relegatus in Chersonesum, at à Trajano illuc non potuit relegari, quia Imperatores Romani extra limites sui Imperii non relegabant Christianos, at Chersonesus erat extra limites Romani Imperii, quia erat pars Regni Bosphori, at Bosphorus tunc suos habuit Reges, Plinius enim *lib.* 10. scribit Claudium Imperatorem constituisse Regem Bosphori nomine *Cotym* & tempore Trajani Regem Sauromatũ ibi imperasse; ergo non potuit relegari in Chersonesũ à Trajano, quia non erat Provincia ei subdita.

℞ Non nego Bosphorum habuisse suos Reges, hi tamen erant constituti ab Imperatoribus Romanis cum

summa

ſumma dependentia, nam ut teſtatur Strabo *lib. 7. Pag.* 310. illud Regnum cum ſuis Inſulis primò ſe ſubjéciſſe Mithridati, quem cum Pompejus debellâſſet, Romanis Imperatoribus ſubjectum fuiſſe, & ab illis Reges conſtitutos fuiſſe, ut idem ſcribit Strabo: *nunc* inquit, *ſub Rege Boſphori, quem Romani conſtituerunt, omnia ſunt.* Hinc non Reges, ſed potius Regulos illos vocat, ut pote Tributarios, *Boſphori Reguli eam tenent.* Sic Auguſtus conſtituebat illis Regem, ut teſtatur Lucianus, ſic Claudius Cotym, ut ſcribit Plinius, ſic Trajanus, ut teſtatur Lobardus Sirichius, Petavienſis, de Viris Illuſtribus, ad Propontidem ſigna reflectens, Boſphorum adortus, omne Ponti Regnum ſuperat, vicit & feroces Sauromatas, quibus ſervitutis frenum impoſuit, quia ut Plinius ſcribit lib. 10 Epiſtola 67. *Rex Boſphòri nihil ſine ſcitu, & conſenſu Trajani moliri potuit. Rex*, inquit, *Sauromates ſcripſit mihi, eſſe quædam, quæ deberes quam maturiſſimè ſcire, qua ex cauſa feſtinationem Tabellarii, quem ad Te cum Epiſtolis remiſi, diplomate adjuvi.* Si ergo Reges Boſphori conſtituti à Romanis, erant Trajani Tributarii, potuit jure ſuo utens Trajanus, in illius Regni Inſula relegare Clementem.

Inſt: 4. Non eſt certum, ubinam exulaverit S. Clemens

mens, nam ante poſtremam correctionem in Breviario Romano hæc legebantur: *à Trajano Imperatore relegatus eſt in Inſulam Lyciæ*, idem legitur apud Mombritiū: *In Cherſona civitate Lyciæ*, idem in MSS. codice Barberino: *In civitate Cherſona, Provinciæ Lyciæ.* At in Provincia Lyciæ in Aſia, nulla eſt mentio Cherſoneſi apud Geographos, Hinc Cardinalis Baronius exiſtimat illum errorem irrepſiſſe, ut pro Lycia potius legatur Bycia, quia ut ſcribit Ptolomæus in octava Tabula Europæ: *Cherſoneſum alluit Bycia Palus, à Byco fluvio ſic nuncupata.* Et hic error ſic modo correctus eſt in Breviario. *Relegatus eſt trans mare Ponticum in ſolitudinem urbis Cherſonæ*, ut Beda, & Ado legunt *ultra mare Pontum.* Deinde in lib. Pontificali habetur: *ſepultus eſt in Græcia* Alii *in Heracliam* relegatum ſcribunt, à Ptolomæo autem vocatur *Heraclium*, quod ſit Heraclienſium colonia. Si ergo non conſtat de loco exilii Clementis, neque certum eſt eum fuiſſe Martyrem.

℞ Statuenda eſt imprimis illa Inſula exilii S. Clementis, quâ Statuta hæc inter ſe pugnantia facilè conciliari poſſunt. Inſulam illam ſtatuo Leucam Cherſonæ proximam, quam ita deſcribit Pauſanias *lib. 3. in Laconica Pag. 259. Eſt in Euxino circa Iſtri oſtia Inſula Achilli Sacra, cui Leuce nomen, patet ea ſtadi-*

 orum

orum viginti ambitu, sylvis undique condensa, & tũ feris, tum mitibus bestiis referta. In ea Achillis delubrum, & simulacrum est, navigasse in eam primus omnium Crotoniates Leonymus dicitur. Unde Gvilhelmus Stukius in Commentariis Peripli Euxini Amiani *Pag:* 159 dicit: *Insulam Leucam vocatam ab Achille Scytharum Rege, qui Iphigeniæ amore captus, illic habitavit,* cujus rei testis est Alcæus. Huc accedit, quod Illustrissimus Senator Florentinus Philippus Buona Rotta, nelle asservationi Istoriche sopra alcuni Medaglioni antichi Pag. 9. dicit: *Leucam Insulam Ponti,* ab Iphigenia illuc deportata, dictam Leucadiam, qui Leucadi populi illam Insulam dedicarunt, uti Patronæ navigantium. Hocq; probat ex numismate antiquo marmoreo, ubi inter Alcimum Regem & Ulyssem in columna stat figura Iphigeniæ tenentis manu anchoram cum hac Epigraphe: *Qui mores hominum multorum vidit, & urbes.* & de hoc Achille intelligendus est Ammianus Marcellinus *lib.* 22 *Pag.* 315. dicens: *in hac Taurica Insula Leuce, sine habitatoribus ullis, Achilli est dedicata,* Hæc Insula exiliis est aptissima, tota saxosa, & rupibus ardua, de qua Festus Avienus in Orbis terræ descriptione scribit:

Ora Borysthenii, qua fluminis in mare vergunt,

E Regione procul spectabit culmina Leuces:
Leuce cana jugum, Leuce sedes animarum
ubi concava vasto
Cedit in antra sinu rupes, ubi saxa dehiscunt,
Motibus exesis, & curvo fornice pendent.
Meminit ejusdem & Priscianus:
Est etiam levis Euxini Partibus una,
Quam Leucem perhibent adversa Borysthenis amni,
Pascit aves, quoniam multas candore nivali.
Ab aliis vocatur hæc Insula *Heroum*, ab alis In-
sula sancta, ita Flavius Philostratus in Heroicis de illa a-
gens dicit:
Hominibus Pelagi hiatum navigantibus, sancta occur-
rit Insula Hæc Chersonesus, Leucadia, ut Doctissimus
Pater Michaël Leucquien Ord: Prædicatorum in Ori-
gente Christiano scribens de Chersonensi Ecclesia *To-*
mo 1. Pag. 1329. primis Christianæ Religionis sæcu-
lis, Martyrum, Confessorumq; exiliis, & necibus cele-
bris fuit, imprimisq; S. Clementis I. Papæ. S. Ephre-
mii Episcopi Chersonensis, & Martyris, S. Martini Pa-
pæ, illustris etiam exilio Iustiniani Imperatoris. Statuta
Insula, & locô exilii S. Clementis, conciliamus allega-
ta secum pugnantia. Illi ergo, qui Lyciam dixerunt
pro Leuca appellant Lyciam, vel Byciam, vocis affi-
nitate

nitate ducti, ut Heribertus Rosweidus advertit in notis ad Adonis Martyrologium. Quia vero Insula Leuca vocata fuit Græciaria, ut testatur Marius Niger Geographiæ peritissimus, quia coloniarum plena Græcarum fuit, ut Marcellinus dicit *Cap* 22. *Pag.* 314. ideo alii illam Græciam, vel Græciariam nuncuparunt. Quia verò illæ coloniæ Heracleotæ appellabantur, eò, quod Heraclæa ab antiquo erat Metropolis totius Chersonesi, à Boetis, & Magarensibus fundata circa Olympiadem 55. annô, juxta periodum Iulianam 4155. ut testatur Appollonius Argonaut: *lib.* 2. vel Heraclea ab ipso fundata, & vocata Hercule, ut placet Hardvino *Pag.* 195. quòd palam facit Numisma Gordiani, Pii Imperatoris, in quo sub figura Herculis leguntur ista verba: *Heracleotarum Matris, coloniarum, civitatũ.* Hoccè numisma exhibet Buonarotta in Musæo numismatum Emi Cardinalis Gaspari de Carpineo. Hinc alii dicunt Clementem relegatum fuisse in Heracliam, quia Leuca est colonia Heracliæ

Inst 5. in illis actis legitur S. Clemens invenisse plusquàm duo millia Christianorum in illa Insula ad secanda marmora damnatorum, sed hæc narratio non cohæret veritati, quia vel illi exules missi sunt à Domitiano, vel à Nerva, vel à Trajano, à Domitiano mitti

ti non poterant, quia ille restituit omnes, quos relegaverat, sicut Ioannem ex Insula Pathmos revocavit, nō à Nerva, quia ab illo edicta Domitiani rescissa fuerunt, omnesq; ab exiliis revocati sunt, nec à Trajano, cujus Imperii initium pacatissimum fuit. Ergo non poterat Clemens relegari, multo minus illa millia fidelium inveniri.

℞ Licet acta Domitiani rescissa fuerint, ac Trajani Imperii initium pacatum, plures tamen passi sunt sub illo, tum ex Præsidum genio, tum ex Sacerdotum tumultu, tum etiam ex Principum rescriptis, ut advertit Ruinartius. Sciendum ergo est cum Marcellino, triplex fuisse exilium, aut certorum locorum interdictio, aut lata fuga, aut Insulæ vinculum. Illi, qui in exiliū Insularum mittebantur, alii ad certum tempus, alii ad longissimum, alii ad mortem damnabantur. Unde aliud erat relegari in Insulam, aliud erat deportari. Relegari erat ad tempus, deportari & condemnari ad mortem. Hinc Callistratus inquit: *In exulibus gradus pœnarum constituit edictum Divi Adriani, ut qui ad tempus relegatus est, si ante præscriptum redeat, in Insulam relegetur, si qui relegatus in Insulam excesserit, in Insulam deportetur, qui deportatus evaserit, capite puniatur.* Hæc ille. pleriq; ergo relegati ad tempus

pus

pus à Domitiano, & Nerva, revocati fuerunt, multi vero deportati usque ad necem relicti sunt. Tales fuerunt illi, quorum multitudo in Insula Leuca damnata fuit, ut testantur acta; *ad longissimum tempus condemnati*. Nec revocati sunt à secandis marmoribus, quia Urbs Romana semper indigebat laboribus Christianorum in illis marmoribus eruendis.

Inst. 6. In hac Insula narratur S. Clemens solus vidisse agnum, qui dextro pede fontem illi soli demonstravit, & fontem solus fodiendo elicuit. Hæc tamen narratio fabulæ similior, quàm veritati, cur enim & alii illum agnum non viderunt? Deinde legitur, Clemens quotidie plusquam 600. baptizâsse; 75 Ecclesias ædificâsse, falsa Deorum Templa evertisse usque ad 120 milliaria ab illa Insula: Evangelium tamen medio-cribus incrementis fuit propagatum.

℟ Si hæc miraculosa aquæ inventio ideo fabulosa est, quod solus Clemens viderat agnum, & solus effoderat fontem, etiam omnia miracula forent in dubiū revocanda, etiam Elisæi historia fabulosa erit, quia Discipulus ab illo missus, non suscitavit puerum, quem tamen solus Elisæus ad vitam revocavit. Fabulosa erit Moysis aquæ inventio, sic enim Exodi *Cap.* 27. v. 6. dicitur: *En ego ibi stabo coram Te, super Petram Ho-*

Horeb, percutiesq; Petram, & exibit ex ea aqua, ut bibat populus, sive ut versio Arabica refert: *Ecce ego erecturus sum signum ante te.* Et tamen solus Moyses vidit Deum stantem super Petram, solus vidit signũ solus percussit Petram, & solus aquam elicuit. Deinde Act: Cap. 2: *ad unicam Petri prædicationem circa tria millia Iudæorum leguntur Christi Fidem suscepisse quam viderant miraculis confirmatam.* Vero simile ergo est, præclarissimo hoc miraculo à S. Clemente tot conversos fuisse ad Fidem. Templa autem non intelliguntur, tantæ molis fabricæ, ut post Constantini tempora cæperunt ædificari, sed particularia oratoria, sacella, & Domus, aut etiam falsorum Deorum Templa ejecta inde omni gentilium superstitione, à S. Clemente immutata fuisse in Basilicas vero Deo consecratas.

Inst: 7. Quæ Clementis mortem secuta sunt, valde sunt stupenda, quæ tamen sunt difficillimæ fidei. Unde Ioannes Clericus in Præfatione ad Patres Apostolicos non 8. vocat insignia exempla audaciæ Græculorum recentiorum in fingendis Historiis, nam nisi vendibiles fuissent aliquando hi fumi, nunquam prostitissent. Credibilia essent omnia, si constaret de Ephremio, qui ab Allatio dicitur fuisse Episcopus, & Martyr Chersonis

ſonis, at credibile potius eſt ea, quæ narrantur ab Ephremio, fuiſſe alicujus Neoterici Græci. Bolladiani namque ponunt Ephremum ad diem ſeptimam Martii, at non eſt iſte, qui hæc ſcripſit, quia illi nulla ſcripta adjudicant Bollandiſtæ. Tum etiam quia ſtylus oratorius non ſpirat tempus antiquum, ſed potius recens. Nec etiam dicit locum hujus miraculi. Denique Allatius dicit illum fictitium Ephremium ſcripſiſſe miracula Clementis quæ ſic incipiunt, *Apoſtolo Sāčto Philippo egreſſo è Galilea:* initium utique eſt alicujus hiſtoriæ apocriphæ, atque indignæ calamo hujus Epiſcopi. Denique Ruinartius in notis ad opera S. Gregorii Turonenſis dicit: *Hæc acta, quæ hic narrantur, poſt mortem Clementis, ante ſextum ſæculum nota fuiſſe, nullo antiquitatis monumento evinci poteſt.*

℞ Non miramur Clericum Acatholicum hæc prodigia appellare fumos, adeò enim cæcus eſt, ut ægris oculis ipſum lumen videre nequeat. Nunquam certè, non à ſolo Ephremio, ſed ab Eccleſia tam Latina, quàm Græca hæc miracula celebrata eſſent, ſi nunquam fuiſſent facta. Unde recte fatetur Cardinalis Baronius ad annum 102. Pag. 13. *Cui veritati, ut apparet, cum tam Latini, quàm Græci pariter adſtipulentur, eademq; ex ſcriptione antiquiſſima noſcantur accepta, de*

his

his dubitandi nullus videtur locus esse jure relictus, nisi illis tantummodo, qui cælum palmo metiri contendunt, illis inquam, qui admirabilia Dei opera, humanæ audent infirmitati subiicere. Porro S. Ephrem missus erat ab Hermone quadragesimo Episcopo Hierosolymorum, ut in Nicephori Cathalogo numeratur, annô decimò sextô Diocletiani Imperatoris, annò verò Æræ Christianæ 300. a septimo Septembris anni 299. inchoato, venitq; Chersonam & ibi aliquamdiu laborans, sedem Episcopalẽ locavit, postea pro Fide, quam docuit, caput sub gladium dedit, ut ejus vitam, & mortem testantur Maximus Episcopus Cytheræus, Antonius Arcudius in Authologio Græco, & Menæa Græca. Hic S Martyr scripsit Tractatum miraculorũ S. Clementis, ut testatur Leo Allatius in Diatriba Simeonum, quem ipsi adscribunt Viri Clarissimi Bollandiani, ita enim Tomo 1. Maii ad Ephemerides Moschorum, sua desideria explicant: *Optamus, ut ejus* [Clementis] *miracula ab Ephremio Chersonis Episcopo scripta, quorum nunc solum habemus partem, inveniantur integra:* Ego tamen exploratum habeo, illa hucusque asservari pro summæ raritatis monumento in celeberrima Casinensi Bibliotheca, Horum miraculorum meminit ipsemet S. Ephremius in Oratione de S.

Clemente dicens: *Miracula, quorum nec Oratio dicere multitudinem, nec manus exprimere infinitatem potest.* Nec ſtylus alienus eſt ab antiquo Auctore. Poſtulabat enim magnitudo hujus miraculi elevatiorē ſtylum, nonne antiqui Patres florenti ſtylo celebrant Martyres, ſicut S. Chryſoſtomus Paulum Apoſtolum, Ignatium, & alios celebrat? Indicatur etiam ibi locus miraculi, nam cives Cherſonis nominantur. Hoc ſtatuto, tale formo argumentum: S. Ephremius tertii ſæculi ſcriptor, Epiſcopus ejuſdem Inſulæ, narravit populo Paſſionem Clementis, & teſtatur mare ſolitum recedere ſuo adhuc tempore, dicens: *ab eo tempore uſque in hodiernum diem:* ergo ipſi fides danda eſt potiùs, quā Euſebio. & aliis tacentibus. Nam ut docet Benedictus XIV. ſummus Pontifex *lib. 1. de Canonizatione SS. Cap. 2. Pag* 13. Huc tandem reſpicit antiqua, & communis fere omnium Eccleſiarum conſvetudo recitandi in conventibus publicis eorum Martyrum geſta, quorum feſta peragebantur. At Gelaſius I. & Adrianus Papa in Epiſtola ad Carolum magnum, cautum decreto fecerunt; ne eorum Martyrum acta publicè legerentur, de quorum certitudine, & approbatione nō conſtat, Ergo ſi Epiſcopus loci legebat, & narrabat Paſſionem Clementis, ipſi fides danda eſt, ut oculato teſti

teſti marini annui receſſûs. Adſtipulatur S. Ephremio Epiſcopo, S. Illidius Arvernenſis Epiſcopus, qui ante annum 337. quo Conſtantinus Magnus deceſſit, conſtitutus erat Epiſcopus, & anno 385. 5. *Iunii* migravit in cælum, ut teſtatur Ioannes Savaro in ſua Origine Claromontanæ urbis,certa relatione intellexit, ut teſtatur MSS. Claromontanum, intellexit annuum receſſum maris in Cherſoneſo, per ſeptem dies fieri ſolitum in Anniverſaria ſolemnitate S. Clementis, ideoq; longiſſima peregrinatione ſuſcepta perrexit in Scythiam ad Cherſoneſum, ubi die ejuſdem Martyris, videns receſſum maris, accedenſq; ad ejus ſepulchrum, cumq; orâſſet pro obtinenda ejus aliqua Reliquia, tum Brachium ſuum aperto ſepulchro D. Clemens protulit & ſecum illud auferendi copiam fecit. Detulit hoc pretioſum, & mirabile pignus in Galliam, & in Eccleſia Arvernenſi ejus nomini dedicata repoſuit. Tandem nono ſæculo à Mancido Abbate, & Begone Epiſcopo repertũ, ac nobiliori incluſum ſcrinio, a Gvillermo poſtea 85. Archiepiſcopo compoſitum in vaſe aureo interlucentibus gemmis, atque miro artificio elaborato, hucuſquè cernitur in Eccleſia Illidiana, duo vero ejuſdem Brachii Digiti, alter Eccleſiæ S. Sulpitii, alter S. Urſini dono oblatus eſt, ut videre licet in nova Bibliotheca

Labbæana *Pag.* 131. Si ergo S. Illidius oculatus testis fuit tanti prodigii, certamq; relationem sua peregrinatione habuit, hæc miracula quarto sæculo fuisse notissima, nemo sanæ mentis negare potest.

Inst: 8. Etsi hæç acta nota fuerint ante sæculum sextum, ignota tamen erant sæculo nono in Chersoneso, nam S. Constantinus, qui & Cyrillus dicitur cum anno 850. venisset in Chersonesum, & inquisivisset illud miraculum, nihil rescire potuit ab incolis, nec Episcopum loci hac de re scivisse aliquid, audivit: ergo si incolæ, & ipsemet Episcopus nihil sciverat de his, quomodo evinci potest, hæc acta fuisse ubique nota?

℞ Ignotus quidem fuit locus maris, in quo jacebat sacrum corpus, nam ut scribit Gaudericus Episcopus Veliternus ejusdem sæculi Scriptor, ex longo jam tempore ob culpam,& negligentiam incolarum miraculũ illud marini recessûs fieri destituerat, & mare fluctus suos in pristinas stationes refuderat, & ob multitudinem incursantium barbarorum locus ille desertus est, & magna pars Regionis illius fere desolata, & inhabitabilis reddita fuit. Non tamen fuit Episcopo ignota Passio, & miracula Clementis, Episcopus enim loci illius cum S. Constantino implorata Divina ope, tandem per Dei revelationem invenit sacrum pignus.

Inst:

Inſt: 9. Tillemontius, licet hæc miracula fuerant vera, tamen poterant eſſe alterius Martyris Clementis, qui forte ibi paſſus fuerat, certum enim eſt, quod S. Cyprianum Carthaginenſem, cum S. Cypriano Martyre Orientis confunderat S. Gregorius Nazianzenus, & Prudentius, ſi hoc contigit his viris, mirandum non erit, Clementem Papam confuſum fuiſſe cum alio quopiam Clemente Martyre, illiq, attributa fuiſſe acta alterius Martyris.

℞. Duos fuiſſe Cyprianos, Carthaginenſem, & Antiochenum, utrumque Martyrem, gladio percuſſum nobis conſtat, & Nazianzenus unius virtutem tantum tribuit alteri, non vero unius Martyrium adſcribit alteri, cum uterque Martyr fuerit, ut obſervat Billius Cum autem alter Clemens ſubmerſus in mari Euxino confictus ſit à Tillemontio, & non probatus, hæc confuſio cum S. Clemente Papa dici, ſed non probari poteſt. Nonnè Anaſtaſius Bibliothecarius ſcribens ad Carolū Calvum Regem Franciæ annô 875 Indictione 8. Kalendis Aprilis, ſignificat Regi adventum S. Conſtantini in urbem, qui S. Clementis corpus ſedi ſuæ reſtituit inventum, & Romam allatum, cujus ſedes erat Roma, ſed Clementis primi erat ſedes Roma; ergo non alterius Clementis corpus fuit in mari inventum, & tranſ-

latum

latum, nisi Clementis Romani Pontificis. Velim ego, ut Tillemontius proferat mihi ex aliquo testimonio, aut Martyrologio aliquem alium Clementem Maryrem in mari Chersoneso adjacenti submersum, præter Clementem Romanum Pontificem, quod tamen nunquam, nisi fingendo, ostenderet; etsi ostenderet, non tamen Clemens Martyr esse desineret, quod alius ibi esset Martyr, Clemens.

Inst: Ultimo. Anastasius Bibliothecarius de Gregorio 4. scribens, ait anno 827. *fecit etiam Sm̃us Papa, & in Ecclesia B. Clementis Confessoris vestem* &c: ergo non agnovit illum fuisse Martyrem, qui in mari Martyr decessit.

℞ Anastasius promiscuè Martyres appellare consvevit Confessores, nam S. Marcellum Papam appellat etiam Confessorem, quem tamen in vita Leonis III. expresse Martyrem dicit *Certum enim est Martyrum memorias, seu Tumulos, Confessiones appellari cosvetum esse, quia Martyres Confitentes nomen Christi, coronantur.*

Argumentum Chronologicum.

ARguit Samuel Basnagius, juxta Eusebium, & Hieronymum Clemens obiît tertio Trajani anno, unde

de juxta Baronium, anno Æræ vulgaris 98. in Chersonesum relegatus est, anno autem 100. Martyrium subiît, qui fuit tertius Imperii Trajani annus, sed toto illo triennio Trajanus nullam persecutionem movit in Christianos, nam Chronicon Alexandrinum Trajani persecutionem refert ad annum 104. Chronicon Hieronymi ad annum 107. ergo Clemens tertio Trajani annô subire Martyrium non potuit.

℟. Licet generalem persecutionem indictam à Trajano non legamus per integros 29. annos, quibus Imperavit Trajanus, particularem tamen motam fuisse persecutionem testatur ipsemet Eusebius lib. 3. Hist: Eccl. Cap 32. *Post Neronis* inquit *ac Domitiani persecutionem sub hoc cujus nunc tempora commemoramus, Trajano, particularem quandam per singulas civitates populari motu adversus nostros excitatam esse persecutionem accepimus.* Et Cap. 33. ait: *Persecutionis incendium, quod nobis violentius incumbebat, restrictum quidem aliqua ex parte videbatur, adeo, ut si non palam, & publicè, locales tamen in aliquot Provinciis persecutiones exardescerent, & plurimi ex fidelibus multiplicis Martyrii certamen subirent.* Hæc ille. Particularis tamen illa persecutio adeo graviter exarsit diversis in locis, ut plurimos dederit Martyres,

quorum

quorum multitudine motus Plinius ſcripſit Epiſtolam ad Trajanum, quæ immortale erit Innocentiæ Chriſtianæ monumentum, his verbis: *Affirmabo autem hanc fuiſſe ſummam, vel culpæ ſuæ, vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtatuto die ante lucem convenire, Carmemq́; Chriſto, quaſi Deo dicere ſecum invicem, ſeq́; Sacramento non in ſcelus aliquod obſtringere. Viſa eſt enim mihi res digna conſultatione, maxime propter periclitantium numerum, multi enim omnis ætatis, omnis ordinis utriuſq́; ſexus vocantur in periculum, & vocabuntur.* Cui reſcripſit in hæc verba. Trajanus: *Inquirendi non ſunt, ſi deferantur, & arguantur, puniendi ſunt.* Supra quod reſcriptum Trajani ita exclamat Tertullianus in Apologetico adverſus gentes: *O! ſententiam neceſſitate confuſam, negat inquirendos, ut innocentes, & mandat puniendos, ut nocentes. Parcit, & ſævit, diſſimulat, & animadvertit. Quid temetipſũ cenſura circumvenis? Si damnas, cur non & inquiris? Si non inquiris, cur non & abſolvis? Solum Chriſtianum inquiri non licet, offerri licet, quaſi aliud actu-rà eſſet, inquiſitio, quam oblatio.* Hæc ſunt aurea Tertulliani verba. Adeo autem hæc ſimulata Pax Trajani, Chriſtianis nocuit, ut eorum ſuppliciis ſe defatigatum ſignificaret Tiberianus Paleſtinæ Præſes. *Defati-*

gatus sum, inquit, *puniendo, & neci tradendo Galilæos (qui nobis veniunt sub nomine Christianorum) secundum vestra mandata, illi vero non cessant ad cædem sese patefacere.* Iam ergo pridem edictum Trajani fuit, & vetitum à Plinio, ne Christiani sodalitia, quæ vocat Plinius Hæterias, facerent, neque Christo, uti Deo, carmen canerent ante lucem, neque convenirent ad capiendum cibûm promiscuum, & innoxium, Eucharistiæ Sacramentum indicans, atque ob hanc causam populari motu exardescebant in Christianos persecutiones particulares. Hujus copiosi sodalitii Princeps tunc erat Clemens, qui ad tertiam usque persecutionem Divino planè nutu fuit servatus, contra quem motu populari facta seditione, Mamertinus urbis Præfectus consuluit per literas Trajanum, quid esset faciendum. Cui rescripsit Trajanus, ut antiqissima MSS. acta Vaticana testantur: *Oportere eum, vel consentire sacrificantem, aut ultra mare Pontum indesertam civitatem sitam propè Chersonam relegari.* Hac optione accepta Clemens præposuit exilium impietati, Tandem cum fama Sanctitatis ejus iterum pervenisset ad aures Trajani, misit Aufidianum Præsidem, qui alligata ad collum Clementis anchorâ in medio mari jussit præcipitari Clementem, ne possint Christiani tollere

U corpus

corpus ejus, & pro Deo eum colere.

Opponit Dodvvellus. ſub Trajano, nemo, præter Ignatium, Zozimum, & Ruffum, paſſus eſt, quia Polycarpus in Epiſtola, præter illos, aliorum non meminit. ſed non meminit tam illuſtris Martyrii Clementis; ergo &c:

℞ Legat Dodvvellus integrè Polycarpi Epiſtolam, & in contextu hæc inveniet: *Non ſolum in Ignatio, Ruffo, Zozimo, Viris Beatiſſimis, ſed etiam in aliis civibus, & inquilinis veſtris* Nonnè Euſebius lib. 3. Cap. 33. teſtatur, *Plurimos ex fidelibus multiplicis Martyrii certamen ſubiiſſe?* Si ergo plurimi ſubiêrunt ſub Trajano Martyrium, Clementem quoque non excludit ex illorum numero.

CAPUT VII.

De miraculis S. Clementis poſt Martyrium ſubſequentibus

S. Ambroſius quarti ſæculi Doctor, in præfatione antiquiſſimi Ambroſiani Miſſalis, cujus Authorem facit illum, cùm V. C. Mabillonio in obſer: de Ri-

tu Ambrosiano Tomo 1. Musæi Italici Pag. 106. *Walafridus* lib. de Ritibus Ecclesiasticis *Cap.* 22. & Landulphus in historia Episcoporum Mediolanensium, sæculi 9. Scriptor; hæc igitur in Præfatione narrat de S. Clemente Ambrosius: *Cum impiissimus Persecutor B Clementem pœnis afficere à Diabolo cogeretur, non ei tormentum intulit, sed triumphum. Iactatur ergo Martyr Tuus in fluctibus, ut mergeretur iniquissima sententiâ. Ex hoc ergo pervenit ad præmium, unde Petrus Magister pervenit ad Regnum, Amborum Christus in fluctibus approbat mentes, Clementem ad Palmam Gloriæ de profundo revocat, Petrum ad cælestia Regna in eodem elemento, ne mergeretur, elevavit.* At ut observat Ruinartius, Missæ contestationes, quas vulgo nunc Præfationes appellamus, nihil aliud sunt, quã Martyrum gestorum præclara expositio. Non assumerentur igitur hæc acta in contestationem, si falsa, & ignota forent.



NARRA-

NARRATIO
S. Martyris Ephrem Episcopi Chersonis
De miraculo facto in Puerum a S. Martyre, & Apostolo Clemente.

Mirabilis DEUS in Sanctis Suis.

OPortunum est hodie dicere cum Propheta: *Quā admirabilia sunt opera tua Domine Quis Deus magnus sicut Deus noster, Tu es Deus faciens mirabilia solus.* Quod enim præsenti orationi aliud adferam proœmium? Artificiosam enim dicendi methodum præsens superat miraculum. Cum miraculum multa excellat miracula. & ipsa etiam Prophetica miracula exuperet, ut est ostensura oratio. Scio vos cupere scire, quodnam, & cujusnam sit miraculum, & urgetis, ut dicamus. Id autem est primum quidem Dei, à quo omnis datio bona, & omne donum perfectum. Præterea autem Clementis Romani, qui post Petrum fuit Præco veritatis, & ejus Romanæ sedis Successor fidelis. Illius inquam Clementis, cujus usque in hodiernum diem universa terra vel tacens, salutiferas, clamat fuisse docrinas. Clementis illius, qui fuit vera Pal-

mes

mes vitis Chriſti, per quam nobis expreſſus botrus doctrinæ, pietatis, & ſalutis, muſtum nobis effudit, Clementis, qui fuit vera ſcala, quæ nos deducit non ad ſublimem aliquam terræ altitudinem, ſed virtutum aſcenſionibus tanquam aliquibus, gradibus nos ad cælũ tranſmittit, & cæleſtia. Scala, quæ iis, quæ à Iacob viſæ ſunt nihil eſt inferior, non oſtendens nobis Angelos per eam aſcendentes, & deſcendentes, ſed hominum animas Divinis admonitionibus, ut quæ à gradibus ingradus per virtutes ad Deum deducat. Cujus quidem miraculum cum non didiceritis, ô! pulcherrimè, & fideliſſimè cætus, quale ſit, & quantum, audite, ut viri pii contendite, & ad audiendam exultate orationem, aures inclinate, & noſtram arguite tarditatem. De hoc enim gaudeo, ſolum vos rogo, ut uſque ad finem mihi attentum animum adhibeatis, & nulla cogitatio, quæ ad hujus vitæ curam pertinet, mentem veſtram ſubeat, nec promptum veſtrum animi ſtudium ſinat retardare. Sed hæc vigilanti animo, & attento fideliter excipite Res autem ita ſe habet. Cum præclariſſimus, & Beatiſſimus Clemens perfeciſſet doctrinæ curſum, & Apoſtolatûs, & per conſumationem Martyrii hinc exceſſiſſet, ut glorioſi ejus Martyrii Liber declaravit, quem vos non ignorare eſt mi-

hi

hi persvasum. non justum judicavit is, qui eos, qui ipsum glorificant, glorificat, non ipsum vicissim glorificare, qui pro amore in eum sic decertavit, sed eum valde glorificare, & magnificè extollere, & ut in Cælo Angelis, ita etiam hic hominibus eum reddere clarissimum, & maximè venerandum per miracula, miracula inquàm, quorum magnitudinem mens non potest comprehendere, nec oratio dicere multitudinē, neque manus exprimere infinitatem. ut ergo ex fimbria, ut est in Proverbio, textum pannum possitis cognoscere, id vobis narrabo, quod prius sum policitus.

Cum venerandæ Sanctissimi Martyris Clementis Reliquiæ in maris profundum fuissent projectæ ab impiis illis cultoribus simulacrorum, & eas excepisset Templum in profundo à Deo ædificatum Hic quoque maximum facit miraculum Deus admirabilium. Cum enim hoc factum esset, & ejus Discipuli flerent cum iis, qui illic erant, fidelibus, & ut sacro Sanctas Gloriosi Martyris Reliquias iis ostenderet, quod etiam factum est. Dum supplices rogarent, protinus immensum illud Pelagus desistens, & retrocedens effecit, ut profundum adiri possit à fidelibus usque ad tria milliaria. ingressi autem invenerunt Habitaculum instar Templi marmorei, & illic in capsa lapidea Sanctissimas, & Gloriosis-

simas

ſimas Martyris Chriſti repoſitas Reliquias. Qui cum ſtatuiſſent Sanctiſſimas ex profundo tollere Reliquias, noctu accedens Sanctus, eos ſic eſt allocutus: *Reliquias quidem meas nolite tollere, hanc enim vobis concedo gratiam, ut ſingulis annis die meæ decertationis, ſeptem dies mare retrò cedens præbeat iter per ſiccũ ingrediendum hucuſque:* Quod autem dixerat, deductum eſt ad effectum. Ab eo enim tempore uſque in hodiernum diem ſingulis annis fit hoc miraculum. Quid eſt hoc minus faciendum, quàm Moyſis miraculum? Quid vero Eliſæi vilius, aut minus glorioſum? Imò veró eſt longè majus, & glorioſius. Ille enim virgâ, & vivus, & ſemel mare ſcindens, maris profundum, ut iter. eſſet, effecit. Hic vero ſimiliter pelle ovillâ ſecans Iordanum, ſemel quoque hoc fecit miraculum; ambabus aquis poſt transitum, redactis ad ſuam naturam, quibus hoc nunquam factum eſt poſtea. Hic autem poſt mortem, & non ſemel, ſed ab eo tempore uſque in hodiernum diem. O! miraculum, & Gloriam Martyris, quale donum aſſecutus eſt ſingulis annis Die glorioſæ ſuæ Decertationis. Septem enim dies, ſicut prius diximus, recedens mare illud infinitum, piis præbet iter facile. Cum hoc ergo ſic factum, omnes pii, tam qui erant in Regione, quàm cives Cherſonis audiviſſent, per-

rexerunt ad contemplandum miraculum, cum quibus quidam quoque Vir pius cum pia uxore, & Filio masculo ad Sacrosancti Martyris Templum viam perrexerunt prompto, & alacri animo. Cum autem ad locũ pervenissent, & miraculum, quod adhuc fiebat, aspexissent ingressi sunt illud, Templum, quod a Deo ædificatum fuerat in profundo, & cum ad capsam accessissent, supplices Sanctum rogabant, petentes, ut per ipsum sibi daretur venia peccatorum, & precantes, ut Filio daretur vita longa, & nullis obnoxia calamitatibus, & opum copia, & quod est consentaneum petere Parentes Filio unico Postquam ergo preces peregissent, & Sancti osculati fuissent Reliquias, redierunt.

Qui cum egressi essent, aqua rursus in suum locum rediit. Illi autem conversi, & quod prius erat iter, pelagus aspicientes, huc, & illuc circumspicientes, Filiũ quærere aggrediebantur. Is autem in arca Sancti remanserat & hoc non oblivione Parentum, sed Dei voluntate factum est; ut in hoc quoque Martyrem faceret magis admirabilem. Cum ergo Parentes non invenirent Filium, & cogitassent puerum fuisse à se oblivioni in profundo mandatum, quid opus est dicere, & Patris lamentationes, & Matris ejulatus? Præclarum enim illud Festum converterunt in lamentationem, quid

enim

enim non dicebant? Quid non faciebant ex iis, quæ consentaneum est, vel ipsum lapidem posse movere ad lacrymas? Mater enim oculos ad mare extendens, & manus in altum extollens, Sancto tales voces emittebat: *Hæ sunt o! Sancte tuæ remunerationes, hancne reddis gratiam iis, qui tanto tui desideriò ad Te accurerunt. Hancne reddisti mercedem pro labore, quem passa sum, ex quo accessi? Ubi est mihi Filius, ubi nati mei viscera marina bellua laceravit? Quisnam autem vehemens insurgens fluctus eum vivum, tanquam sepulchrum operuit? Quemnam modò aspiciam oculis, pro quo vero orabo? quis autem erit meæ senectutis baculus? Cur o! Sancte non fecisti me esse sociam mortis Filii mei, ut quomodo ad Te accessi eum manu tenens, ita etiam eum ulnis ferens, infelix ad Inferos descenderem. O mare! o profundum! quonam tuo sinu meum tenebis Filium? quomodo autem eum alis. Hei mihi miserande Fili, Fili rapte ante tempùs, Fili, quomodo à meis oculis recessisti! quibus pedibus es conversus! Quemnam autem tanquam agnũ aspiciam exilientem.*

Pater vero rursus & manus, & oculos feriens sic conquerebatur, *Cur o! Sancte me repentè orbum fecisti liberis? Cur permisisti, ut meus Filius moreretur*

morte tam miserabili! cur mihi obtigerunt contraria iis, quæ speravi! Hacne spe ad Te accessimus? Taliane sunt dona Martyrum in eos, qui ad ipsos magno accedunt desiderio? Revera non Tu, sed procellæ meorum peccatorum mari tradiderunt filium O fili mi! quis tui mortui claudet oculos? quis te autem componet ad sepulchrum? Quænam verò theca pulchrum tuum, & jucundum teget tabernaculum! an omnino quidem tuos oculos texit mare, & sepelivit profundum! & tibi theca fuit venter piscium. Cum sic autem plangerent, & lamentarentur Parentes, quidam ex iis, qui illuc convenerant, vix tamen iis persvaserunt, ut cessarent a lamentatione. Cum à luctu autem parum cessâssent, domum abiêrunt. Cum ergo tempus processisset, ut memoriæ S. Martyris dies venissent, hæc inter se dicebant, recordati sui Filii: Agedum proficiscamur ad Sanctum, ut si ullæ Reliquiæ, quod fieri non potest, remanserint nostri Filii, eas accipiamus, & cum Sancto judicio contendamus, ut fieri possit, illic moriamur, mortis Societatem ineuntes cum Filio. Cum hæc ergo dixissent, nondum eis, quæ dicebantur, finem imposuerant, & cæperunt iter ingredi. Cum vero accessissent, & ad locum pervenissent, & mare retrocessisset, Deo hic quoque honorante Martyrem, filii-

sui

ſui deſideriô ſtimulati, primi in profundum inſiliêrunt, eoſq; ſequens vadebat multitudo. Cum autem perveniſſent ad imprimis venerandum Templum Martyris. O miraculum! vident ſuum filium vivum, lætum, & exilientem. Cum ſic autem à miraculis in miraculum incidiſſent, req; inſigni, & admirabili eſſent obſtupefacti, primùm quidem Deum laudârunt, deinde quoque Martyri egerunt gratias. Deinceps vero adoleſcentem interrogârunt, quomodo eſſet ſervatus, quonam vivificante, quonam ſervante, & quonam nutriente? Puer autem una quidem manu tenens arcam, alterâ autem manu digito indicans eum, qui intùs jacebat, reſpondit interrogantibus: *Hic poſt Deum meus Cuſtos, & vita, & alimentum fuit, & propulſator belluarum marinarum. Hic me quotidie alebat ſplendidiſſimè.* Parentes autem admiratione, & lætitiâ affecti, & Martyris fide magis confirmati, per quem filium, quem putabant mortuum, viventem acceperunt, priores luctus converterunt ad gratiarum actionem, Sancto ſic acclamantes: *verè ergo admirabilis eſt Deus in Sanctis ſuis & eorum, qui ipſum timent, faciens voluntatem, & audiens eorum precationem.* Servâſti o! Sancte, noſtrum filium, reddidiſti nobis eum, qui non ſperabatur. O! Cælum, & terra, & tu profundum, quod

nos prius execrabamur, admirare magnum hoc opus, quod naturam ſuperat. Eſto autem Tu quoque o! Sancte nobis propitius, & ea nobis condona, quæ animo cruciali in Te diximus, & fecimus, nè pro noſtris in Te maledictis, parem referas gratiam. Filium recipimus eum, qui erat mortuus, per Te nunc in vitam revocatum accipimus; ſenectutis noſtræ baculum rurſus habemus tuo auxilio. Quid pluribus opus eſt? Non trium dierum, ſed unius anni mortuum, & non lapide, ſed aquâ conditum, & non à vermibus, quod eſt naturæ humanæ proprium, conſumptum, ſed à piſcibus, ut exiſtimabamus, devoratum, ſalvum per Te accipimus. O! gratiam, o! gloriam, o! virtutem, & beneficentiam. O! Sancte. Cum ſic ergo Sanctum cum lacrymis eſſent laudibus proſecuti, accipientes filium, venêre domum, narrantes omnibus miraculum.

Quidnam ergo cum his conferemus? ajunt Eliam aliquando filium, qui erat mortuus, vivum Matri reddidiſſe, quod quidem eſt magnum, & valde admirabile. Quin etiam ad Eliſæi aliquando, ut literis eſt proditum, monumentum, quendam à quibuſdam homicidis interfectum, & in eo projectum, ſurrexiſſe, & vixiſſe, quod quidem eſt magnum, & valde admirandum. Porro autem Petrus quoque in noſtris libris, Petrus inquam

inquam Princeps Apoſtolorum, illam quæ pauperes alebat, viduam Tabitham, mortuam eadem horâ ad vitam ſuſcitavit precibus. Et ſunt hæc quidem admirabilia, & longè clariſſima. Præſens autem miraculum, quantum ea exuperat? Attentius autem mihi conſidero miraculi excellentiam. Elias quidem, ut prius diximus, nuper mortuum puerum, & qui nondum refrixerat, ſed adhuc ſervabat naturæ calorem, ſuſcitavit. Eliſæi vero virtus duabus de cauſis fuit miraculum, una quidem oſtendens Prophetam, qui ignorabatur, altera autem non concedens cædem etiam poſt mortem. Petrus vero ſua virtute, & adjutus etiam eorum precibus, qui à vidua fuerant affecti beneficiô, ipſe quoque excitavit eam modò mortuam. Sanctus autem Martyr Clemens, o! miraculum, non recens. ſed jam anno uno mortuum, vel ut melius dicam in uno quoque puncto, & ejus tenuiſſima parte morientem conſervavit. Scitis autem omnes, quale fuit ejus periculū, quanto tempore veri ſimile erat conſervari puerum in profundo tam vaſto, ſed mihi diligenter conſideranti, non unum mortuum, ſed quanto temporis ſpatio, ſcimus puerum in aqua ſuffocari, id tempus repetentes, & remetientes, inveniemus Sanctum, tot ſuſcitaſſe mortuos. Quod autem eſt admirabilius, non ab aquarum ſuffoca-

ſuffocatione, ſed à beſtiarum etiam læſione conſervavit puerum. O! gratiam, o! virtutem, quæ utrumque efficit, nempè & aquas alligat, & propulſat belluas. Ad hæc quid dicitis? non alia ſuperat miraculũ? niſi qui nos malè reprehendat, quod id extollamus ſupra miracula Prophetica. Nulla ea de cauſa in nos cadet reprehenſio, apertè enim ſcitis, S. Martyrem eſſe in eadem gloria, & iiſdem tabernaculis, in quibus SS. Martyres, & Apoſtoli, & Prophetæ, & ipſi Angeli.

Sed o! Martyrum ſplendor, & Decus Sanctorum, Primitiæ Antiſtitum vide nunc quoque hunc præſentẽ Cætum pium, & Religioſum, qui à vitæ fluctibûs quotidie obruitur. Cum Tuis precibus illæſum cuſtodi, & conſerva, & tanquam fere immanes inſiliunt Dæmones, & minantur, ſe devoraturos animæ nobilitatem, Tuarum interceſſionum jaculò repelle o! Sanctiſſime. Sed vos quoque o! Religioſiſſime Cætus rogo, ut per bona, & Deo grata opera efficiamus nos dignos Sancti gratiâ, & donîs. Et primum quidem in Deum & inter nos ipſos ſinceram, & non perturbatam conſerveemus Charitatem. Deinde ab omni maledicto, & omni mendacio, & omni perjurio nos ipſos repurgemus. Ante hæc autem, & poſt hæc faciamus Eleemoſynam, quæ facit Deum magis placare, & propitium reddere no-
ſtris

ſtris peccatis. Quis enim ejus oblitus, Regnum Dei poſſidebit? Nemo noſtrum prætexat paupertatem, nemo viduitatem, & liberorum nutricationem. Sunt hi frigidi, & pernicioſi prætextus. Nemo veſtrum eſt illa viduâ pauperior, quæ nihil aliud habebat, quam pugillum farinæ, idq; cum alendi ei eſſent liberi, neque tamen ſuam, aut filii vitam prætulit miſericordiæ. Ne excuſationes quæramus in peccatis; Deus non irridetur. Penuriam noſtram mente intueamur, videamus an quotidiani alimenti nihil nobis redundet. Ne menſium circulos metiamur, & annorum ambitus, eſt enim alius, qui providet, & eorum curam gerit, etiamſi nos ignoremus. Nos ipſos conſtituamus noſtrarum rerum examinatores, & ſicut prius quoque diximus, quotidiani alimenti noſtri nihil ſuperſit, ſciet Deus miſereri eorum, qui premuntur inopiâ. Sin autem viderimus noſtra penuria non ſolûm cibô, & potu impleta, ſed etiam aurô, & argento, & aliis, quæ eos conſequuntur, qui deliciis delectantur, & poſſeſſionibus, eſurientibus aliis, & frigore enecatis. Sciamus, quod æternum, & qui nunquam deſinit, ignem nobis recondimus. Ut ergo eum effugiamus, in Dei mandatis pro viribus ambulemus, ut & S. Martyris fruamur interceſſionibus, & ineffabilia, & æterna Dei bona conſequamur, gratia &

beni-

benignitate Domini nostri IESU CHRISTI, cui gloria, & potentia, nunc, & semper, & in sæcula sæculorũ Amen.

Errat igitur graviter Bailetius, & Tillemontius, qui illud miraculum alteri imaginabili Clementi adscribunt, cum S. Ephrem clare dicat esse Clementis Romani. Insinuat quoque hic S. Ephrem illum Tractatum de aliis multis miraculis, quæ ipse etiam alibi scripsit.

S. Gregorius Turonensis de Gloria Martyrum Cap. 34 *Clemens Martyr, ut in Passione ejus legitur, anchora in collo suspensâ, in mare præcipitatus est.* Nunc autem in Die solennitatis ejus recedit mare per tria milliaria, siccumq; ingredien tibus iter præbens, usque ad sepulchrum Martyris pervenitur, ibiq; vota reddentes, orantes populi, regrediuntur ad littus. Factum est autem, ut in una sollennitatum, mulier cũ filio parvulo in loco accederet. Epulante vero ea post acta sollennia, obdormivit infans. Dum autem hæc agerentur, ecce sonus subito factus est accedentis Pelagi, de hinc oblita mulier sobolis suæ, cæpit velociter cum reliquo populo petere ripam. Igitur insequenti maris accessu, postquam ad littus venerat, meminit se filium reliquisse. Tunc cum fletu magno dejecta terris, miseram se clamitans, littora vocibus replebat, atque discur-

discurrebat per circuitum riparum, si forte enecatam prolem, ejectamq; littori aliquis conspexisset. sed cum nihil inveniret indicii, tandem consolata à propinquis, ad propria reducitur, totum annum in luctu ac lamentatione deducens Recurrente autem anni circulo, venit iterum ad spectandam Martyris Beati solennitatē, si fortassis de infantulo aliqua possit invenire indicia. Quid plura? Recedente mari, anticipat omnes ad ingrediendum, & ipsa prima procedit ad Tumulum. Cumq; prostrata solo orationem explesset, erecta sursum, genis ubertim fletum imbribus madefactis, dum divertit in parte altera vultum, aspexit Filium, in eodem loco, ubi eum dormientem reliquerat in ipso adhuc sopore teneri. Æstimans autem eū esse defunctū, accedit cominus quasi collectura cadaver exanime, sed cum eum dormire cognovisset, excitatum velociter expectantibus populis incolumem levavit in ulnas, interrogansq; inter oscula, ubi per anni fuisset spacium nescire se ait, si annus integer præteriisset, tantumq, dormivisse se svavi sopore in unius noctis spatio æstimabat.

Nicephorus Callistus id ipsum describit *lib. 3. Hist. Eccl: Cap. 18.* Cum autem Clemens imperata Trajani non faceret, in civitatem quandam obscuram, &

desolatam Chersoni vicinam est relegatus; multisq; casibus propter Christi confessionem conflictatus, tandem anchorâ ferreâ è collo ejus suspensâ, in altum mare proiicitur. De quo supra opinionem præsentis memoriæ quiddam accidit. *Siquidem mari diebus septem ad tria milliaria passuum diviso, multi eò eunt, & Martyris corpus exosculantur; Templo Divina virtute excitato.* Et cum aliquando mare, ut assolet, divisum esset, populusq; statuta ibi sacra peregisset, atque inde rursus reverteretur, evenit, ut per Parentum oblivionem, illic puer quidam relinqueretur. Atque ubi mare in sese rediit, puer tenellus etiamnum undis est obrutus. Deinde cum rursus fluctus recessissent, Parentes eo accesŝêre, & puerum salvum, & validum loculis S. Martyris repererunt assidentem. Qua re cognita, intellexerunt, eum per inhabitantem ibi gratiam salvum & ultra nocumenta à feris marinis conservatũ esse. Quapropter Apostolo, quem decuit, atque oportuit, honore habitô, cum puero suo Domum sunt reversi.

Adverto non solum tempore S. Ephremii, & S, Gregorii Turonensis, sed etiam temporibus Nicephori hoc factum fuisse miraculum recessûs maris, cùm apertè dicat: *Multi eò eunt;* atque noto S. Clementem ut Apostolorum habitum esse.

Sime-

Simeon Metaphrastes id ipsum testatur, fieri solitũ suis diebus. Revelatum ergo fuit ejus Discipulis ne Reliquias è loco ejicerent, quibus etiam hoc fuit responsum, quod singulis annis in Die suæ Decertationis, cessurum sit mare venientibus, septem dies siccũ iter iis præbens. Quod quidem Deo placuit fieri ad laudem sui nominis usque in hodiernum diem.

De miraculis vero hæc ait: *Illic enim plurima fiunt beneficia. In ejus Festo cæci illuminantur, Dæmones expelluntur, febricitantes sani fiunt, & nephretici, & qui calculo laborant, solo contactu ejus Reliquiarũ, & aquæ sanctificatæ aspersione, & potu à morbo liberantur, & qui quovis morbo sunt affecti, confugientes ad S. Martyris auxilium, fruuntur curatione, & permanet gloria ejus, & laus in æternum per D. N. IESUM CHRISTUM.*

Testatur id quoque Hymnus antiquissimi Breviarii Mosarabici Toletani, vulgo S. Isidori, quod reperi in Bibliothæca Barberina Romæ.

Hymnus.

CLEMENTIS Festum celebratur hodie,
Venite plebs & miramini compotes,
Asseclam Petri, Domini Apostoli,

Romanæ Sedis tertium Antiſtitem;
Quem Chriſtus ſibi conſecravit Martyrem.
Qui dignè regens Romuleos populos,
Annunciando IESUM CHRISTUM Dominum
Illuminavit Theodoræ Siſinium,
Dum viſo Petrô, orans ipſe conſpicit.
Sic à Clemente baptizatus credidit,
Hic prædicando CHRISTI Evangelium,
Et convocando catervas fidelium,
Trajani juſſu ducitur in exilium
Trans Pontum mare in præruptum Eremum
Peregit inſigne miraculum,
Aquarum venas ex abyſſo protulit,
Et ſatiavit ſitientes incolas,
Qui per metalla excidebant marmora,
Et æſtuabant tabe & ſiti valida.
Pro Chriſti nomine portantes ſupplicia.
Quos ubi cernit Beatus à ter bino poculum (minũ
Ferre ſibi milliario,hortatur cũctos ad prædicãdũ Do-
Ut ſuis fontem aperiret laticum,,
Sacris ſalubrem inire Confeſſoribus,
Quorum oblata dum litaret immolans,
Sacer Antiſtes, meritis inſignior,
Agnum adſtare cernit, ſibi Dominum
ſignan-

Signantem locum, quem ut idem pupugit,
Elicit unda affluentem in fluvium.
Hæc fama cunctas per gyrum Provincias
Complens, plebes ad credendum excitat.
Quæ confluentes suscepto baptismate,
Capiunt normam Fidei Catholicæ,
Condiunt ædes quindecenas quinquies.
Ob hoc crescente æmula invidia,
Profundo maris mergitur cum anchora,
Ubi humatur sepulchrali camera.
In qua fundata extat nunc Ecclesia.
Ubi fideles confluunt per sæcula.
Qui cursu anni tectus aqua valida,
Alto in mari subtus undas latitat,
Cujus recurrens annua festivitas,
Recedens, Ponti tria milliaria
Per septem dies, vias præbet fulgidas.
Cujus sepulchrum, velut aurum rutilat,
Anchora colli ut argentum emicat.
Fiunt virtutes per fideles petitæ,
Agentes Deo Gratias multimodas.
Qui præstat Sanctis tanta mirabilia.
Te ergo Clemens Martyr alme supplices,
Agonis tui celebrantes gaudia,

Te

Te hodie poſcimus cum fletibus,
Ut lapſis ſucurras labentibus,
Ac per te culparum careamus cumulo.
Exemplo tuo verſi à pejoribus;
Ad meliora; contendamus jugiter
Optima ambientes, dignius
Mandata vitæ ſervemus, felicius,
Ut poſt Sanctorum adunemur cætibus:
CHRISTUM rogemus, verbum Patris unicum,
Et obſecremus almumq; ſpiritum,
Ut mundi procul auferat jactantiam,
Virtutum nobis donet abundantiam,
Per quem æternam habeamus gloriam.
Præſta quæſumus unita potentia
Complenſq; globi cunctam ſolus machinam,
Virtute firmans adeſto gloria æterna,
Cujus & laus, & Clementia,
Et honor jugis affatim per ſæcula Amen.

Singulari nota dignum reperi in MSS. antiquiſſimo codice Armeno Archicathedralis Eccleſiæ Leopolienſis Ritûs uniti Armeni, quod hic ex armenica lingva latinà refero de miraculo pueri in mari, integro annô conſervati.

Parentes iſtius Pueri pro anima ejus omni ſabatho

tho Eleemosynas pauperibus erogabant, & Ecclesiis panem, vinum, & oleum offerebant, ut memores essent animæ ejus Sacerdotes. Elapso annô contigit, ut anniversario die Martyris, Episcopus cum Clero, & populi multitudine, de more visitaret sepulchrum S. Pontificis cum cæreis, incenso, & canticis, venerunt autem & Parentes pueri, sperantes invenire corpus mortuũ filii sui, sed præter spem repertus est puer vivus, sedens ad Mausolæum, qui interrogatus ab Episcopo, quomodo viveret inter fluctus tanto tempore? *Nec miremini*, inquit puer, *quia in hac fornice saxea, aqua me minime offendit, atque insolita fruebar luce. Quidam vero vir venerabilis quolibet Sabatho cibabat me pane, vino, & oleo, quibus nutritus perseverabam usque ad sequens Sabathum.* His auditis, glorificaverunt S. Martyrem, Deo agentes gratias pro tanto miraculo. Ex hoc confusi sunt infideles, dicentes; *Eleemosynas nihil prodesse mortuis.* Abhinc autẽ Episcopus lampadem ad sepulchrum S. Martyris jussit accendi, & appendi quæ totô annô ardens, Marinis fluctibus non extincta inventa fuit.

Illustre miraculum S. Clementis S. Illidio Episcopo ostensum.

D. Clemente, in mari extincto, atque per felicem Marty-

Martyrii triumphum Cælis recepto, accelerat S. Illidius, ipsius memoriæ, ac venerationis sacram Ædem ædificare, Interea temporis, Vir Dei certa relatione intellexit, sepulchrum marmoreum seu Templum quoddam D. Clementi Angelico ministeriô in medio mari exstructum fuisse, & quod ipsum mare Divino motu, deserto littore sese ad tria miliiaria retro, die Martyrii sui annuatim septenos dies reciperet, ut liberum esset Christianis per arenam sicco vestigio ipsum sepulchrum adire; tum vir Dei mirum in modum flagrare cæpit, si quomodo è sacro ejus corpore particulam aliquam promereri posset, decorandæ novæ suæ Basilicæ gratiâ. Quamobrem longissima peregrinatione in Scythiam ad Chersonam urbem properavit; & per maris recessum observata occasione, ad sepulchrum Martyris advolat, ubi suppliciter procumbens, intentissimè orat, ut ex sacratissimo corpore aliquid Reliquiarum suæ Basilicæ, quam apud Arvernam urbem ædificaverat; nobilitandæ causâ, à Domino, & ipsius Martyre accipiat. Tunc Brachium suum aperto sepulchrô D. Clemens protulit, uti vetustissimæ ejus etiam Picturæ, atque scripturæ testantur; & secum illud afferendi copiam fecit. Tum Beatissimus Præsul pro tanto munere. Deo primùm, deinde Martyri tam munifico

fico debitas agens gratias, incredibili gaudio ſecum in ſuam Baſilicam detulit, & in præcipui altaris medio, quod ipſum Martyri ſacraverat, parvo exſtructo fornice; inſtar capellæ cujuſdam decore perpetuo ſervandum indixit; quod etiam proprio ſigillo compreſſit, causâ ſecuritatis, & Religionis. Ex vetuſto Breviario Illydiano MSS. à D. Iacobo Bardion Benedictino copiato, apud Bollandianos *Tomo 1. Iunii Pag: 426.*

Referunt antiqui Patres, quod poſt deceſſum B. Clementis iêrit ad ſepuchrum ipſius B. Illidius atque diſponente Domino, partem Reliquiarum ejus ſecum attulerit, ſcilicet Brachium ipſius dextrum, atque in quodam oratorio ſub ara altaris, quæ in honorem ejus erecta fuerat, cum ſuo ſigillo obſignatum, honorificè condidit, & poſt obitum ſuum Præſul Sanctiſſimus, pro amore ejudem Martyris collocari ſe præcepit. Poſt multum vero temporis, venit quidam Abbas, nomine Mancidus, & adjunxit ſecum Arvernenſẽ Epiſcopum, nomine Begonem, celebravitq; triduanum jejunium cum ſuis, & acceſſit ad altare principale, quod conſtructum in honorem B. Clementis Papæ, & Martyris fuit, & deſtruxit aram Altaris, & cæpit fodere, tunc pervenit ad locum, in quo poſitæ erant ſacræ Reliquiæ; erat quidam locus multo cæmento,

& calce aptatus, & quasi lacunar profundissimum factum; ibiq; repererunt B. Clementis Brachium, & cũ magnis populorum laudibus, in quodam scrinio honorificè posuerunt. Postea vero reædificaverunt Altare in honorem ejusdem, ibiq; per eum Dominus multa mirabilia operatur. Bego Episcopus vivebat tempore Hugonis Capeti, qui obiit annô 998, Ex MSS. Illidiano

Hoc sacrum pignus Gvilhermus Archiepiscopus honorificentius adornatum in eadem Ecclesia Illidiana reposuit, duobus digitis in alias Ecclesias translatis. Ex hoc Sacro Brachio quædam Reliquia S. Clementis aliud miraculum ostendit, de quo his verbis S Gregorius Turonensis de Gloria Martyrum *lib.* 1. *Cap.* 37. *Pag.* 762. *narrat:*

Fons erat irriguus ruri cuidam, infra territorium Urbis Lemovicinæ, cujus unda, [idem inquit] tam hortorum lata, quam agrorum culta vel fovebat accessu, vel impetu fæcundabat. Deducebatur etiam factis decursibus per loca necessaria, ut ubi eum natura non dabat, studium provocaret. & erat tam dulcibus vena exuberante fluentis, ut gaudere cerneres olus, sive virgultũ, si fuisset ab eodẽ irrigatum. Opitulabatur etiã gratia in eo majestatis Divinæ, ut in quo fuisset fluentum emissũ, velociter germina acciperent incremen-

tum

tum. Quumq; eum incolæ loci, quasi ludum agentes per singula quæque loca deducerent, insidiatoris, ut credo invidia sub tera dehiscens, ac velut in stadiis duodecim in medium paludis, ubi nullum prorsus posset opus efficere, fluctibus sparsis exoritur. Extemplò omnium mentes timor obsedit, & novum quendam advenire regioni loci incolæ præstolantur interitum, simulq; & beneficium, quod habere consveverant, jugi, fletu deplorant. Curriculum igitur [prosequitur S. Præsul] unius, atque alterius anni in hac ariditate pertransiit. Arescunt siti loci illius omnia, quæ irrigare consveverat. Tertio autem annô accidit, ut quidam iter agens B. Clementis Martyris Reliquias exhiberet, quas Aridio ipsius Urbis Præsbytero viro in omni Sanctitate religioso detulit. Ad quem quum die, noctuq; vicini mæsti tenderent, confisi de ejus oratione, quod si peteret Dominum, fontem posset suo restituere loco, ait *Eamus* [inquit] *dilectissimi, & si vera sunt, quæ portitor noster asseruit, hæc esse S. Clementis Martyris pignora, nunc apparebit, quum ejus fuerit virtus manifesta.* Tunc cum psalmis ad locum fontis accedit, & dictis Psalmis in oratione prosternitur positisq; Sanctis Reliquiis in ipso fontis additu petiît, ut qui quondam in deserto damnatis ad secanda marmora flumen

 irriguũ

irriguũ patefecit, in hunc locũ aquas, quas prius pia indulſerat Clementia, Clementis iterum interceſſio revocaret. Illico vena recurrit ad aditum magnas evomens aquas, illumq;, quem priùs tenuerat alveum decurrendo replevit, admirantibus populis, immenſæ gratiæ Domino referuntur, qui & Martyris virtutem prodidit, & fidelis ſui orationem implere dignatus eſt.

Hæc de miraculis, quantum nobis licuit, egimus, moventes omnem lapidem in illis conquirendis, ſed illa omnia miracula à S. Ephremio conſcripta cum sũma animi voluptate intelleximus, aſſervari in Sacro Archiſterio celeberrimi Caſſinenſis Archimonaſterii, hac ſaltim ſpe contenti, quod illa uti ſummæ, & admirandæ raritatis monumenta, nullibi reperta, Illuſtrſſimus & humaniſſimus Vir Antonius Capece Abbas Generalis Ord. S. Benedicti ſpoponderat, ſe juriſpublici facturũ, ſimul cum vita ejuſdem amantiſſimi Tutelaris, & Martyris Clementis ab Heſychio Salonitano Longobardico charactere exarata, aſſervata pariter in pretioſiſſima Caſſinenſi Bibliotheca. De hiſce monumentis per neceſſariis monui Viros laudatiſſimos Bollandianos, quorum Principem Ioannem Stiltingum certiorem de his feceram, ut ſuo tempore ad diem 23. Novembris in actis publicis apponerentur, neque illa omitterem hic apponen-

da, si illa ad manum haberem, pauca quidem hic sunt apposita, sed multa alia superant miracula.

CAPUT VIII.

De translatione Corporis S. CLEMENTIS Romani

SAncti Fratres Constantinus Philosophus, qui & Cyrillus dicitur, & Methodius Constantini Thessalonicensis, cognomento Philosophi Civis Constantinopolitani, filii, multarum Regionum Gentes, cũ earum Regibus ad fidem Christi perduxerunt, ut testatur Romanum Martyrologium, & penè omnium Sclavorum Apostoli, ut dicit Martinus Polonus Archiepiscopus Gnesnensis *lib.* 4. *Chronici.* Hi Viri Apostolici inde vel maximè celebrantur, quod Sacrum Corpus S. Clementis Romani Pontificis in mari Euxino submersũ pro Fide Christi, Romam detulerint Hadriano secundo summo Pontifici. Oculatus testis hujus translationis est Anastasius Bibliothecarius, qui scribens ad Carolum Regem Franciæ Kalendis Aprilis, Indictione VIII. anno 875 inquit; *Vir magnus, & Apostolicæ vitæ Praeceptor, Constantinus Philosophus Romam sub venerabilis*

memoria Hadriano juniore Papa venit, S. Clementis Corpus, sedi suæ restituit.

Suffragatur etiam testimonium Leonis Ostiensis Episcopi cujus sermo MSS. de hac translatione extat ineditus hucusq; in Bibliotheca Cassinensi, de eo sic narrat Iacobus de Voragine in historia Lombardica: Refert Leo Ostiensis Episcopus, quod tempoe, quo Michael Imperator novæ Romæ regebat Imperium, Sacerdos quidam, nomine Philosophus, qui ob summum ingenium à pueritia fuerat sic vocatus, cum Chersonam pervenisset, & de iis, quæ narrantur in Historia Clementis habitatores interrogasset, quia advenæ potius, quàm indigenæ erant, se nescire professi sunt, siquidem miraculum marini recessûs ob culpam inhabitantium jam diu cessaverat, & ob incursum Barbarorum tempore marini recessûs venientium, Templum destructum fuerat, & arca cum corpore marinis fluctibûs obruta erat. ex ingentibus culpis inhabitantium. Super quo miratus Philosophus, & accedens ad civitatulam nomine Georgiam, cum Episcopo, & Clero accessit ad quærendum Sacras Reliquias, ad Insulam, in qua existimabant Corpus esse Martyris, ubi cum hymnis, & orationibus fodientes, Divina revelatione invenerunt Corpus, & anchoram, cûm qua fuerat in mare projectum, & deportaverunt

verunt Cherſonam, Deinde prædictus Philoſophus cum Corpore S. Clementis Romam venit, & multis oſtenſis miraculis, in Eccleſia quæ nunc dicitur S. Clementis, honorificè Corpus collocatum fuit. in quadam autem Chronica legitur, quod mari, ab illo loco exſiccato, à B. Cyrillo Moravorum Epiſcopo Romam tranſlatum eſt. hæc ille.

Dubravius lib 2. Hiſtoriæ Bohemicæ numero 26. ſcribit: exſtruxit deinde in arce Wyſzehradenſi Sacellum Duci Clementis, cujus Corpus Cyrillus Antiſtes ex Cherſoneſo Pontico in Moraviam attulit, ac deinceps Romam ſecum extulit, clarum miraculis ac venerandum, ideoq; Templo a Borzywoio decoratum.

Pontanus in Bohemia pia lib. 4. Pag. 51. de S. Cyrillo hæc habet: *S. Clementis Corpus priùs in Moraviam, poſtea ſecum pro majori ſecuritate, & propter hæreticos venturos, Romam advexit.* hæc ille.

Miraculis clarum Sacrum Corpus fuiſſe in Moravia confirmant lectiones officii approbati à Sede Apoſtolica, pro Gente Polona, de SS. Cyrillo, & Methodio ad diem IX Martii, ubi dicitur: *Quod acceptum dũ ſecum circumferret, magna miracula Deus paſſim per illud operatus eſt.*

In libro antiquiſſimo ſclavonico, cui titulus *Sobornik*

hæc

hæc inveni: audiens de his Hadrianus Papa, Cyrillum Romam venire juſſit, qui cum veniſſet, & Papa audiſſet, quod Cyrillus ſecum portâſſet Oſſa S. Clementis Romani Pontificis, egreſſus eſt ei obviam cum toto Clero, & recepit libros Sclavonicos, & benedixit illos, & poſuit in Eccleſia S. Mariæ Pacis, ubi abſoluto ſacrificio, juſſit illos conſecrari per Formoſum, & Gordium, qui cum eſſent Conſecrati, cantaverunt Miſſam Sclavonicè in Baſilica S. Apoſtoli Petri & in craſtinum cantaverunt in Baſilica S. Apoſtoli Pauli.

Mathias Miechovienſis de Sarmatia Cap. 7. in Corpore Hiſtoriæ Polonorum Pag. 128. Editionis Baſilienſis, luculenter de his ſcribit: Inde, inquit, S. Cyrillus rediens, ex mari Euxino, ſeu Pontico [in quo, ait, Omnipotens Deus mirabilis, & glorioſus in Sanctis ſuis, dederat habitaculum, & Eccleſiam marmoream, per manus Angelorum S. Clementi ſtructam, quàm ſingulis annis in Feſto S. Clementis, & ſeptem diebus mari recedente, & ſiccato, ſecurè circũſiti incolæ aggrediebantur Sànctum Dei venerando, colendo, & extollendo] ſuſtulit Corpus S. Clementis, & in Moraviam prædicaturus Chriſtum Dominum, ſecum tulit, & aſportavit. Deinde Romam evocatus, & per Papam Nicolaum citatus prædictum Corpos S. Clementis Romam detu-

lit, & in Ecclesia S. Clementis honorificè deposuit. Ipse Cyrillus cum Mæthodio Fratre in eadem Basilica B. Clementis Romæ sepulti, sed non reperta ossa illorũ, quantumlibet, summè desiderata in eadem Basiilica quæsita.

Hinc vidi in Bibliotheca Vaticana S. Cyrilllum dedepictum eleganti, & venerabili forma in Pontificali Græco habitu cum hac inscriptione: *S. Cyrillus altarum Illiricarum literarum author, ad pedes vero ejus jacet anchora, quæ indicat translationem Corporis S. Clementis anchorâ demersi, factam per S. Cyrillum.*

Gaudericus Episcopus Veliternus Ioanni VIII. sũmo Pontifici nuncupavit vitam S. Clementis Romani inchoatam à Ioanne Diacono, quo decedente, ipsam consummavit, & in tres libros divisit, in tertio autem libro narrat Translationem Corporis ejus, quam se vidisse dicit in Præfatione his verbis, *ast in tertio miramur Prodigia, exulationis angustias, Martyrii laureas, Reversionis ejus ad propriam sedem, miracula, quæ colligere procuravimus, Quæ nos ut, meminimus, quæ vidimus, & legimus, ipsius Christi Martyris fisi orationibus, colligentes transcripsimus.* Hunc tertium librum avulsum, inter suos codices Tomo secundo collectionis, Franciscus Du Chesnius Senator Parisiensis in-

ſeruit, quem nos hic fideliter proponimus.

Incipit Tranſlatio Corporis S. CLEMENTIS Martyris, & Pontificis.

TEmpore igitur, quô Michael Imperator novæ Romæ regebat Imperium, fuit quidam Vir nobili genere, civitate Theſſalonica ortus, vocabulô Conſtantinus, qui ob mirabile ingenium, quo ab ineunte infantia mirabiliter claruit, veraci cognomine Philoſophus eſt appellatus. Hic cum adoleviſſet, atque à Parentibus fuiſſet in Urbem Regiam ductus, eſtq; inſuper magnâ Religione, & prudentia præditus, honorē quoque Sacerdotii ibidem ordinante Domino, eſt adeptus. Tunc temporis ad præfatum Imperatorem, Gazarorum Legati venerunt orantes, ac ſupplicantes, ut dignaretur mittere ad illos aliquem eruditum virum, qui eos fidem Catholicam veraciter edoceret, adiicientes inter cætera; Quoniam nunc Iudæi ad fidem ſuam, modô Saraceni ad ſuam nos convertere è contrario moliuntur. Verum nos ignorantes, ad quos potiſſimum nos transferamus, propterea à ſummo, & Catholico Imperatore conſilium quærere noſtræ Fidei, ac ſalutis decrevimus, in fide veſtra, ac veteri amicitia pluri-

plurimum confidentes. Tunc Imperator ſimul cum Patriarcha conſilio habito, præfatum Philoſophum advocans, ſimul cum Legatis illorum, ac ſuis honorificentiſſimè tranſmiſit illuc, optimè confidens de prudentia, & eloquentia ejus. E veſtigio igitur præparatis omnibus neceſſariis, iter arripiens venit Cherſonam, quæ nimium terræ vicina Gazarorum, & contigua eſt, ibiq; gratiâ diſcendi lingvam gentis illius, eſt aliquantulum demoratus. Interea Deo inſpirante, qui jam jamq; tantum, tamq; pretioſum theſaurum Corporis videlicet S. Clementis, fidelibus ſuis revelare decreverat, cæpit præfatus vir, acſi curiosus explorator ab incolis loci diligentiſſimè perſcrutari, ac ſolerter inveſtigare illa, quæ ad ſe tum literarum traditione, tũ quoque vulgari famâ de Corpore B. Clementis, de Templo Angelicis manibus præparato, ſive de arca ipſius, pervenerant, ad quem præfati omnes, utpote non indigenæ, ſed diverſis ex gentibus advenæ, ſe, quod requirerent, omnino neſcire profeſſi ſunt. Siquidem ex longo jam tempore ob culpam, & negligentiam incolarum, miraculum illud marini receſſûs, quod in hiſtoria Paſſionis præfati Pontificis celebre ſatis habetur, fieri deſtiterat, & mare fluctus ſuos in priſtinas ſtationes refuderat. Præterea ob multitudinem incurſantium barba-

arorum, locus ille desertus est, & Templum neglectũ, atque destructum, & magna pars Regionis illius ferè desolata, & inhabitalis reddita, ac propterea ipsa S. Martyris arca cum Corpore ipsius fluctibus obruta fuerat. Super quo responso miratus valde, ac tristis Philosophus redditus, ad orationem conversus est, ut quod per hominem explorare non poterat, Divina sibi revelatio meritis præfati Pontificis dignaretur ostendere. Civitatulæ ipsius Metropolitam nomine Georgium, simul cum Clero, & populo ad eadem de Cælo expetenda invitans, super hoc etiam referens, illius gesta Passionis, seu miraculorum ejusdem Beatissimi Martyris, plurimos eorum accedere, & tam pretiosas margaritas tam diu neglectas requirere, & in lucem Deo juvante reducere, suis adhortationibus animavit. Quadam autem die, quæ in III. Kalendarum Ianuarium inscribitur, tranquillo mari, navem ingressi, Christo Duce iter arripiunt, prædictus videlicet Philosophus cum Episcopo, ac venerabili Clero, nec non cũ nonnullis de populo, navigantes igitur cum ingenti devotione, ac fiducia psallentes, ac orantes pervenerunt ad Insulam, in qua videlicet æstimabant S. Martyris Corpus esse. Cum igitur undique circumdantes, & multo luminum splendore lustrantes, cæperunt magis, ac

magis

magis precibus ſacris inſiſtere. & in acervo illo, quo tantum Theſaurum quieſcere ſuſpicari dabatur, curioſè ſatis, & inſtantiſſimè fodere. Ubi diu, multumq; deſiderio ſancto cunctantibus, & de ſpe Divinæ miſerationis plurimum confidentibus, tandem ex improviſo, velut clariſſimum quoddam ſydus, Donante Deo una de coſtis Martyris Pretioſi reſplenduit, ad quod ſpectaculum omnibus immenſa exultatione repletis, magiſq; ac amplius ſine aliqua jam excitatione terram certatim eruderantibus, Sanctum quoque Caput ipſius cõſequenter apparuit. Quantæ jam omnium voces in Cælum, quantæ laudes, & gratiarum actiones in Deum ab univeſis cum lacrymarum effuſionibus datæ ſunt, ſi vel æſtimare quidem vix poſſumus, quanto minus exprimere? Tanta ſiquidem in omnes tum de Sanctarum inventione Reliquiarum, tum de immenſiſſimi odoris ſvavitate erat innata lætitia; ut tum ſubito in effabili gratulantes in Paradyſo extra ſeſe putarentur conſiſtere. Cum ecce poſt paululum rurſus quaſi ex quibuſdam abditis Sanctarum Reliquiarum particulis paulatim, & per modica intervalla, omnes repertæ ſunt. Ad ultimum quoque ipſa etiam anchora, cum qua in Pontum eſt præcipitatus, apparuit. Omnibus igitur pro tantis Dei bonis immensâ repletis lætitiâ, ce-

lebratus

lebratis ibidem à S. Pontifice Sacroſanctis Myſteriis, ipſemet Sanctus Vir ſuper Proprium Caput Sanctarũ Reliquiarum loculum ſervans ad navem cum ingenti univerſorum ſubſequentium tripudio detulit, ac deinde Gloriam Metropolim cum hymnis, & laudibus maximis tranſportavit. Interea cum jam civitati appropinquarent, Vir nobilis Nicephorus ejuſdem civitatis Dux, illis cum pluribus aliis obviavit, & adoratis Sacroſanctis Reliquiis, cum multis gratiarum actionibus, præcedens Sanctum loculum ad urbem cum gaudio remeare properabat. Ibi etiam cum ingenti univerſorum tripudio, ſanctum, ac venerabile Corpus receptum adoravit, & recitato coram omni populo Inventionis ejus Myſterio, cum jam adveſperâſſet, & præ nimia populi frequentia ingredi ultra non poſſet, in Templo S. Sozontis, quod urbi erat contiguum cum diligenti cuſtodia poſuerunt. Demum vero ad Eccleſiam S. Leontii tranſtulerunt. Inde cum mane factum eſſet, univerſa civitatis multitudo conveniens, aſſumpto Sanctarum Reliquiarum loculo, totam cum magnis laudibus in circuitu luſtraverunt urbem, & ſic ad majorem Baſilicam venientes, in ea ipſum honorificè locaverunt, ſicq; omnes domum ad ſua gaudentes reverſi ſunt. Poſt hæc prædictus Philoſophus iter arripiens, & ad gentem illam

lam, ad quam missus fuerat, veniens, comitatus Redemptoris omnium Dei prædicationibus, & rationibus eloquiorum suorum, convertit omnes illos ab erroribus, quos tam de Saracenorum, quàm de Iudæorum perfidia retinebant. Unde plurimum exhilarati, & in Fide Catholica corroborati, atque edocti, gratias referebant Omnipotenti Deo, & famulo ejus Constantino Philosopho. Literas insuper Imperatori cum multis gratiarum actionibus transmiserunt, quia eos studio suo ad veram & Catholicam revocare studuerit Fidem. Affirmantes se ob eam rem Imperio ejus semper subditos, & fidelissimos de cætero velle manere. Ducentes autem Philosophum cum multo honore, obtulerunt ei munera maxima, quæ ille omnia, ut revera Philosophus, respuens, rogavit, ut pro muneribus illis, quotquot Captivos extorres haberent, sibi secum reversuro mox dimitterent, quod protinus completum est.

Philosopho autem reverso Constantinopolim, audiens Ratislaus Princeps Moraviæ, quod factum fuerat à Philosopho in Provincia Gazarorum, ipse quoque genti suæ consulens ad prædictum Imperatorem nuntios misit; nuntians hoc, quod populus suus ab idolorum quidem cultura recesserat, & Christianam legem desiderabat, verum Doctorem talem non habent, qui

ad legendum eos, & ad perfectam legem ipſam edoceat, rogare ſe, ut talem hominem ad partes illas dirigat, qui pleniter Fidem, & ordinem Divinæ legis, & viam veritatis populo illi oſtendere valeat. Cujus præcibus annuens Imperator, eundem ſuper nominatum Philoſophum ad ſe venire rogavit, cumq; illuc, ideſt, in terram Slavorum ſimul cum Methodio germano ſuo tranſmiſerit, copioſis valde illi de palatio ſuo datis expendiis. Cumq; ad partes illas, Deo præparante, veniſſet, cognoſcentes loci indigenæ adventum illorum valde gaviſi ſunt, quia & Reliquias B. Clementis ſecum ferre audiêrant, & Evangelium in eorum lingvam à Philoſopho prædicto tranſlatum. Exeuntes igitur extra civitatem obviam, honorificè, & cum ingenti lætitia receperunt eos. Cæperunt itaq; ad id, quod venerant peragendum, ſtudioſè inſiſtêre, & parvulos eorum literas edocere, officia Eccleſiaſtica inſtruere, & ad correptionem diverſorum errorum, quos in populo illo repererant falcem eloquiorum ſuorum inducere, ſicq; abraſis, & extirpatis de agro illo peſtifero multifariis vitiorum fontibus, Divini verbi gramina ſeminare. Manſerunt ergo in Moravia per annos quatuor & dimidiũ, & direxerunt populum illius in Fide Catholica, & ſcripta ibi reliquerunt omnia, quæ ad Eccleſiæ Miniſterium

videban-

videbantur esse necessaria. His omnibus auditis Papa Gloriosissimus Nicolaus, valde lætus super his, quæ sibi ex hoc relata fuerunt, redditus, mandavit, & ad se venire illos literis Apostolicis invitavit. Quo nuntio illi perceptô, valde gavisi sunt, gratias agentes Deo, quod tanti erant habiti, quod mererentur ab Apostolica Sede, vocari. Mox igitur iter aggressi, duxerunt etiam secum aliquos de Discipulis suis, quos dignos esse, ad Episcopatûs honorem recipiendum censebant, sicq; Apostoli quantotius Romam applicuerunt. Sed cum ante non multos dies, supradictus Papa Nicolaus, transiisset ad Dominum, secundus Adrianus qui illi in Romano Pontificatu successerat, audiens, quod præfatus Philosophus, Corpus B. Clementis, quod studio suo repererant, secum deferret, valde nimis exhilaratus est, & extra Urbem cum Clero, & populo procedens obviam illis, honorifice satis eos recepit. Cæperunt interea ad præsentiam Sanctarum Reliquiarum per virtutem Omnipotentis Dei, sanitates mirabiles fieri, ita, ut quovis languore quilibet oppressus fuisset, adoratis pretiosi Martyris Reliquiis Sacrosanctis, protinus salvaretur. Quapropter tam venerabilis Apostolicus, quam & totius Romani populi universitas, gratias, & laudes Deo maximas ferentes, gaudebant &

jucundabantur in ipſo, qui eis poſt tam prolixi temporis ſpatia, conceſſerit in diebus ſuis Sanctum, & Apoſtolicum virum, & ipſius Apoſtolorum Principis Petri Succeſſorem in Sede ſua recipere, & non ſolum urbem totam, ſed & orbem quoque totum Romani Imperii ſignis ejus, ac virtutibus illuſtrare. Multis itaq; gratiarum actionibus præfato Philoſopho pro tanto beneficio redditis, conſecraverunt ipſum, & Methodium in Epiſcopos, nec non & cæteros eorum Diſcipulos in Præſbyteros, & Diaconos.

Cum autem Philoſophus, qui & Conſtantinus, diem tranſitus ſui imminere ſibi ſenſiſſet ex conceſſione ſummi Pontificis, impoſuit ſibi nomen Cyrillus, dicens: *hoc revelatum ſibi fuiſſe, & ſic poſt quadraginta dies, dormitionem accepit in Domino ſextodecimo Kalendas Martias. Præcepit autem Sanctus Apoſtolicus, ut omnes tam Græci, quam Romani Clerici ad exequias ejus accurrerent, cum Pſalmis, & canticis, cum cæreis, & thuris odoribus, & non aliter ei, quam ipſi quoque Apoſtolico, funeris honorem impenderent.* Tunc ſupradictus Frater ejus Methodius accedens ad Sanctum Pontificem, & procidens ad veſtigia ejus, ait: *Dignum ac neceſſarium duxi ſuggerere Beatitudine tuæ, Apoſtolice Pater, quoniam, quando ex Domo noſtra*

ſtra

ſtra ad ſervitium, quod auxiliante Domino, fecimus, ſumus egreſſi, Mater cum multis lachrymis obteſtata eſt, ut ſi aliquem ex nobis, antequam reverteremur, obiiſſe contingeret, defunctum Fratrem frater vivens ad Monaſterium ſuum reduceret, & ibidem illum digno, & competenti obſequio ſepeliret. Dignetur igitur Sanctitas veſtra hoc munus meæ parvitati cōcedere, ne precibus Matris vel conteſtationibus videar aliquatenus contraire. Non eſt viſum Apoſtolico, quamvis grave ſibi aliquantulum videretur, petitioni & voluntati hujuſcemodi reſſragari, ſed clauſum diligenter defuncti corpus in locello marmoreo & proprio inſuper ſigillô ſignatum, poſt ſeptem dies dat ei licentiam recedendi. Tunc Romanus Clerus ſimul cū Epiſcopis, ac Cardinalibus, & nobilibus urbis conſilio habito, Convenientes ad Apoſtolicum cæperunt dicere *Indignum nobis valde videtur venerabilis Pater, & Domine, ut tantum, tamq; magnificum Virum, per quem tam pretioſum Theſaurum Urbs, & Eccleſia noſtra recuperare promeruit, ad quem Deus ex tam longinquis Regionibus & exteris ad nos ſua gratuita pietate perducere, & adhuc etiam ex hoc loco ad ſua Regna eſt dignatus aſſumere, qualibet interveniente occaſione, in alias patiamini partes transferre, ſed lo-*

potius placet, honorificè tumuletur, quia & dignũ valde est, ut celebris homo in tam celeberrima Urbe celebrem locum habeat sepulturæ. Placuit hoc consilium Apostolico, ut in Beati Petri Basilica poneretur, in suo videlicet proprio monumento.

Cernens Methodius jam suum defecisse propositũ, oravit iterum dicens: *Obsecro vos Domini mei, quandoquidem non est placitum vobis, meam petitiunculã adimplere, ut in B. Clementis Ecclesia, cujus corpus multo suo labore ac studio repertum huc detulit, recondatur.* Annuit hujusmodi petitioni Præsul Sanctissimus, & concurrente Cleri, ac populi maxima frequentia, cum ingenti lætitia, & reverentia multa, simul cum locello marmoreo, in quo illum pridem prædictus Papa condiderat, posuerunt in monumento ad id præparato in Basilica B. Clementis ad dexteram partem altaris ipsius cum hymnis, & laudibus, maximas gratias agentes Deo, qui in loco eodem multa & miranda operatur, ad laudem, & gloriam nominis sui, per merita, & orationes Sanctorum suorum, qui est benedictus, & gloriosus in sæcula sæculorum Amen.

De Beato Cyrillo hæc rariora scribuntur in MSS. Blauburano: Quo facto Romam adire volens, B.q; Cyrillum secum ducere, sed inveniens eum mortuum

petiit Papam, ut saltim fraternum Corpus exanime secum possit Moraviam deferre, pro devotione gentis ipsius noviter conversæ. Cui petitioni cum non annuisset Apostolicus, B. Methodius occultè pro tempore stetit Romæ, tandem quadam nocte ingrediens Ecclesiam B. Clementis, in qua Corpus Fraternum fuerat sepultum, id occulte recipiens, ad Moraviam secum deportare voluit. Cumq; per aliquod dies Corpus Sanctum deportaret secum in via, & in loco quodam amæno requiesceret, & postea cum Corpore ulterius vellet procedere, nulla ratione ab illo potuit abire loco. B. autem Methodius orationibus insistens, petiit sibi Divinitus revelari, quonam Corpus id sacrum debet inferri *Tunc S. Cyrillus manu dextra elevatâ ostendit Fratri suo Methodio multis videntibus, quod Romam iterum deberet deportari.* Quo deportato Papa cum populo Romano, Sancto occurrens Corpori, & reverenter id recipiens, in Ecclesia S. Clementis, ubi antea jacuerat, iterum sepelivit, hæc ibi. Sixtus autem V. Pontifex maximus ejusdem S. Cyrilli Corpus in Ecclesiam S. Hieronymi Illiricorum ab eodem Pontifice constructam transferendum mandavit, ut testatur Angelus Rocca Episcopus Tagastensis Bibliothecarius Vaticanus. *Tom 2. Pag.* 250.

Multas

Multas barbaras gentes illuminaverunt luce Fidei SS. Apoſtoli inter quos eſt gens Chazarorum, à Romanis vocata Gazari, propè paludem Meotidem, originem ducit ab Hemero Filio Iaphet, unde antea vocabantur Homeri, & Cumeri, à Sclavis vocantur Cymbri à fluvio Cymbro. Princeps illorum vocatus Kahan, ſive Chagan, ſive Chaan, gens efferatiſſima eodem more vivens, quomodo nunc vivunt Scythæ, & Tar'tari, crudis equinis carnibus veſcuntur, ſolis prædis, & latrociniis incumbentes, ſine domibus in campis cum gregibus paſcendis habitant, Græcis præſertim infenſiſſima. Ut eorum inſidias eluderet, & pacis fœdera iniret, Conſtantinus Copronymus, filiam Chani Gazarorum accepit in uxorem, cui in Baptiſmo nomen impoſuit Irene, ex qua natus eſt Leo. Hæc gens Gazarorum ſubjugavit ſibi Cherſoneſum, & Kijoviam, quibus devictis Ruricus Ruſſiæ Princeps, in libertatem vindicavit illas Regiones. Igor autem Rurici filius Princeps factus, poſt illum Svetoſlaus Igorowicz Pater Magni Wlodimiri fudit Gazaros uſque ad Pontum Euxinum.

Altera gens illuminata ab illis fuit Bulgarorum, quæ originem ducit ex Sarmatia juxta fluvium Atalis, Ruthenis Wolga, unde Wolgari, ſive Bulgari dicti

ſunt. Prodit autem Curopalates Græcus ſcriptor S. Methodium veniſſe ad Bogorem Regem Bulgarorum, & quia arte pingendi erat præditus, juſſus eſt rem omnium terribillimam pingere in Palatio ſuo, Methodius judicium extremum Chriſti venturi pinxit, quo adeo Regem exteruit. ut inde nacta occaſione prædicandi Fidem, baptizaverit Regem cum uxore, & tota gente. Præter Bulgaros, Ruſſis, Moſchis, Bohemis, & Moravis Chriſti Fidem invexerunt, omnibusq; gentibus Sclavonicis ſacrum ritum ſacra peragendi lingva Sclavonica præſcripſerunt, confirmatum à Sede Apoſtolica, ab illis acceptam fidem Dąbrowka filia Regis Bohemiæ nupta Mieciſlao Poloniæ Principi, loco pretioſiſſimæ Dotis intulit Polonis, quâ illuminatus Mieciſlaus cæcus antea, recepit viſum, Regnumq; ſuum primus vidit Chriſtianum

Horum Sanctorm Apoſtolorum vitam nullus hucuſque accuratam exhibuit, quam ego collectam ex antiquiſſimis totius Moſchoviæ Manuſcriptis, jurispublici factam in opere in quatuor Tomos diviſo impreſſo Kijoviæ Sclavonico Idiomate in Monaſterio Pieczarenſi, nuncupato Petro Alexiewicz Imperatori Magnæ Ruſſiæ, anno 1700. latinitate donatam pro communi utilitate, ut pote ad tranſlationem S. Clementis ſpectantem ſubiicio.

VITA

VITA & GESTA

SAnctorum Patrum nostrorum Methodii, & Constantini, nuncupati in Sancta Schima Cyrilli, Episcoporum Moraviæ, Apostolorum Sclavinarum Gentium (*Schima denotat habitum Seraphicum, sex alarum cucullis affixarum, & Scapulare, qui habitus habet annexam observantiam arctissimæ, & rigidissimæ vitæ Monachorum.*)

Temporibus Iconomachorum, Græcorum Imperatorum, Leonis Armenii, Michàëlis Balbi, & Theophili, fuit in Provincia Salonicæ, in civitate Thessalonicensi Vir nobilis genere & opulentus, in militari ordine centurio, qui ex Maria, quam uxorem duxerat, ista duo luminaria, & Sclavinarum Gentium Apostolos Methodium, & Constantinum, nuncupatum Cyrillum in Sancta Schima, in lucem edidit. Prior nativitate Methodius, cùm ad perfectam ætatē pervenisset, militiæ sub signis Imperatoris nomen dedit, qui cum esset egregia corporis formâ, & viribûs præditus, maximam Cæsaris gratiam, & omnium bonam de se existimationem sibi conciliavit. Quare constitutus à Cæsare Palatinus Regionibus Sclavorum est præfectus. Quod singulari Dei providentia factum est, ut Methodius

prius

priùs addiſceret lingvam̃ Sclavonicam, quâ ſuo tempore edoceret, & illuminaret veritate Fidei illas Regionesfa-ctus illarũ Apoſtolus, Doctor, & Epiſcopus. Decẽ anno-rũ ſpatiô hoc Senatorio officio perfunctus, nõ valens am-pliùs ſuſtinere perſecutiones fidelibus illatas ab Imperatore cultui Sacrarum Imaginum infenſo, renuncians honori, & oneri, in monte Olympio ſuſcepit Inſtitutum S. Ba-ſilii Magni, ut immortali Regi liberiùs militare poſſet, bellum corpori, & hoſti animæ indicendo Beatus ve-ro Conſtantinus Frater Methodii natu minor, ab ipſa infantia futuræ Sanctitatis indicia præbuit. Nutrici e-nim ablactandus traditus, ubera nutricis ſugere renue-bat. & niſi propriæ Matris uberibus nutriri voluit, ut cum lacte piæ Parentis ſanctitatem ſugere, & imbibe-re videretur, quod ſummæ admirationi Parentibus fu-it. Septennis cùm prima literarum elementa diſceret, vidit in ſomnio quendam Palatinum, qui congregavit cunctas illius Regionis Virgines, dixitq; illi ut ſibi fas eſſet, quæ placeret, eligere unam in ſponſam. Ille er-go omnes advertens, unam delegit nobilitate generis, ornatu, & formâ cæteris eminentiorem, cui nomen erat Sophia. Hoc ſomnium cum retuliſſet Puer Parentibus, illi intellexerunt illam Sophiam, præmonſtratam fuiſſe Divinam Sapientiam, cujus amator futurus ſperabatur

Constantinus, atque maxima Spiritûs voluptate perfusi, diligenter edocebant filium, non solum instruebant in literis, sed magis in honestis moribus, timorem Domini, & mandatorum Dei custodiam præcipientes, ut ea scriberet in tabulis cordis sui, sapientiamq; vocaret sororem, & prudentiam notam sibi faceret, quia est speciosior Sole, & stellis. Crescebat itaq; puer in ætate, & doctrina usque adeo, ut suos condiscipulos memoriâ, & intelligentiâ superaret. Singulari pietatis affectu colebat S. Gregorium Theologum, cujus libros assidue volvebat, hanc sibi formulam precandi eum concinnavit. *O! Sacrate Deo Gregori, Sancte Theologe, tu qui carne circumdatus, homo quidem eras, sed in vita Angelus eras, os tuum fuit Seraphini, quo Deum laudabas, doctrinis tuis mundum illuminasti, rogo Te, ut me confugientem ad tuum Patrocinium recipias, & sis mihi Doctor, Consolator, & illuminator.* Interea obiit Theophilus Imperator, cui successit Filius ejus Michaël, & Iuvenis adhuc cum Matre Theodora coronatus est. Hic Cæsar, quoniam in præmatura ætate fuit adhuc, traditus est tribus viris Senatoriis instruendus, Manueli Domestico, Theoctisto Patritio, & Logophetæ Dromæo. Logophetes habens perspectam, & notam indolem Constantini,

accersi-

accerſivit eum Conſtantinopolim, atq; cooptavit in Condiſcipulum Michaëlis Cæſaris, cujus converſatione, & exemplô Cæſar excitaretur ad majora literarũ incrementa capeſſenda. Conſtantinus autem ſimul cum Cæſare diſcens, adeò excellenter à Grammatica exorſus, in Homeri verſibus, Rhetorica, Arithmetica, Aſtronomia, Philoſophia, Muſica, & in Græcis artibus profecit; ut ab omnibus Philoſophus appellaretur. Didicit quoque præter Græcam, etiam latinam, Siriacam, & alias lingvas, quare venerationem, & amorem, tũ apud Logophetem, tum apud Cæſarem ſibi comparavit, tũ ob ſingularem doctrinam, tum ob honeſtos, & caſtos mores ſuos. Fuit tunc in Domo Logophetæ Virgo quædam magni generis, & pulchritudinis raræ, quam poſt Parentum deceſſum ille in filiam adoptaverat, hanc Virginem omnibus modis curabat Logophetes tradere Conſtantino uxorem, magnamq; dignitatem in aula Imperatoris illi ſpondebat, ſi ejus deſideriis acquieſceret, oblatam cum honore, & opibus ſponſam renuens forti, & conſtanti animo Conſtantinus, atq; importunis precibus clam ſe ſubducens, conſcenſo navigio appulit ad quoddam Monaſterium, ubi Monaſticum Inſtitutum amplexus eſt, donec per ſex menſes quæſitus, & inventus, invitè in aulam Cæſaris

 reverti

reverti coactus est. Compulsus est igitur Episcopali fungi dignitate. Consecratus à S. Methodio eo tempore Patriarcha Constantinopolitano, institutus est Sanctæ Sophiæ Bibliothecarius, & Philosophiæ Præceptor. Hoc tempore Tartari occupantes Syriam, Christianos irridentes, Legatum miserunt ad Cæsarem, hanc illis proponentes blasphemiam: *Quomodo vos Christiani, unum Deum confitentes, eundem in tres partimini Personas, adorantes Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum. Si hoc potestis demonstrare, mittite nobis aliquos viros doctos, qui possent nobiscum de Fide vestra disserere, & nos convincere.* Cæsar inito consilio cum Patriarcha, miserunt Tartaris Constantinum adjunctis illi duobûs viris eruditis. Venit ergo Vir Apostolicus desideriô Martyrii incensus, ad urbem Samaram juxta fluvium Euphratem, in qua tunc residebat Princeps illorum, nomine Amurmurana, habitabant ibi quoque Christiani, in quorum januis depictæ videbantur imagines dæmonum jussu Tartarorum, nam adeo Christiani erant abominationi & opprobrio illis barbaris, ut non secus, ac ipsos dæmones horrebant, & in hujus irrisionis signum jubebant pingi larvas Dæmonum in foribus Christianarum ædium. Has picturas ostendebant Tartari Constantino, inquirentes, an sciret, quid ista

signa

ſigna denotarent, quibus reſpondit Vir Sanctus: video dæmonum figuras expreſſas, & ſic exiſtimo, Chriſtianos intus in illis domibus manere, dæmones autem, quia nequeunt ſimul cum illis cohabitare, illos fugiunt, & exterius manent, in domibus autem veſtris, quia vos jam poſſident, & intus vobiſcum manent, ideo exterius non apparent. cum autem invitatus eſſet ad prandium Principis illius Conſtantinus, dixerunt illi Tartarorum Magi: *Propheta noſter Machometes tradidit nobis bonam doctrinam, quâ multas nationes convertit; omnes autem eum ſequentes, non transgrediuntur Regulam ab eo præſcriptam.* Inter vos autem Chriſtianos unus benè, alter aliter credit. Omnes quidem appellantur Chriſtiani, ſed multi diverſam ſectam, & vitæ rationem tenent, diverſi Monachi, diverſam profitentur Regulam. Quibus reſpondit Conſtantinus: *Deus noſter eſt, ſicut abyſſus maris, latitudinis & profunditatis comprehenſæ expers, quia intellectu humano, & verbis comprehendi non poteſt.* In hanc ergo abyſſum multi ſe committunt, volentes Deum cognoſcere, & qui Dei auxilium petunt, hi rectè, & conſtanter navigant, qui autem ſua opinione, & intellectu ducuntur hi demerguntur in profundum errorum, & hæreſum, alii denique vix reſpirare poſſunt, qui in

rebus

rebus Divinis animô ſunt dubii, & hæſitantes, & ideo ſicut vos dicitis, multi in diversas ſectas, abierunt. Quod autem ſpectat ad opera Chriſtianorum, dico, mandata Chriſti non ſunt alia, niſi eadem, quæ Deus in monte Sinai dedit Moyſi, quia non venit ſolvere legem, ſed adimplere, ducens nos itaque ad vitæ perfectionem, dedit nobis conſilium, ut caſtè vivamus, ut virginitatem ſervemus, & alia bona opera faciendo, quæ ſemitæ ſunt arctæ ducentes ad vitam æternam; ſed ad Virginitatem ſervandam non cogit, niſi ſvadet propter magnitudinem præmii. Creavit enim Deus hominem medium inter Cælum, & terram, inter Angelos, & animalia bruta, per intellectum diſtinxit hominem à brutis, per ſenſualitatem diſtinxit ab Angelis, & dedit homini liberam voluntatem, ut, quod illi placeret, eligeret, aut per intellectum cum Angelis Deo ſoli famulari, aut cum brutis ratione carentibus paſſionibus carnis ſervire, ſine continentia. Unde quia cũ libertate voluntatis & arbitrii hominem condidit, ideo non cogit hominem, ſed liberè hæc ſervanda conſulit dicens: *qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem quotidie, & ſequatur me.* Credentes igitur in Deum Chriſtiani, alii faciliori via incedunt, hoc eſt ſecundum naturæ legem Matrimonio juncti,
exem-

exemplariter viventes, illum ſequuntur. alii vero perfe-ctiùs illi famulari cupientes, ſupra ipſam naturam, Angelicam vitam imitantes, continenter vivunt, & illũ ſequuntur; ideoq; aliqui ex Chriſtianis diſparem vitam agunt. Veſtra vero ſecta nullam annexam habet vivendi difficultatem, eſt, non adinſtar maris, ſed quemadmodum modicum flumen, quod quilibet homo ſine ulla obvia difficultate tranſmeare valet. Nihil enim in veſtra ſecta Divinum reperitur, nec Deo placens, præter humanam converſationem, & ſolam carnis concupiſcentiam; quod ipſo naturæ, & paſſionis inſtinctu facitis, nec ullum vobis arduum præceptum dedit veſter legiſlator Machometes, quia non ſolum vos ab iraſcibili, & concupiſcibili cohibuit, ſed potius vobis hæc agendi fræna laxavit, cunctaq; ad libitum faciendi licentiam dedit, & ideo ſervatis unanimiter ejus præceptum, veſtris paſſionibus accomodatiſſimum. Noſter autem Salvator Chriſtus, cum ſit ipſe omnis puritatis fons, vult, ut ſervi ejus in caſtitate vivant, & omnia caſtitati contraria vitent, quia ad Regnum ejus nihil coinquinatum intrabit. Reſponderunt iterum Seracenorum Magi: *Quomodo vos Chriſtiani audetis unum Deum dividere in tres Perſonas, appellantes Deum Patrem, Filium, & Spiritum, ſi Deus veſter habet Filiũ,*

Filium, detis ipsi uxorem ũt ex illo multiplicentur plures alii Ad hæc respõdit Christianus Philosophus: *Nõ blasphemetis contra Sanctissimam Trinitatem, Pater enim, & Filius, & Spiritus Sanctus, sunt tres Personæ, sed una natura Divina. Cujus similitudinem creavit Deus Solem.* In Sole autem sunt tria consideranda, rotunditas, claritas, & calor, rotunditas est figura Patris, sicut enim rotunditas non habet principium, & finem, ita Deus est sine principio, & fine, & sicut à rotunditate Solis procedit claritas, & calor, ita à Deo Patre procedit Filius, & Spiritus Sanctus. Claritas autẽ est figura Filii procedentis à Patre illuminantis mundũ Calor denique Solis est Figura Spiritûs Sancti, qui ab eodem Patre cum Filio ab æterno procedit, licet mittatur in tempore ad homines, sicut in Apostolos missus fuit in igneis lingvis, & sicut Sol ex rotunditate, Claritate, & calore constitutus, non dividitur in tres Soles licet quælibet res ex his tribus inter se differat; tamen non dicuntur tres Soles, sed unus Sol; Ita licet Sanctissima TRINITAS habeat tres Personas, Patrẽ, Filium, & Spiritum Sanctum; tamen non dividitur Deitate in tres Deos. Utique & Patriarhæ, Abrahæ, cujus circumcisionem servatis, quando Deus apparuit in valle Mambre, meministis, quomodo apparuit? in tribus

bus Personis: vidit enim Abraham tres viros stantes, & adorans eos, dixit: *Domine si inveni gratiam in conspectu Tuo, non derelinquas servum Tuum.* Ecce ad tres viros loquitur, & sicut ad unum dicit: *Domine.* Cognovit enim Patriarcha unum in tribus Personis Deum. Magi hæc audientes, neque, scientes, quid ad hæc dicerent, tacuerunt. Postea alia via incedentes, dixerunt: *quomodo vos tenetis Christiani, quod Deus natus sit de Muliere? potestne Deus nasci ex Muliere?* Respondit Philosophus: *non ex simplici Muliere, sed ex Virgine intemerata natus est Deus Filius ex operatione Spiritus Sancti, qui in castissimis visceribus Virginis admirabili modo formavit Christi Carnem, & sicut ante partum fuit Virgo, ita post partum Virgo permansit, Deò ita volente, cui natura creata semper obsequitur,* Nativitatis Christi ex Virgine testis est ipsemet vester Machometes, qui ita scribit: *Missus est Spiritus Sanctus ad Virginem egregiam, ut consentiendo illi, pareret Filium.* Reponunt Saraceni: *nos non negamus Christum natum esse ex casta Virgine, sed hoc non admittimus, quod Christus sit Deus.* Respondit Beatus Philosophus: si Christus fuit simplex homo, & non simul Deus, quæ necessitas esset, ut Spiritus Sanctus in castis

visceribus virginis operaretur ejus formationem carnis; simplex enim homo nascitur ex fæmina cõjugata, & non ex intemerata Virgine, & concipitur secundũ naturam ex Viro, non autem supra naturam, & Virgine Virum nesciente, aut ex Spiritu Sancto. Dicunt Saraceni: *Si Christus est vester Deus, quare vos non ita facitis, sicut ipse præcipit*, jubet enim orare pro inimicis, benè facere odientibus, & persequentibus vos, maxillam præbere percutienti, vos autem non ita, sed contrario modô facitis, quia contra vos persequentes, arma sumitis, bellum indicitis, & cædem promittitis. Ad hæc dicit Beatus Constantinus: si in aliqua lege duo præcepta ponuntur adimplenda ab hominibus, quis rogo, plus legem servabit, aut ille, qui unum præceptum adimplet, aut ille, qui implet utrumque? Dicunt: *ille, qui implet utrumque*. Infert Philosophus: Christus Deus noster præcepit nobis orare pro persequentibus nos, & bene illis facere, præcepit etiam & hoc, ut animas nostras ponamus pro amicis nostris, & proximis; patimur ergo nos in particulari injurias, in communi verò unus alterũ tuetur, ponendo animam pro amicis, ut nè vos nostros fratres debellantes, simul animas cũ corporibus captivas ducatis, cogentes illos ad nefanda opera vestra perpetranda. *Iterum insurgunt Saraceni*

ceni: Christus vester dedit tributum pro se, & pro suis aliis, & cur vos non imitamini hoc exemplum hodie, & renuitis dare tributum, si enim defenditis fratres vestros, detis ergo tributum pro illis, nostræ tam magnæ, & potenti nationi Ismäëliticæ. *Dicit Philosophus*: si aliquis Præceptorẽ suũ sequitur, & imitari eum desiderat, alius vero illi dissvadet, nè sequatur, ille estnè ejus amicus, vel inimicus? dicunt ei: est inimicus. Dicit Philosophus: *quando Christus dedit tributum, quale tunc fuit Imperium, aut Ismäëliticum, aut Romanum?* Dicunt illi Seraceni: *Romanum.* Dicit Philosophus: *ecce nos imitando Christum Præceptorem nostrum, reddimus censum Cæsari manenti Romæ novæ, & habenti potestatem, & Imperium veteris Romæ, vos qui extorquetis à nobis trubutum, retrahendo nos à sequela Christi, estis inimici.* Hæ & plures aliæ fuerunt quæstiones, & responsiones Constantini disputantis cum Magis Saracenorum per plures dies, & nunquam fuit victus Christianus Philosophus, triumphante in illo gratia Divinâ; semper verò repressi & victi fiebant in suis quæstionibus Saraceni. Unde non valentes eum vincere in verbis, propinaverunt ei poculum venenô infectum, Deus autem, qui dixit: *etsi mortiferum quid biberint, non eis nocebit*, ille præservavit servum suum, qui sanus

nus rediit à Principe Saracenorum cum ſumma veneratione, & muneribus ſibi oblatis, ſed tamen ſpretis. Rediens autem Beatus Conſtantinus Conſtantinopolim, ſummam laudem cum recepiſſet à Cæſare, & à Patriarcha pro ſuſcepto labore ſuo, manſit in quodam loco remoto, propriæ ſaluti ſerviens, & ſola Divina Providentiâ, quæ illi nunquam defuit, vivens, oblatum ſibi à fidelibus ſubſidium diſtribuebat in pauperes, nihil in craſtinum ſibi ſervando. Contigit autem, ut immineret in craſtinum magna ſolennitas, nec eſſet, quod ad manducandum apponeretur. Servus Dei juſſit vocari decem pauperes ad prandium, cumq; jam hora prandii immineret, quidam Vir egregius adfuit, vario ciborum genere onuſtus, qui cibos, ſimulq; decem aureos ſervo Dei obtulit. Quos recipiens Vir Dei, egit gratias Deo, qui dat eſcam omni carni.

Poſtea perrexit ad montem Olympium, ubi major frater natu ejus morabatur Methodius, & ſimul cum illo eandem, vitæ rationem iniit. Hocce tempore venerunt Legati Chazarorum ad Michaëlem Imperatorem, dicentes: *nos à principio unum credimus, & confitemur Deum, qui omnia gubernat, & ipſum orantes, adoramus ad orientem.* Sed Iudæi conantur nos adducere ad ſuam Fidem, & jam multi ſunt

ex

ex noſtris, qui illorum conſenſerunt Fidei. Non minus etiam Saraceni nobis ſuam ſvadent fidem, dicunt, quòd illorum fides melior ſit inter omnes Et ideo à vobis, cum quibus amicitiæ, & pacis fœdus inviolatè ſervamus, conſilium petimus, rogantes, ut nobis mittatis aliquem Virum doctum, qui poſſet arguere Iudæos, & Saracenos, quos cum ſuperaverit, nos promptos exhibebimus ad veſtram fidem profitendam. Hæc audiens Michàél Imperator, cum S. Ignatio Patriarcha, qui ſucceſſit Sancto Methodio in Epiſcopatu, juſſerunt inquirere Conſtantinum Philoſophum, qui cum eſſet repertus in monte Olympio, & coram Imperatore comparuiſſet, rogatus fuit ab Imperatore, ut pergeret ad Chazaros, illiſq; Fidem Chriſti prædicaret. Morem gerens Imperatori, & Patriarchæ Conſtantinus, libenter hoc prædicandi verbi Divini ſuſcepit onus, hoc unũ deſiderans, ut Frater ejus Methodius, qui lingvam Sclavonicam didicerat, ſe ei comitem tanti Miniſterii adjungeret. Non recuſavit laborem Apoſtolicum Methodius, ſed ambo ſuſceperunt iter, ut unus doctrinâ, alter oratione prodeſſe poſſet illis gentibus. Pervenerunt denique ad Cherſonam urbem prope Chazaros ſitam, ibique tamdiu commorati ſunt, quouſque didiciſſent lingvam Chazarorum, quibus idioma Sclavonicum vul-

gare

gare fuit. Didicerunt etiam lingvam Hebraicam, & quendam Samaritanum converterunt ad Fidem, & baptizârunt. Audientes vero Riliquias Sancti Martyris Clementis Episcopi Romani jacere in mari, adiêrunt Episcopum Chersonensem, ut illas venerandas exuvias inquireret. De his autem talis est fama, cum S. Clemens esset relegatus in Chersonesum, & multos ibi convertisset, Aufidianus Præfectus jussu Trajani Imperatoris alligata ad ejus collum anchorâ submersit illum in mari. Discipuli vero ejus Cornelius, & Ephæbus orantes cum populo in littore maris, rogabant Deum, ut illis patefaceret Corpus sui Martyris, tunc recessit mare ad tria milliaria, & ipsi incedentes per siccum, invenerunt ædiculam marmoream in modum Templi marmorei à Deo paratam, intùs verò corpus S. Martyris cum anchora, quâ mersus fuerat. Cum autem Sacrum Corpus vellent accipere, facta fuit revelatio Discipulis Sancti Martyris, ut relinquerent ibi Sacrum Corpus, futurum enim erat, ut quolibet anno ejus Martyrii mare recederet, & pateret ad septem dies, liberum ingressum præbens populo devoto visitandi sacrum sepulchrum. Et hoc miraculum marini recessûs continuatum fuit per annos septingentos ab Imperio Trajani usque ad Imperium Nicephori Impera-

toris

toris Græcorũm. Propter peccata tandem inhabitantium desiit mare recedere imperante Nicephorô, qui eventus summopere Christianos contristavit. Post elapsos vero quinquaginta annos, quo tempore venerunt in Chersonesum hi Sancti viri, Episcopus ejus loci Sanctus Georgius, sive Gregorius, qui primus venit Constantinopolim, & significavit Imperatori, & Patriarchæ tristem eventum, quod mare amplius non pateat, & accepto ab illis consilio, assumptisq; secum viris Ecclesiasticis S Sophiæ Chersonesum reversus cum illis, simul cum Sanctis Apostolis Constantino, & Methodio, & populi illius multitudine, psallentes, & orantes venerunt ad littus maris, sed mare non recessit. Tunc post Solis occasum navigantes circa ipsam mediam noctem egressa est ex mari magna lux instar Solis orientis, mox in eodem splendore, illuxit caput hominis, & tandem totum corpus emersit radians, & ex mari egressum est, quod videntes Viri Sancti, nimio perfusi gaudio, & stupore, cũ sũma reverentia acceperunt, & in navim asportârunt, & laudantes Deum in Martyre suo mirabilem, reversi sunt ad civitatem, ubi cum ingenti populi lætitia, portantes illud ad Ecclesiam Apostolorum, ibi honorificè deposuerunt. Tandem sacrum pignus, Beati Constantinus, & Methodius acceperunt, & ubique

que secum circumferebant, donec Romam pervenis-
sent. Postea cum Corpore S. Clementis pervenerunt ad
Kahanum Gazarorum, à quo summa reverentia exce-
pti fuerunt, nam & literas ab Imperatore scriptas illi
attulerunt, coram quo B. Constantinus plurimas habuit
concertationes cum Iudæis, Gazaris, & Saracenis, quia
B. Constantinus majoris fuit doctrinæ, quam Methodius,
qui ætatem suam in bellis, non in scholis exercebat, &
cum esset Dux belli, libris occupari non potuit. Con-
stantinus vero à pueritia fuit summè exercitatus in li-
teris, paratusq; erat ad quaslibet sibi objectas diffi-
cultates dissolvendas. Constantinus itaq; arguebat in-
fideles, Methodius vero illum suis juvabat orationibus,
tandem quidam Chazarorum dixit illis: *Vos Græci
male agitis, quia eligitis vobis Regem ex vulgari &
humili genere ortum.* Nam Nicephori Successorem e-
legistis Michaëlem Curopalatem, quò occiso, fecistis Re-
gem Michaëlem, qui fuit genere Amorensis, nos vero
non talem habemus morem, sed habemus nostros Ka-
hanos ex Familia Kahanorum, seu Regum descenden-
tes, secùs nullus nobis imperare potest, nisi sit ex Ge-
nere Regio. B. verò Constantinus paucis illi Respon-
dit: *Fecit ne male Deus, quod Saulem projecit, Davi-
dem vero virum secundum cor suum elegit ex Pastore*

ovium.

ovium. Hæc audiens Chazarus tacuit, & poſtea alia via pergens, dixit: *Vos libros habetis ad manum, & ex illis docetis,* nos autem non ita, ſed ex Perſarum ſapientia loquimur, non gloriamur ſcripturis, ſicut vos, quia tantam habemus ſapientiam, cujus nec minimam partem aliquis veſtrum habet. Dixit illi Conſtantinus, *ſi obviam haberes hominem nudum, qui tibi diceret ſe habere multas veſtes, aurum, & poſſeſiones, dareſne illi Fidem? videns nudum, & nihil habentem? Reſpõdit Chazarus: non crederem illi; quia ſi aliquid haberet, nudus non incederet.* Dicit illi Conſtantinus, *ſi tu omnem haberes ſapientiam, qualem te poſſidere gloriaris*, dic mihi quæſo, quot fuerunt generationes ab Adam uſque ad Moyſen, & quæ generatio in qua terra habuit ſuam poſſeſſionem? Non valens ad hæc aliquid dicere Chazarus, ſubticuit. Conſtantinus vero ſubintulit: *ergo neque ego tibi credam, quòd tu ſis ſapiens ſine ullis libris.* Cum autem pranderet cum Kachano, accipiens Scyphum Kachanus, dixit *Bibamus in nomine unius Dei, omnium rerum Conditoris.* Conſtantinus vero accipiens calicem, dixit: *Bibo in nomine unius Dei, & verbi ejus, quo Cæli firmati ſunt, & & vivificantis Spiritûs, quo omnis poteſtas creata conſervatur.* Dixit Kachanus: æqualiter tenemus de

Deo, qui condidit universa, in hoc duntaxat discrepamus, quod vos Trinitatem glorificetis, nos vero unum tantùm adoramus Deum, quem etiam Iudæorum libri docent. *Dixit Philosophus:* si ex libris Iudæorum didicistis dari unum Deum, ex iisdem libris Trinitatem quoque discatis, & cognoscatis, oportet. Nam libri Hæbreorum in suis Prophetiis annunciant, Verbum, & Spiritum, sicut dixit Propheta, & Rex David, *Verbo Domini Cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum.* Ecce Trinitas, vobis apparet, Dominus, Verbum, & spiritus, Dominus est Pater, Verbum Filius, Spiritus est, Deus Spiritus Sanctus, Spiritus Oris Divini, tamen sicut non sunt tres Domini, sed unus Dominus, ita non sunt tres Dii, sed unus Deus. Considera insuper, si aliquis te venerans, nollet venerari verbum tuum, & Spiritum Oris tui, alius autem hæc veneratione prosequeretur, quis horum esset verus tuus Cultor? Respondit Rex, *ille, qui hæc tria veneraretur.* Dixit Philosophus: *ergo nos sumus veri Cultores Dei, qui agnoscimus Sanctissimam Trinitatem, meliores vobis, qui illam non agnoscitis.* Aderant huic sermoni plures Iudæi, qui dixerunt: Dic nobis Christiane Philosophe, quomodo potest Fæmina Deum parare, qui est invisibilis, & ingenerabilis. Philosophus ex-

tendens

tendens manum in Kachanum & in primum ejus Cõſiliarium, dixit. Si aliquis diceret, quod iſte Conſiliarius nequit Regem ſuſcipere in Domum ſuam, noviſſimus autem ſerv us ejus poteſt illum ſuscipere ſi inquam, aliquis hoc diceret, an ſapiens, an vero ratione carens diceretur? Reſpondit Judæus: *abſque dubio ſtultus diceretur talis*. Philoſophus autem iterum eos interrogavit, quid eſt inter omnes creaturas ſub Cælo nobilius, & dignius? Reſponderunt Iudæi: *eſt homo, quia intellectu ſimilis eſt Deo*. Dixit ergo Philoſophus: ergo ſtulti ſunt illi, qui dicunt impoſſibile eſſe Deum contineri in viſceribus Virginis, quem viderunt in Rubo Moyſis collocatum, ſi rubus animâ & intellectu carens Deum potuit continere, eritne dignior Creaturâ rationali? Si Deus apparuit in nube, in igne, in fumô, Iob, Moyſi, Eliæ, eritne mirum, Deum apparuiſſe in hominè? nõne dixit David: *miſit Verbum ſuum, & ſanavit eos*, Verbum utique Filium, qui ſanavit naturam peccato originali infectam. Quomodo autem hoc Verbum, nempe Filius poſſet ſanare, niſi uniretur naturæ infectæ. Et ſimilibus doctis rationibus confutabat Iudæos. Finito prandiô iterum indixerunt illis diem diſputationis, quæ cum veniſſet vocavit omnes Rex Gazarorum, & ſedit, Sanctos quoque altiori locô honoravit;

tunc dixit unũs nomine omnium *Iudeorum:* dicatis nobis: quam legem Deus prius dedit hominibus, an illã quam Moyſes tenuit, an verò illam, quam vos nunc tenetis? Reſpondit ad hæc B. Conſtantinus: an ideo interrogatis, quæ lex ſit prior, quod illa, quæ eſt prior, ſit melior? *Dixit Iudæus* ideo interrogamus, quia omnino neceſſe eſt, illam legem ſervare, quæ eſt principalior *Dicit Philoſophus:* ſi ideo illam legem obſervatis, quia eſt prior, ergo neque circumciſionem debetis obſervare: *Dicunt Iudæi:* quare hoc dicis? *Dicit Philoſophus:* dicatis mihi veritatem, an prima lex eſt de circumciſione, an de non circumciſione? *Decunt Iudæi* de circumciſione. *Dicit Philoſophus:* utique Deus prius dedit legem Nòémo, poſt datam legem Adamo in Paradyſo, præcepit enim Deus Nòemo, ut non effunderetur ſangvis humanus, qui autem effudit ſangvinem fratris ſui, debet puniri, propter ſangvinem effusũ ſuis manibus, effuſione ſui ſaugvinis. Pariter de manducatione herbarum, animalium, avium, & piſcium dedit legem, dicens Noemo Patriarchæ: *ecce ego Conſtituam vobis legem meam, & generationi veſtræ poſt vos.* Dixerunt Iudæi: *Præceptum non eſt lex*, neque enim Deus dixit ad Noe; legem, ſed præceptum vobis cõſtituam, nos vero ſervamus legem, non præceptum Noemi

emi *Dicit Philosophus:* circumcisionem quomodo servatis, an secundùm legem, an secundùm præceptum? *Dixerunt:* secundùm legem. *Dicit Philosophus:* Deus circumcisionem non appellavit legem, sed tantum præceptum; dixit enim ad Abraham, *Præceptum meum serva, & semen tuum tecum, circumcidatur quilibet generis masculini & erit signum Fæderis inter me, & inter vos.* Item, *erit testamentum meum in carne vestra in testimonium æternum.* Ecce videtis, quod circumcisionem non appellavit legem, sed tantum præceptum, adeoque debetis reiicere circumcisionem quia non est secundùm legem, & si circumcisionem tenetis secundùm legem; ergo & præceptum datum Noe debetis servare, sicut legem; & appellare illud, primam legem quam dedit Deus Noe, & toti generi humano post diluviũ. *Dicunt Iudæi:* Moysi data lex, est vera lex, & hanc nos tenemus. *Dicit Philosophus:* si præceptum datum Noemo, non est lex, sed tantum præceptum; ergo & lex data Moysi, non erit lex, sed tantum præceptum, quia Deus apud Ieremiam Prophetam non appellat illam legem, sed tantum præceptum, sic enim dicit Cap. II. *audite verba præcepti hujus, ita dicit Dominus Deus Isràél: maledictus homo, qui non audit verba præcepti hujus, quod dedi Patribus vestris in die, quâ eduxi eos de terra Ægypti.* Si hoc præceptum est apud vos

lex; ergo etiam præceptum datum Noemo, erit lex. Sed hæc lex eſt antiquior lege circumciſionis; ergo illam debetis ſervare, quia eſt melior ideo, quia antiquior. Iudæi vero aliâ viâ illi reſponderunt, *dicentes:* Quicunque ſervaverunt legem Moyſis placuerunt Deo, & ideo quià nos ſervamus illam, ſperamus nos placituros Deo. Vos, vero confinxiſtis vobis aliam legem, & legẽ Dei reſpuitis. *Reſpondit Philoſophus:* Bene ita facimus quia etiam Abrahamus, ſi nõ ſuſcepiſſet circumciſionem, ſed tantùm ſi ſervâſſet præceptum Nòémi, nõ eſſet amicus Dei. Ita & Moyſes poſt Abrahamum ſcripſit aliam legem, non contentus præcepto antiquiori Nòémi, & Abrahami. Et nos ſimiliter facimus, tamen ſicut illi non reſpuebant antiquiorem legem alterius, neque enim Abraham reſpuit præceptum Nòemi, nec Moyſes utrumque deſpexit, ſed implens Dei voluntatem, ampliùs illuſtravit legem Dei, ut præceptum Dei ſit firmius; ſic neque nos reſpuimus vetus teſtamentum, ſed omnia tenemus, quæcunque Moyſes in Tabulis ſcripſit; quæcunque autem in Tabulis non ſunt ſcripta, iſta non ſervamus, quia hæc omnia fuerunt figuræ, & umbræ novi teſtamenti, quod quando advenit, receſſimus à veteri teſtamento. Non enim oportet ſervare figuras, quando jam habetur figuratum.

Dixe-

Dixerunt Iudæi: si hæc omnia fuissent figuræ vestri novi testamenti, scivissent utique antiqui scriptores futurum vestrum Testamentum, sed quia non speraverunt futurum novum Testamentum; non ergo nostrum Testamentum solas figuras continet, sed ipsam veritatē. *Contra hoc dixit Philosophus:* si antiqui Patres nescivissent futurum novum Testamentum, ita dicerem, quando Deus dedit legem, seu præceptum Noemo, revelavitne hoc illi, quod daturus esset aliam legem Abrahæ? certè illi hoc non revelavit, sed potius confirmavit illam, ut observaretur à gentibus. Quando etiam dedit legem Abrahæ, anne hoc revelavit illi, quod esset daturus, aliam legem Moysi? Tamen illam legem annunciavit per Ieremiam, & Isaiam Prophetas; ita & antiqui Patres nostram legem longè prædixerunt, vestra ergo lex umbra fuit nostri novi Testamenti, & non ipsa veritas; itaq; relinquenda est, & nostra amplectenda. Contra hæc argumenta non habentes Iudæi, quod opponerent, dixerunt: *Veniet tempus, quando revelabitur Messias noster.* Dixit Philosophus: *quid adhuc vos expectatis amplius?* Ecce potestas Regia juxta Prophetiam Abavi Iacobi, quæ usque ad tempus adventùs Messiæ durare in vobis debuit, jam cessavit, Hierusalem eversa, victimæ vestræ abjectæ, translata

est Gloria Dei à vobis ad gentes, ſicut hoc Malachias Propheta prædixit dicens: *Non eſt voluntas mea in vobis, dicit Dominus Omnipotens, & victimas non recipiam de manibus veſtris, quoniam ab ortu Solis, uſque occaſum nomen meum laudabile, & glorificatur in gentibus in omni loco.* Dixerunt Iudæi: videmus te velle etiam gentiles benedictos appellare, ſicut nos in Abraham benedicti ſumus. *Reſpondit Conſtantinus:* Propter quem ſemen Abrahæ, propter illum & nos ſumus benedicti, propter Meſſiam procedentem ex tribu Abrahæ, Iſaac, Iacob, Ieſſe, & David; dixit enim Deus ad Abraham, *benedicentur propter ſemen tuum omnes gentes.* Item ad Iacob; & ad David dixit: *Benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eũ.* Dixit enim Iacob benedicens Iudam: *non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat, qui mittendus eſt.* Idem dicit Zacharias Propheta. *Videtis ergo, quod non ſolũ propter vos, ſed etiam propter gentes venit Meſſias, imo magis venit propter nos, quam propter vos, quia vos illum nõ recepiſtis, ſed gentes illum receperunt, vos illum occidiſtis, Gentes in illũ crediderunt, vos illum abjeciſtis, Gentes illum dilexerunt, propterea & ipſe vos projecit, Gentes autem dilexit, & glorificatur in illis.* Quod autem verè jam advenerit deſideratus cunctis

Messias, ex verbis Danielis Prophetæ colligite, & credite, huic enim in urbe Babilone primo annô Regni Darii Regis apparuit Angelus Domini Gabriel & ab illo tempore quo apparuit, enumeravit ad adventum Messiæ septem septimanas annorum, quælibet autem septimana habet in se septuaginta annos, & omnes septem septimanæ, faciunt simul annos quadringentos, & decem, sicut & vester Thalmud numerat;quā verò longè isti anni effluxerint, considerate ipsimet, si non effluxerunt plus quàm octingenti anni, post impletas septem septimanas prædictas à Daniele Propheta. Quæro autem ex vobis, quale vos intelligitis Regnum ferreum, quod Daniel figuravit in illa statua magna à Nabuhonodozore Rege in somno visa? Dixerunt Iudæi: *Romanum Imperium est Regnum ferreum.* Interrogavit illos denuo Philosophus: quis est iste lapis, qui avulsus est sine manibus, & contrivit statuam visam? Responderunt: *Lapis est Messias.* Dixit Philosophus: & nonnè videtis veritatem, quod Regnum Romanum, quod colebat idola, jam transiit, quando venit in mūdum Messias, & pro Regno Romano Deus stabilivit Regum Cæleste æternum, sic vocatum nomine novo juxta Prophetiam Isaiæ ad vos olim dicentis: *consurget nomen vestrum in saturitate electorum, vos vero era-*

dicabit Dominus, servientibus autem ipsi dabitur nomen novum, quod est benedictum in terra, quoniam benedicit Deum verum. Dixerunt Iudæi: nos sumus semen benedictum à Sem benedicti in Patre nostro Noe, vos autem non estis benedicti. *Respondit Philosophus:* Benedictio Noemi data Sem filio suo, nihil aliud est, quam glorificatio Dei, dicit enim: *Benedictus Dominus Deus Sem*; Deus ergo est Benedictus labiis Noe, pro virtuoso filio, & hujus benedictionis nihil super vos venit. Ad Iaphet autem, à quo nos sumus, dixit Noe: *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tentoriis Sem.* Vos autem videtis, quomodo dilatatus sit Christianismus cum Gratia Dei, & vos ad nihilum redacti estis, & ubi vos habitabatis olim, scilicet Hierosolymis, ibi modo glorificatur, & benedicitur nomen Domini nostri IESU CHRISTI. Tales fuerunt concertationes B. Constantini cum Saracenis, & Iudæis coram Kahano, quas disputationes postea Frater ejus Methodius connotavit, collegit, & in octo discursus prædicabiles divisit, ex quibus hic pauca excerpsimus, & proposuimus. Post has longas disputationes, in quibus semper victor fuit B. Constantinus, infideles vero semper victi, Kahanus Princeps Gazarorum credidit in Christum cum omnibus suis Primoribus, & multitudine gentis illius, &

bapti-

baptizati ſunt à BB. Apoſtolis, non omnes ſed tantum, pars magna. Stabilita Fide Chriſti apud Gazaros, ſtatuerunt reverti Conſtantinopolim, relinquentes ibi locô ſui aliquos probos Præsbyteros, quos adduxerunt ex Cherſoneſo. Scripſit itaq; Kahanus ad Imperatorem Græcorum literas, quibus ipſi gratias agebat his verbis: Tales nobis Domine miſiſti Præceptores, qui nobis Fidem Chriſtianam inter omnes veram clarè demonſtrârunt, & nos illam docuerunt, illuminantes nos, & baptizantes ſacro lavacrô Dedimus licentiam omnibus Regno noſtro ſubjectis ſuſcipiendi eandem Sanctam Fidem, & ſpem bonam habemus, quod tota terra noſtra ſit ventura ad profeſſionem Chriſtianam. Favemus Tuo Imperio, & parati ſumus ad omnes tuos nutus, quocunque volueris, & quid quid à nobis deſideraveris ituros, & facturos. Cum his literis remittens in pace Sanctos Apoſtolos Conſtantinum & Methodium, offerebat illis magna munera, ſed illi nihil accipere voluerunt, dicentes: *Da nobis quot quot hic habes captivos Chriſtianos, hos pro ſummis donis accipiemus.* Et colligi juſſit captivos ducentos, & dari illis. Egreſſi ſunt ergo cum illis captivis lætantes, & benedicentes Deum. Cum autem pergerent per nemora, & loca inaquoſa, & ſitim paterentur, & jam in via

defficerent, quia aquam invenire ad bibendum non poterant, offenderunt lacum, ex qua aqua ſalſa hauriebatur ad conficiendum ſal, neque tamen illa aqua præ ſalledine, & amaritudine ab hominibus ſumi poterat. Cum igitur alii diſpergerentur per deſertum propter aquæ fontem inveniendum, B. Conſtantinus dixit Methodio Fratri ſuo: non poſſum amplius ſuſtinere ſitim, adfer mihi hanc aquam ſalſam, credo enim quod ſicut Deus Iſraëlitis aquam amaram mutavit in dulcem, ille etiam hanc aquam nobis reddet dulcem; & cum hauſiſſet, & guſtaſſet illam, mox illa aqua in dulcem versa fuit, & biberunt cuncti, laudantes Deum. Cum perveniſſet Cherſonam, & cænaret cum Epiſcopo, dixit poſt cænam Epiſcopo: *ora Pater & da benedictionem tuam mihi, ſicut Pater ſolet benedicere Filio benedictione extrema*, exiſtimabant alii hoc audientes, quod in craſtinum vellet abſcedere ex Cherſoneſo, ſed ille ſeparatim aliquibus prædixit craſtinum obitum Epiſcopi, dicens: *Epiſcopus craſtina die nos deſeret, quia cras morietur*, & ita factum eſt, nam in craſtino Epiſcopus defunctus fuit. Cum autem perveniſſent Conſtantinopolim, Imperator cum Patriarcha, & omni Clero ſummo cum gaudio, & reverentia illos ſalutavit, & recepit ſicut Apoſtolos Chriſti, & Docto-

res Gentium, & voluit, ut ordinarentur in Præsbyteros, sed illi hâc dignitate se indignos fuisse dixerunt, & non acceptaverunt. Methodius tamen coactus est, & factus Præpositus Monasterii appellati Polichron: Constantinus vero morabatur in Ecclesia Sanctorum Apostolorum, Rosciflaus autem, & Swiatopelkus Principes Moraviæ, accepta famà novæ conversionis ad Fidē Christi, Gazarorum, per istos Beatos Apostolos, misserunt Legatos ad Michàélem Imperatorem Constantinopolim cum literis supplicibus, hîs verbîs scriptis: Gens nostra idolatriam parata est abjurare, & Christianam legem suscipere, sed non habemus tantum Doctorem, qui nos præceptis Christi instrueret, & Fide illuminaret, & nostrâ lingvâ nos adduceret ad illam. Rogamus ergo te Domine, ut habeas curam nostræ salutis, & mittas nobis talem Doctorem; quia à vobis in omnes partes terræ salutaris lex egreditur. Imperator ergo cum Patriarcha, & toto Concilio collecto, inito consilio, statuerunt iterum mittere BB. Viros Constantinum & Methodium. Quos cum vocâsset, rogavit, ut non gravarentur novam messim suscipere Apostolici laboris. Inclinatus, præcibus Imperatoris Constantinus, ægro animò suscepit Episcopatum, & quadraginta dierum præmissò jejunió, imprimis invenit alpha-

betum

betum Sclavonicum triginta octo literarum, ut possit Græcos libros interprætari in lingvam Sclavonicam, & hujus laboris Comitem, & adjutorem se illi exhibuit B. Methodius, & primò interprætati sunt Evangelium S. Ioannis, quod cum audiret coram se lectum Imperator, Patriarcha, & totum concilium, lætabantur nimis, & glorificabant Deum. Omnibus tandem necessariis provisi ab Imperatore, iter cæperunt feliciter, cum autem pervenissent ad Regiones Sclavonicas, cum maximo honore solebant recipi tam à Principibus quàm à populo, singulari tamen lætitiâ recepti fuerunt à Principe Roscislao in Moravia, & Bohemia, mox advocantes pueros, instruebant illos, & docebant elementa literarum, & libros Græcos interpretatos Sclavonico Idiomate. Commorati sunt ibi annis quatuor, & amplius, & lustratis illis Regionibus, omnes illuminârunt Fide Christi, & in Sancta Religione bene instituerunt. Reddiderunt Sclavonicè ex Græco Evangelia, Epistolas Canonicas, Missale, & alia ad cultum Dei, & ritum Ecclesiæ spectantia volumina, & celebraverunt cum Cantu Sacram Liturgiam. Hæc audientes Episcopi Latini, ægrè tulerunt, quod novoconversis gentibus lingvâ vernacula Sacrificium & ritum Ecclesiæ celebrandi instituissent. Dicebant enim quod tantum tribus lingvis, Hebræa,

Græca,

Græca, & Latinâ Sacra Liturgia celebrari debeat, cũ hiſce tribus lingvis ſacrificium cruentum in Cruce oblatum fuerat. Sed talibus Sancti Doctores lingvâ Sclavonica reſpondebant, æqualiter Deus imbrem mittit in omnes, & Solem ſuum oriri facit ſuper omnes, quia dicit Propheta *omnis Spiritus laudet Dominum, & omis lingva cõfiteat. Dominũ IESUM CHRISTUM*; ergo laudent Dominum omnes gentes. Pervenit fama illorum ad Nicolaum primum Romanum Pontificem, qui miſſis amicitiæ, & benevolentiæ literis ad illos, Romam invitavit eos, fuerunt obedientes Nicolao, ſed cum eſſent in itinere Romano, Nicolaus Papa deſiit vivere, cui ſuccedens Hadrianus ſecundus, avidiſſime illos expectabat, maximè cum audiſſet, quod ſecum ferrent oſſa S Clementis Romani Pontificis, & Martyris, exivit obviam illis cum Clero, & populi Romani multitudine, & amicabiliter eos ſuſcepit, laudavit illorum laborem, & confirmavit Ritum; ab illis inſtitutum; illos vero anathemate punivit, qui eundem Sacrũ Ritum irriderent, & reiicerent. Cantaverunt Sancti Viri Sacram Liturgiam coram ſummo Pontifice in medio Romæ, cum autem per aliquot tempus Romæ morarentur, incidit in morbum B. Conſtantinus, & habuit revelatum ſibi à Deo obitum ſuum, & die obitûs

ſui

sui lætabatur in Domino cantans, & jubilans præ nimio gaudio certæ Salutis suæ. Crastina autem die induit habitum Seraphicum, & vocatus fuit nomine Cyrilli, quinquaginta diebûs ægritudinem passus, Episcopatu deposito, & Fratri suo Methodio collato, Deo Spiritum reddidit. Corpus ejus honorificè conditum fuit in Ecclesia S. Clementis, a quo ejusdem S. Clementis corpus tanto labore allatum, reconditum quoque in eadem Ecclesia fuit. Post mortem S. Cyrilli B. Methodius factus Episcopus Moraviæ, habuit sedem Episcopalem Pannoniæ, ubi S. Andronicus Discipulus S. Pauli olim fuit Episcopus, ibi docrinâ, & miraculis pavit gregem suum, Methodius, pluries ejectus ex sua sede, multa passus ab Hæreticis, & Judæis, Sanctè obiit, & cum Fratre suo Cyrillo regnat in Cælis.

Explicit vita Sclavonica horum Sanctorum.

Non concordant scriptores in modo inventionis Corporis S. Clementis, ut singulas narrationes superius allatas legenti patet; alii enim asserunt, recedente mari cũ ingrederentur profundum infideles, & viderent illam ædiculam marmoream cum arca Corporis, arbitrati reconditum ibidem esse thesaurum aliquem, licet sacra lipsana pretiosiora essent omni thesaurò, Ædiculam solo æquarunt, atque arcam sacris ossibus plenam invenien-

tes, illam destruxerunt, ac Sacra Ossa profanarunt, Postea vero mare Sacras Reliquias projecit in Insulam, in qua fodientes terram, invenerunt omnia Ossa cum anchora. sed hæc narratio non placet, quia cùm Deus custodiat omnia Ossa Sanctorum, non permitteret, ut profanarentur illa à barbaris; novumq; esset miraculum, ut mare ossa dispersa eiiceret simul in teram.

Alii deinde dicunt, quod mare retro cessit, & SS. Apostoli Cyrillus, & Methodius acceperunt Sacrũ Corpus. Quod etiam contradicit priori narrationi, & veritati historiæ, quæ tradit, quod mare nunquam jam à tempore Nicephori Imperatoris retro cesserat. Verisimilius igitur sentio, & teneo cum Authore gestorum SS. Cyrilli, & Methodii, quod & idem Author in vita S. Clementis confirmat, dicens * Cum mare non retrocessisset, ut solebat, Georgius Episcopus Chersonensis ivit Constantinopolim, & tristem eventum nunciavit Imperatori, & Patriarchæ. Patriarcha vero misit Præsbyteros Ecclesiæ S. Sophiæ cum SS. Constantino. & Methodio in Chersonesum, qui collecto populo cum psalmodiis venerunt ad mare, sed minimè recessit, igitur conscenso navigio post occasum Solis, navigabant, mox propè mediam noctem, magna lux ex

* Idem testatur alius liber Sclavonicus, cui titulus Prologus, seu collectio vitarũ SS. Patrum ad diem 26. Nbris Pag. 320, editionis Kijoviensis annô 1675.

mari illuxit, & primò egressum est caput, deinde totũ Corpus S. Martyris Clementis cum summo splendore, quo accepto ab illis comitante eadem claritate, pervenerunt ad civitatem, & locaverunt illud in Ecclesia Apostolorum, & cum Sacram Liturgiam celebrâssent, Sacrum illud Corpus magna miracula operatur Divina virtute, cæci visum recipiebant, ægria sanabantur, Dæmones ab obsessis corporibus egrediebantur. Ædicula verò illa cum tumba, & anchora, quæ in profundo maris remanserat, post acceptum Sacrum Corpus, emerserat, & supra mare cum arena elevata est, pulcherrimam faciens Insulam, in qua Iaroslaus postea Princeps Russiæ supra illam ædiculam Ecclesiam marmoream ædificaverat, ad quam hucusque die aniversaria S. Martyris fideles navigant, & ibi ope S. Clementis implorata, revertuntur. Licet vero Sacra Ossa Romam translata fuerint, tamen constans est traditio, Caput S. Clementis relictum fuisse, & hucusque extare in Monasterio Kijoviensi, quo Clemens XIII. Metropolita Russiæ in signum subjectionis, & obedientiæ Romani Pontificis coronatus traditur à scriptoribus citatis in vita ejusdem Clementis supra nominati, non sine bono futuro omine, quia sicut Sacrum Corpus ejus translatum fuit à primis Sclavonicarum gentium Apostolis, ita futurum est,

ut bene cogitante de Moſchoviæ converſione ad unionem Eccleſiæ Romanæ, tota tandem Moſchovia patrocinante hoc Sancto Pontifice convertatur, & ſubiiciatur Romano Pontifici.

Hoc Sacrum Caput Monachi Cluniacenſes vindicant ſibi, ſimilitudine nominis ducti, ac pro Capite S. Clementis Papæ aut Capnt S. Clementis Abbatis Syracuſani, aut potius S. Clementis Ancyrani Epiſcopi, & Martyris, quod Baſilius Macedo Bizantium deferri curaverat, & eidem Sancto Sacellum extruxerat, ut rectè advertit Tillemontius *Tomo* 2. & Bailetius *Tomo* 17. Hoc autem Sacrum Caput furtô ſublatum per Dalmatium de Seriaco, ejuſque Socium Pontium de Boſſeria, de Monaſterio Abbatiali Baſilianorum Trentafolia, id eſt Roſa, vocato Conſtantinopolì, argenteæ thecæ incluſum, cum inſcriptione: *S. Clemens*, quo arrepto navigantes per nimiam maris tempeſtatem & impetrata tranquillitate ope ejuſdem Sancti, tranquillo mari factô appulerunt Cluniacum. S. Clementis Ancyrani Caput Cluniacî veneraur pro Capite S. Clementis Papæ, ſicut patet ex Sacro Hymno, quod habetur in codice, Horario, & hucuſque cantatur ab illis Monachis, illũ hymnum reperi in Bibliotheca Cluniacenſi Pag. 1489. quem hic appono.

HYMNUS
De Translatione Capitis S. Clementis

CErula freti jubilant,
Nam cum Paulo participant
Munus, quod numus obtulit,
Sed Theum flatum addidit.
Iam mare glebam retinet,
Anima Cælum possidet,
In altis Clemens residet,
Ubi Rex Regum præsidet.
Et ut Martyr dividitur,
Ita & Mare scinditur,
Silet, nec flare prævalet,
Dum Laos festum celebret
Mausolæo marmoreo
Præparato à Domino
Puer sopore annuo
Dormivit sine tædio.
Hic Martyr in exilio
Usus agni consiliô,
Aquas traxit in fluvio
De sicco terræ gremio.

Christi

Christi legis peritia,
Refulsit in Ecclesia,
Quam tradente Apostolo
Donavit Dionysio.
Sprevit decreta Principum,
Ob hoc passus exilium,
Sed per maris supplicium,
Consecutus est bravium.
Cluniace tripudia,
Nam Clementis Clementia
Adest tibi propitia
Pro Capitis præsentia.
Oculus Deus Agios
Pius piè exaudi nos,
Et per Clementis merita,
Vita detur politica.
Ubi lætantur Angeli,
Pro triumpho Martyrii,
Cælestis gaudet Curia,
Pro Martyris Victoria.
Nunc ergo nobis miseris
Merita prosint Martyris,
Ut de mundi naufragio
In Cæli ducat solio.

O/Cle-

O! Clemens Clementissime,
Fac, ut possimus vivere,
Tecum in illa requie,
Ubi Regnat Rex gloriæ,
Cum Patre,& Sancto Spiritu
Qui nos redemit obitu. Amen.

Idem Sacrum Caput civitas Neapolitana sibi vendicat, nam ut scribit Paulus Regius, & Cæsar Eugenius Caracciolus in Neapoli Sacra, Ecclesia S Augustini, & Ecclesia S. Severini Caput S. Clementis veneratur, similitudine nominis ducta civitas, duplex ejusdem Sancti Caput se habere inaniter gloriatur. Idem dicendum venit, de magna ejusdem Sancti Capitis parte, quod asseveratur asservari in Ecclesia S. Crucis in Ierusalem Romæ, & aquiscincti. Et hæc de prima translatione S. Clementis Corporis Romam paucis egimus, nunc progredimur ad alteram celebrem ejusdem Sacri Pignoris Translationem, ex Urbe Romana in Insulam Piscariam.



CAPUT IX.

De celebri Translatione Corporis S. Clementis Papæ ex Romana ejus Basilica in Monasterium Casæ aureæ Piscariense

Ordinis S. Benedicti.

TRia sunt à nobis prius tractanda, *primò*, ipsa Insula Piscariensis describetur, *secundo*, Author Chronici Piscariensis, *tertio*, Historia translationis. Locum describimus verbis planè Berardi Chronographi.

Casauriensis Insula est valde delectabilis, & amæna, fructuûm, & herbarum svavitate referta, fluminis insuper Piscariæ conclusa meatibus, & velut alter Paradysus apparet. De cujus nominis, & naturæ pulchritudine quidam sapiens, versificans, ait:

Ad Patriæ laudes naturæ nomen obedit,
Auro tota nitens, aurea nomen habet.
Ut verum fatear, si quid pretiosius aurô
Mundus habere potest, hoc habet iste locus,
Omne genus grani, vini genus omne videres,

Arbo-

Arboris omne genus, ſponte parare cibum.
Hic Domino vivit Sanctorum turba virorum,
Hic Martyr Clemens gaudet honore ſuo,

Habet enim Piſcarienſis Inſula proprium nomen ſuum, videlicet Caſa aurea, ab aura ventorum, quæ potenter ibidem flare dignoſcitur. In Regalibus quoque privilegiis deſcribitur Caſa aurea, pro eo nimirum, quia de Regali Theſauro fuit eadem Inſula comparata. Poteſt etiam dici aurea, propter excellentiam pulchritudinis, & honoris ejus, quia vineis, hortis, & fructiferis arboribus conſita, & Piſcariæ flumine circũcluſa, naturaliter fertilis eſt, & amæna. Unde quidam de illa ait:

Aureus iſte locus, tanto ſplendeſcit honore,
Ut res, & nomen comprobat inde datum.
Nec tamen ex æquo nomen reſpondet honori,
Nam minus ipſa re, nomen honoris habet.
Tot natura loco bona, tam bene contulit iſti,
Ut ſupplere nihil, vel renovare queat.

Clariſſimus autem Ioannes Mabillonius *Tomo* 3. annalium Benedictinorum *Pag.* 132. Cæterum, inquit, non aliam ob cauſam Monaſterio Caſæ aureæ vocabulum inditum puto, quam ob ſplendorem, & magnificentiã Baſilicæ, aliorumq; ædificiorum. Forte etiam ob poſ-

ſeſſionum, & latifundiorum amplitudinem. Hæc ille. Fluvius autem Piſcariæ, qui Caſaurienſem Inſulam undique cingit, & circumvallat, ſicut tradit liber de mirabilibus mundi, & ipſa rei veritas oſtendit, naſcitur in loco ad radices montis, qui dicitur Calmentinus, indeq; progrediens, & profluens, multisq; jam aliorum fluviorum aquis in ſe receptis, meatu per montana, vel mænia canalium alpium Magellæ, ſcilicet inter duos montes, Soti & Urſæ decurrit. Poſtea verò egreditur in quandam planitiem, ubi competenter incipit dividere Pinnenſe Territorium à Theatenſi, & tanquam terminus eorundem inter utrumque fluens, ſuiſq; meatibus pulcherrimis, & amænis iſtarum duarum Regionũ fines uſque ad mare determinans, diſtinguit. Antea vero, quam ad ipſam Caſaurienſem Inſulam deveniat in impetu, & velocitate, magnoq; ſonitu, à loco, qui ab antiquis dicitur Pons Regalis, in locum concavum, & immenſæ profunditatis defluit, & in largam, atque profundam inundationem ſe celeriter expandit. De cujus profunditate, atque inundatione fit mirabilis aquarum diviſio, & una quidem pars à latere Pinnenſis Territorii tendit, altera verò à parte Theatenſi, & circa radices montis Mortula decurrit, donec Inſula undique aquîs cincta, & circvmvallata, ipſæ aquæ ſibi

reocurrant, quæ ad invicem rejunctæ in unum, inter comitatum Pinnensem, & Theatensem, per suum alveum usque ad mare discurrit, & sic in Pontum Adriaticum orientale se insinuat. Currit vero prædictus Piscaria millia quadraginta quatuor & sic se in Prædicto Ponto obcludit. Est igitur infinibus Pinnensis comitatûs circa Monasterium, & Casauriensem Insulam, Piscariæ tantum flumine intercurrente Regio tribus ambita, & cõterminata fluminibus, quorum fluviorum unus nascitur in loco, ubi propter cervos, qui de proximis sylvis potatum ibidem venire solebant, dicitur Petra Cervaria, alter nomine Cygnus, qui suis meatibus in Piscariam defluens, quia ejus aqua in quibusdam suis gurgitibus serpenticulos, & angvillas nutrit, Cygnus vocatur. Hujus vero Regionis possessio facit initium ab eodem loco, ubi Petra cervaria nuncupatur, & Cygnus nascitur, & subit, transitq; per furcas Pinnenses, & descendens in vallem de Trite in confiniũ Valvensis comitatûs protenditur usque ad locum, ubi caput aquæ dicitur, inseq; propter quod ex tribus fõtibus emanat, flumen Tritanum vocatur, vel ob copiam Truttarum piscium dicitur Trutanum. Possumus etiam dicere aquas Tritanas, quia trutta, & anus in ea fæcundissimo fætu congignunt. Itaq; flumen illud

per

per ipſam vallẽ de Trutte decurrens, prædictæ Regionis extrema determinat, donec in Piſcariam ingreditur. Piſcaria nempe dicitur propter piſces, quos valde ſoporoſos, & caros habet- tale nomen accepit. Ego vero cum in argumento pietatis quatuor dierum iter Româ ſuſcepiſſem, per aſperrima, & altiſſima ſaxa, perveni tandem pro ipſo Feſto S. Clementis ad Inſulam Piſcariensem, quam comperi amæniſſimam inter celſiſſimos montes ſitam, vallibus delicioſiſſimis, vario olivarum, & arborum, & ſegetum genere ordinatiſſimis, ex parte dextra flumine Piſcariâ maximo impetu per præruptas, & profundiſſimas ſaxorum foſſas decurrente, & Inſulam ambiente. A ſiniſtra vero parte jam deſinit afluere Piſcaria, uti olim fluebat, ſed hucuſque extat antiquus pons lapideus, & alveus, quo decurrebat Piſcaria. Ingreſſus in Inſulam eſt per antiquum Pontem lapideum, altum, quem hucuſque vocant Italicè: *Ponte S. Clemente* In medio Inſulæ exſtat Eccleſia S. Clementis cum Monaſterio, in poſteriori parte Eccleſiæ eſt conſpicua pulcherrima ſylva altis, & denſis quærcubûs plena, quam circumdat flumen illud, ſvavi ſtrepitu, & murmure demulcens aures, quemdam in terris efformat Paradyſum. In ſumma, hæc Inſula, meâ ſententiâ, Caſa aurea appellatur, maximè à theſauro corporis S.

Clementis, propter qvem thesaurum recondendum, & conservandum, singulari Divina Providentia tantis naturæ donis decorata est. Sita est in Aprutio Regni Neapolitani Provincia, inter Theatinam urbem, quæ Aprutii est Metropolis, inter Civitatem Pinnensem, & Sulmonam, sed tamen ad nullius Episcopi jurisdictionem pertinet, nisi soli Romano Pontifici immediate est subjecta.

Nunc ad Authorem Piscariensis Chronici venio, primus, qui Chartularium Casauriense cum diplomatibus & privilegiis in unum redegit corpus, fuit Ioannes Berardus Monachus, Professus Imperialis Monasterii Abbatialis. Ipsum fuisse primum collectorem hujus Chronici colligitur ex eodem Chronico, ubi dicitur, Eodem tempore vir per omnia Catholicus Dominus Alexander de Francia reversus, Romæ pontificabatur, ad quem Dominus Leonas Abbas quendam Fratrem Ioannem Berardi cognomine in ipso cænobio à pueritia nutritum, & Regularibus disciplinis instructum, visitandi gratiâ direxit, per quem impetravit Privilegium defensionis, & tutelæ. Ipse quoque Berardus de se scribit, dicens: Hunc quoque librum Instrumentorum, seu chronicorum, quem ego Frater Ioannes composui, & ordinavi, & Magister Rusticus manibus scripsit, ipso

permittente (*Leonate*) imò jubente, ac adminiculante, perfecimus. Quo autem sæculo hoc opus incæperit Berardus, facilè colligit Mabillonius in observatione prævia sæculo 6. *annal: Benedict: Parte 1. Pag:* 486. dicens: Author ipse Chronici nomen suum, & ætatẽ prodit, qui se Ioannem Berardum appellatum scribit, & testatur se sub Leonate Abbate Piscariensi exeunte sæculo decimo tertio, librum hunc instrumentorum, seu chronicorum composuisse, & ordinasse. Hæc ille: In Carmine quoque hexametro, quem ad coronidem operis, quasi epilogum posuit, nomen suum, etiam expressit dicens:

Clemens ob lumen scriptum, tibi tolle volumen,
Hâc ut scripturâ, tua sint in lumine jura,
Scriptis noscantur, quæ sunt tua jura, legantur.
Sit liber gratus, quem servulus est operatus,
Cui Tu sis Clemens, proprio de nomine Clemenns,
Perpetuis annis Fratris memor esto Ioannis.

Muratorius autem asserit, quem & ego sequor, Berardum hoc opus agressum fuisse annô 1182. illum vero primum codicem, quem Rusticus scripserat, oblatũ fuisse Carolo octavo Regi Francorum, qui illum accipiens pro pretioso monumento in Gallias deportari jussit, atque ille pervetustus codex, asservatus est in

Regia

Regia Parisiensi Bibliotheca hucusque, ante hanc autem collectionem ut ait Mabillonius *lib. 3. de re Diplomatica Cap. 5. Pag.* 236. editionis novæ, extabat in eodem cænobio, liber de chartis instrumentalibus compositus, id est chartaceus, quem chartularium vocant.

Ex hoc igitur codice Manuscripto Franciscus Du Chesnius Anno 1641. exscripsit Historiam de fundatione Monasterii Casauriensis, quam vulgavit *Tomo 3* Rerum Francicarum, nulla tamen facta mentione Berardi ejusdem Monasterii primi scriptoris.

Annô 1659. Ferdinandus Ughellus Abbas *Tomo 6. Italiæ Sacræ Pag* 841. dicit: Hujus Abbatiæ Historiam ex MSS. libro Chronicorum, ac Instrumentorum, de rebus, & possessionibus ejusdem Abbatiæ, qui extat Parisiis in Bibliothæca Regia, Franciscus Duchesnius in Tomo 3. Francorum scriptorum emisit in lucem. De sua autem altera editione ita dicit: Hanc ipsam ex alio vetustissimo hædino codice exscriptam, ac fideliter una cum Pontificum, Imperatorum, Regum Privilegiis, mihi humanissimè dono dedit Illustrissimus Petrus Columna Philippi Comestabilis Filius, germanus Frater Hieronymi Columnæ Cardinalis, hujus Abbatiæ perpetuus Commendatarius, qui nuper diem suum clausit extremum, quæ cum plura contineat alia à prima editi-

one

one, visum est, iterum ad calcem hujus sexti Tomi exhibere.

Anno 1661. Lucas Dacherius Congregationis S. Mauri *Tomo* 5, sui spicilegii ex eodem Regio codice, lõgiori calamô descripsit, ac emisit in lucem illud Chronicon cum insigni Præfatione, quod postea Vir eruditus Della Barre emendavit, & notis suis illustravit.

Anno tandem 1726. collectionem ejusdem Chronici ex vetustiori codice Regiæ Bibliothecæ Parisiensis auctiorem, & emendatiorem ad exemplar MSS. sincere vulgavit clarissimus Vir Antonius Muratorius; nam ex singulari benevolentia, & permissione Christinianissimi Regis Galliarum Ludovici XIV. datus fuit Codex ille Regius ex Parisiensi Bibliotheca Ioanni Boivinio primo custodi Bibliothecæ Regiæ, per illustrissimũ Virum, Ioannem Rangonum Castri veteris Marchionẽ & Serenissimi Ducis Mutinæ ablegatum, à quo acceptum codicem Dominus Vandelius lectissimus Iuvenis ad petitionem D. Muratorii ea sincerè descripsit, quæ nondum fuêre edita, & quæ in aliis editionibus mendosis, & vitiatis fuerunt impressa; suamq; editionem cõsummavit, & jurispublici fecit Mediolani annô supra nominato, *Tomo* 2. Italiæ Sacræ, *Parte secũda Pag.* 770.

Hujus

Hujus Chronici Diplomata profferunt C.V. Stephanus Baluzius in notis ad capitularia Regnm Franciæ, & Ioannes Mabillonius tam in Diplomatica *lib.* 3. quam in annalibus Benedictinis, ubi sæpius annos Piscariensis Chronographi, aut forte errorem Amanuensis emendavit. Has omnes collectiones cùm perlustrassem, emendatiorem editionem Muratorii in omnibus secutus sum.

Historiam denique Translationis ex eodem Chronico describimus. Ludovicus Lotharii Regis Franciæ Primogenitus, cùm audiret Calabros, & Apulos velle repugnare Romanis, Exercitum copiosum aggregavit, Alpes transcendit, & ad Piscariam veniens, Insulam delectabilem, cui nomen est Casa aurea, undique aquis cinctam invenit. Ludovicus igitur Divina inspiratione tactus, cum supradictam Insulam circumspexisset, & ex omni considerasset parte, ac usibus servorum Dei profuturam cognosceret, cujus esset, & sub cujus potestate, devotissime requisivit. Qui cum eam sub potestate cujusdam Sisenandi Illustrissimi Viri esse, & de jure Pinnensis Episcopi descendere comperisset, priùs à Dominio ejusdem Sisenandi absolvit, tribuens inde sibi decem libras argenti, & cum Episcopo Gribaldo nomine, qui eo tempore Pinnensem regebat Ecclesiam, Cambitionem fecit, totamq; Insulam sub jure Regio retinens

nens, quod magis valebat, & propè Episcopium Pinense erat pro eadem Insula, dedit, & testibus idoneis, & Scripto ipsam donationem confirmavit.

Gribaldus verò Episcopus, ne aliqua controversia a successoribus suis inde oriretur, ex parte sua scriptum fecit, & testibus idoneis corroboravit, & Sisenandus similiter, sicut in Instrumentis libri sequentis describitur. Sisenandi testimonium sequitur.

Vobis Domino meo Ludovico, glorioso Imperatori, Ego Sisenandus, ex Genere Francorum, filius quondam Anastasii, & missus Supponis Comitis, manifesta causa est accepisse, sicut & in præsentia testium accepi, à vobis permissum vestrum Odoaldum, argentū libras decem, finitum pretium pro Casis, & omnibus rebus juris mei, quæ habere visus sum in loco, qui dicitur: *Casa aurea*, Pago Pinnensi. Habendum vobis Domino Meo Ludovico glorioso Imperatori pro vestro argento vendo, trado & mancipo, libensq; ab omni nexu publico, privàtove nulli alii, venditis, donatis, alienatis, obnoxiatis, vel traditis, nisi vobis. &c. *Actum in villa, quæ dicitur.* Vico, *ubi ipse Augustus præerat feliciter.* Ego Sisenandus in hac chartula venditionis, à me facta subscripsi, ac supra scriptum argentum accepi. Gribaldi Episcopi renunciatio ponitur, an-

nô Imperii Ludovici 24 & anno ſecundo Supponis Comitatûs 25 menſis Martii per Indictionem ſextam. Ideoq; ego Gribaldus Epiſcopus Sedis Pinnenſis Eccleſiæ, de Epiſcopio S. Maximi, conſtat me concambiare, atq; concambiavi tibi Domino Ludovico, piiſſimo Imperatori in Inſula Piſcariæ, loco, ubi dicitur, *Caſa aurea*, terram permenſuram modiorum 150 quæ pertinent ad partem ſupra ſcripti Epiſcopii S. Maximi &c. *actum in Pinne* &c. Ego Gribaldus Epiſcopus in hac commutatione à me facta manu mea ſubſcripſi. Inveſtivit Heribaldus Comes Sacri Palatii Domini Ludovici Imperatoris, per ipſius juſſionem, & per ipſius D. Ludovici demandatum. Ludovicus itaq; Divina inſpiratione præmonitus, cum videret Inſulam omnibûs bonis refertam, & quaſi verum paradyſum omnibus optimis fructibus redundantem, ipſam Deo omnium conditori, poſtquam liberam habuit, conſecravit, & in ea Monaſterium in honorem SS. Trinitatis, & individuæ, ædificari præcepit, credens ſine dubio ſuæ pro hoc animæ redemptionem, Imperiiq; ſui continuatam protectionem, & adverſariorum ſuorum efficacem contritionem Divinæ ſibi reſpectu miſericordiæ præparari. Erat autem in eadem Inſula quæ jam Eccleſia in honorem B. Martyris Quirici ab antiquo ædificata, penes quam juſſit

Eccle-

Ecclesiam ædificari, aptam videlicet Monasticis usibus, & congruentem, quatenus coadunato illic sub regulari norma Religiosorum virorum cætu, altissimo Deo laudes jugiter inibi, votaq; resultent.

Iactis igitu fundamentis, & collocata ibi non paucorum artificum multitudine, expensisq; omnibus sufficienter præparatis, Imperator Ludovicus cum exercitu suo Beneventum perrexit, ibiq; infidelem Theobertum, ejusq; complices, qui à facie ejus fugerant, prostravit; eorumq; bona, facta solenni donatione, Piscariensi Ecclesiæ, quam noviter ædificari præceperat, concessit, tribuit, confirmavit. Præparatis igitur his, de quibus ad præsens locuti sumus, & armatus exercitibûs suis, impatiens moræ tendit in Apuliam, & Tarentum obsidens, quæ proditorum nutrix, & eorum, qui contra Patriam suam juraverant, latibulum fovens, insaniebat, tamdiu pugnavit ibi, donec quosdam ex iis, Romanis subiiceret, alios detruncaret, alios verò nudatos armîs, à finibus illis exire compelleret. Inde petens Brundusium, Calabros, & Siculos eodem & simili exitiò devastavit; Romanoq; Imperio subjugavit, urbes possedit Romamq; reversus Imperiali laureâ pro triumpho â D, Papa Adriano & omni populo, & Senatu Romano in. Capitolio est Coronatus. Tantum ei gratiam Deus cõtulit

tulit, ut universa terra ejus se subditam Imperio congauderet, & de reperatione novæ pacis, omnis tribus, & lingva, Omnipotenti Deo gratias redderet. Ille verò quanquam in sublimitate Imperiali se positum esse consideraret, non tamen humilitatem; quam erga suum Conditorem habere solitus erat, deseruit, sed humilior ex sublimitate, & subjectior fuit, erat ei in animo assiduà, & frequens cogitatio circa constuctionem, quam in Insula Piscariæ fieri præceperat, quatenus eam ad finem usque felicem perduceret, & tales ibi collocaret, qui pro se, & pro statu Imperii Romani Deo supplicarent, qui regulariter viverent, quorum conversatio in cælis esset, quorum preces, & pro vivis & pro defunctis Deus Clementer audiret. Cogitabat etiam Clementissimus Imperator de Rectore, & conservatore Ecclesiæ, qui post ejus discessum ante Deum pro servientibus inibi mitissimus appareret, qui hostes ipsius loci & malefactores expelleret. *Hæc eo jugiter cogitante, jussit advocari Archiepiscopos, & Nobiles, Consiliarios suos, & habito cum eis Consilio in hæc verba prior ipse prorupit:* Viri bellatores, quos Mater sapientiæ, & totius scientiæ Inventrix Gallia enutrivit, qui adversarios Dei Saracenos fortissima dexterà expulistis, quorū virtutem ultima sub Sole terra cognovit; quod consiliū mihi

mihi datis, credo quia vos mecum cogitatis, quomodo nova Ecclesia, quam construere jussi, honoribus amplificetur, Reliquiis SS. Martyrum muniatur, & talem habeat protectorem, qui pro Christo mortem sumpserit, & stolam suam lavit in sangvine Agni. Et dum ad hæc singuli titubarent, nescientes, quid responderent ei, accessit quidam veteranus Antistes, studiosus valde in sacris scripturis, & SS. Martyrum plenariè gesta cognoscens, *clara voce dixit Imperatori:* Imperator Auguste, cui Deus tantam contulit gratiam, ut quæ ipse in Cælis prædestinat, per te operetur in terris, consilium quod requiris, ab homine tibi non potest dari, imò ipse Deus, cujus nutu Insulam elegisti, quæ revera alter Paradysus dici potest, ipse talem tibi elegit protectorem, qui in aquis vitam pro Christo fuderit, si Tua celsitudo ad hunc perquirendum voluerit inclinari. *Cui Imperator: de quo Pater scientissimè loqueris?* de Clemente respondit senex ille, qui successor extitit Petri Apostoli, qui huic Romanæ præsidens Ecclesiæ, Apostolum totius Galliæ Dionysium delegavit, qui noviter repertus, & ad hanc urbem per quendam Philosophum, nomine Constantinum, delatus, tuæ à Deo prædestinatus est custos Ecclesiæ, ut qui in aquis pro Deo Spiritum exhalavit, demersos in aquis Piscarien-

sibus

ſibus, ne pereant, liberare poſſit. Ad hæc Ludovicus, tanquam a Deo viſitatus, quæ ſenex dixerat, mente concepit, & S. Clementem ante oculos ſuos ponens, omnes Cardinales præcepit convocari. Et cum ſingulis habens colloquium, ſciſcitatus de Beato Clemente, qui erat, quomodo repertus fuerat, orans, ut ſuorum precum forent apud Deum Exauditores, & apud Dominum Papam fideliſſimi Interceſſores, cui cum ſinguli ſuper interrogatis unam reſponderent ſententiam, & in precatu Regio ſuam fideliſſimam promitterent opem, accerſitis Primatibus ſuis cum Archiepiſcopis, & Principibus totius urbis, acceſſit ad Papam, Adrianus quidem ſecundus Papa ille vocabatur, qui B. Clementem ſuſcepit à Philoſopho, & eundem Clementē poſtea dedit Regi Ludovico. Quem Dominum Adrīnum tali voce Imperator alloquitur: ſi rectum eſt filios hoc requirere, quod eorum Patres promeruerunt, ego Paternis hoc addo meritis, quod meis addere meritis Parentes minime potuerunt. Parentes mei Romanis neceſſitatibus ſuccurrere Parati fuerunt, & ſua Regna reliuquentes, ſemetipſos, & ſuos exercitus ad excidium propter vos poſuerunt. Ego autem cum audirem rebelles noſtros contra vos inſurgere, non vocatus, ſed ſpontanea mea voluntate veni, veſtroſq; inimi-
cos

cos cum Dei adjutorio ſub pedibus veſtris poſui, totamq; terram, quæ à barbaris vaſtabatur, quietam vobis reſtitui. Si quid promeruerunt Parentes mei, ſi quid,& ego ipſe talib9 in obſequiis,quæro,ſupplico, rogo, obteſtor, quatenus in præſentiarum reddatis mihi. Non quæro dilationem, volo in præſenti remunerationem, nõ aurum, non argentum, non Caſtella, non Civitates, ſed illum, qui propter Dominum in marinos demerſus eſt gurgites, ut mihi Deus Clemens efficiatur, Clementẽ requiro, non alium, niſi illum, qui fuit ſecundus à Petro, ille demerſus in aquis extitit, ego verò illum in medio aquarum locare deſidero, ut ſubmerſus in aquis juvet precatu Sanctiſſimo. Ne confundas, quæſo, Pater Sanctiſſime, faciem meam. Reduc ad memoriam, quæ ſuſtinuerunt Parentes mei, & in his, quæ poſtulo, efficacem præbens audientiam, da mihi quæ poſtulo, Clementem, propter Dei Clementiam, ut Clemens ipſe poſtulet velocem indulgentiam.

His Adrianus reſpondit: Imperator Auguſte, quẽ Tu poſtulas, non eſt poſſibile me dare tibi, ſed in voluntate eſt, tam Cleri, quam populi, quibûs nolentibus, aliquid pretioſum non poſſum præbere alicui; verum tamen, ſi eorum rogatus tibi faverit, his, quæ poſtulas, mea voluntas deeſſe non poterit. *Quibus imperator*

auditis conversus ad Clerum, & populum, ait: Quid super his, quæ postulo, Sanctissimi Patres, & Orbis Domini, visum est vobis? si majora postularem, in mea erat fiducia, quod facillime impetrare deberem. Nunc vero minima postulo, quæ mihi non petenti à vobis offerri deberent ultro. *Ad hæc Cardinales:* Non hoc, *inquiunt*, Domine Imperator debes postulare, imò tibi non postulatum, accipere, & acceptum ubicunque volueris ponere, Tu enim es Orbis terrarum Dominus, & Romanæ Ecclesiæ Filius, & per te crevit, & crescet Deo volente nostrum, & Ecclesiæ decus. Accipe, quod postulas, quia in hoc favemus Tibi, & totus populus. Audiens hæc Papa Adrianus, cujus erat ad perficiendam Imperatoris petitionem promptus animus, respondit Clero, & in responsione Cleri, respondit populo: Licet agnoscam Dominũ Imperatorem Ludovicum majora promeruisse; non tamen volui ejus petitionibus assensum præbere, donec audirem ex vestro ore, quid super his, quæ postulabat, judicaretis. Quia ergo vobis placet, quod postulata accipiat, ne confundere videar faciem ejus, quem honorare decrevi, dono sibi & concedo Corpus B, Clementis Præsulis, qui jussu Imperatoris Trajani in mare demersus fuit, & nobis volente Deô, redditus. Insuper & addo Reliquias Apostolorum Petri & Pauli, ut in omni-

omnibus lætificetur mens Imperatoris, & habeat bonũ animum erga filios pacis. His auditis Imperator Augustus, procidit ad genua Papæ ipſe, & Procerum ſuorũ cætus, & lacrymis effusîs exultavit in his laudibus: Gratias tibi reddo Imperator Cæleſtis, cujus ego potentiæ teneo Regnum in terris, Tu Domine adimpleviſti deſiderium meum, da mihi, ut poſſim videre Sanctum Tuum, & in tali loco ponere, ubi honorificetur nocte, dieq; per nomen unigeniti Filii Tui D. N. IESU CHRISTI, cum quo, & cum Spiritu Sancto vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Et cum omnes dixiſſent: Amen, juſſu Beatiſſimi Papæ Adriani, allatum eſt Corpus Clementis Martyris glorioſiſſimi, & traditum Ludovico Imperatori, qui illico vas, frangẽ in quo erat poſitũ, traxit ſingulatim omnia oſſa ejus, & ne aliquid deeſſet, diligenter aſpiciens, involvit totum Corpus in pretioſo pallio. Deinde poſuit in vaſculo pretioſo, quod ipſe Rex ſecum habebat, factum de alabaſtro, ibiq; celebravit excubias, & ſolennes vigilias per aliquot dies. Perfectis igitur illis, quæ in Romana civitate decreverat facere, levaverunt Corpus S. Martyris cum hymnis & canticis Spiritualibus, Domino Apoſtolico præeunte, exiêrunt ab urbe pſallentes, & gaudentes, & pro tanto theſauro ſibi cælitus collato, gratias agentes omnium

Conditori. Hujus facti fama egressa est in uniuerso Orbe Romano, & tanta convenit hominum multitudo, ut arenæ maris possit æquari, laudantes & magnificantes virtutem Imperatoris Ludovici, videntes in eo gratiam esse Dei. Cùm autem venissent ad Insulam Piscariæ, quæ validis aquis cingitur undique, in ea parte, quâ erat Pons Regalis, constitit omnis multitudo jussu Imperatoris, & illis stantibus Ludovicus ait: *sicut credimus, nos portamus ossa B. Clementis, quæ tumulare desideramus in loco, quem cernitis; verumtamen ad hoc agendum habemus opus auxiliò nostri Redemptoris. Rogemus ergo Eum, qui omnia potest, ut demonstret nobis hodie in vestra præsentia, si hic veraciter ille Clemens est, qui in profundo maris, præcipitatus, invenit Templum marmoreum Angelicis manibus sibi præparatum, iter præbens populo terræ in annuis Festivitatibus suis, ut videntes enarrent mirabilia Dei. Si hic est, de quo non diffidimus, ostēdat nobis Deus tali conditione, ut mulus iste, qui portat eum, incedat per medios fluctus sicco vestigiò & dirigatur non homine duce, ad illum locum, in quo loco honorificè eum sepelire decrevimus præstante D. N. IESUCHRISTO* His dictis, mulus aquas ingreditur valde profundissimas, quæ impetu vasto curretes, marinas
repræsen-

repræsentabant undas, & super ipsas ambulans sicco vestigio longo tractu, uno fere stadiô intravit Insulam, & ibi constitit, ubi Dominus præordinaverat S. Martyris glebam. Quod videntes populi omnes, una voce laudaverunt Omnipotentiam Dei, qui præsens est omnibus invocantibus se in veritate, qui tam mirificê declaraverat merita S. Martyris sui. Erant ibi quam plures, diversis infirmitatibûs laborantes, qui audito advẽtu Martyris gloriosi, fecerant se apportare de civitatibus, & habitaculis suis, habentes in Deo fiduciam, qui per SS. suos operatur mirabilia magna nimis Hic revoluto Corpore S. Clementis, cum ejus ossa nuda teneret sacratissima manus Imperatoris, tantus odor egressus est de ossibus ipsis, ut visum esset illis, qui aderant, quod essent in Paradiso Dei. Ex quo odore ubi fuerant tacti languentes, quos supra diximus, & multi Paralytici, illicò sunt redditi sanitati. O! quantus luctus præ gaudio, & quantus clamor sublatus est in excelso, ubi viderant illos sanos, quos moribundos attulerant, videre, qui nihil antea videbant, audire, qui surdi multo tempore fuerant. His exhilaratus Dominus Imperator, præcepit Clerúm ornari vestibus sacris, & populum intendere Orationibus Sanctis, & ipse cum Archiepiscopis, & Episcopis involverunt membra S. Clementis, &

Reliquias Apoſtolorum Petri, & Pauli in medietate pallii, quia alia medietas reſervata eſt ad poſteros in memoriam hujus tranſlationis, & recondi fecit eum in ſupradicto alabaſtro, & in ipſo die Tranſlationis locari in altaris medio. *Annô Dominicæ Incarnationis 872. Indictione VI: Kalendas Junii ad honorem, & gloriam D. N. JESU CHRISTI.*

CARMEN

Ex MSS. Codice Regio Pariſienſi editum. Tranſlationis Hiſtoriam complectens.

DE Ludovico Francorum Rege loquamur,
Muſa para calamos, & eum modulando ſequamur,
Quamvis egregia pollerent laude Parentes,
Iſtius, & Francos regerent, ſimul & Bibivenſes.
Iſte tamen Proavos, Atavos, & Avos ſuperavit,
Dum virtute ſua, ſibi Regna novella paravit.
Tum fines Calabros Rutuli, Siculiſq; tenebant,
Et ſe Romanis ſubmittere deſpiciebant.
Audivit Ludovicus, genteſq; togatæ,
Armari juſſit populos per Gallica latè
Regna, Duces, Comiteſq; vocans, nullusq; remanſit,

Qui

Qui portat gladium, ſic conſitus, ardua tranſit,
Montis Apennini, cacumina uſq; ad undas
Piſcarias venit, fluvio turgente profundas:
Inſula cingitur, hoc à flumine Criſea dicta.
Naſcitur hac vinum, potuſq;, cibiq; miniſtrun
Hujus Oliva tenet dextrum latus, atque ſiniſtrum
Quo deſit luctus, tanta eſt ibi copia fructûs,
Ut credat viſus, quod vera ſit hæc Paradyſus,
Hanc ſimul aſpexit fortiſſimus hic Benefactor
Eccleſiæ murus, Regni Decus, & Moderator,
Dixit: habet Dominus Paradyſum Deliciarum
Vallibus hìs, caulas ovium ſtatuamus earum.
Quæ jugiter famulentur ei nocteq; dieq;
Actibus in Sanctis, Pietatis, Iuſtitiæq;,
Iſte locus, quem fertilitas, & copia rerum
Exornat, debet Domini ſecernere Clerum.
A populo, faciamus in hoc clauſtrum Monachorum,
Qui ſint ſuffulti libris, actuq; priorum,
His dictis, incæpit opus, cæptumq; peregit,
Inq; Monaſterio Monachos reſidere coegit,
Ad victum præbens villas, caſtellaq; plura.
Naturâ munitas, manu nunquam ruitura,
His itaq; diſpoſitis, ſi cætera ſcire velitis,
Aures aptate; quantum loquar, enucleate.

Rex

Rex Ludovicus, poſtquam venit Beneventum,
Audivit Calabros commotos, atque Tarentum,
Et Siculos cunctos Romanis bella parantes,
Et gentes alias ſibi multas conſociantes,
Accingunt igitur ferrum, vibrantq; lacertis
Haſtas, & portis urbem egrediuntur apertis,
Nec ceſſant, donec videant hoſtilia raſtra,
Atque Tarentinos adeunt tum fumea caſtra.
Exclamant Franci, vallantes obſidione
Urbes, cum populis mox facta deditione,
Sumbitunt Regi Francorum, ſeq;, ſuoſq;,
Urbes, Caſtra, Domos, villas, agroſq;, locoſq;,
Atque Fidem Chriſti devote ſuſcipientes.
Sunt Ludovicô, Dominum victore colentes.
Subjectis igitur Calabris Rutulisq; fugatis,
Iamq; novæ pacis ſubmittere colla paratis,
Mænia Romanæ cum laudibus expetit Urbis
Debita Victori ſolventibus undique turbis,
Obvius intravit, totus proceſſerat illi
Romanus Populus, magni, ſimul, atq; puſilli,
Summus Præſul ei tradidit cum codice legem,
Atque coronatum veſtit Diademmate Regem,
Ille vocabatur Adrianus Papa ſecundus,
Vir Sanctus, legisq; Dei notione profundus.

Huc

Hunc Ludovicus Rex noſter magnificârat
Ipſius & Clerum largè tribuendo beârat,
Et quantum Clerum largè tribuendo beavit,
Fecit propter eum Præſul, quodcunque rogavit.
Contigerat fauente Deo, quod Martyris oſſa
Clementis, jactata mari, non condita foſſa,
Angelicis manibus facta de marmore ciſta,
Romæ lata forent, quodam famulante Sophiſta,
Nomine dictus erat Conſtantinus Sophus iſte,
Vir bonus, & Sanctus, famulansq; pie tibi Chriſte,
Iſte Sophus Patriæ cæleſtis tactus amore,
Verborum Domini ſemen, quod habebat in ore.
Dum ſpargit gratis cunctis, & dividit æquè
Aptus lucrandis animabus nocte, dieq;.
Indomitos lavit populos errore vetuſto,
Inſtituit, monuit, rexit moderamine juſto.
Inde ferens ſecum pretioſi membra Magiſtri
Clementis, Petriq; ſimul, Pauliq; miniſtri,
Summum Pontificem Romanæ reddidit urbi;
Laudibus immiſtis reſonantibus undiq; turbis.
Rex Ludovicus, cui diſplicet omnis iniquus,
Iuſtitiæ cultor, & veræ pacis amicus.
Semper Piſcariæ Fratres in corde tenebat,
Idcirco quantum locus hic Paſtore carebat.

Acce-

Accedens igitur ſummi Paſtoris ad ædes,
Intrat eiq; datur confeſtim Regia ſedes,
Aſſurgit Papa Regi, totuſq; Senatus,
Quos reſidere jubens, eſt talia verba præfatus.
Imperiale Deus, recto moderamine rerum,
Ut crevit, creſcat, curſu labente dierum,
Et licèt omnia ſint ſubjecta meæ ditioni,
Eſt tantum in cælis Rex Rege potentior omni,
Cui Rex terrenus, niſi ſponte velit famulari,
Perdit eos ſubito, quibus putat Dominari.
Rex etenim ſummus cæleſtia ſic moderatur,
Ejus ut à cura terreſtre nihil minuatur,
Ipſe valet, firmat, Regum confundere leges,
Ipſe poteſt ipſos etiam ſubvertere Reges.
Quid Nabuchodonoſor ſeptennis fecerat annis,
Novimus, in campis, quaſi bos manſit ſine pannis,
Non eſt ex nobis, quod noſtros pellimus hoſtes,
Quod duro firmos confregimus obice poſtes,
Quod Victor rediî, laus nulla mihi tribuatur,
Non mihi, ſed Domino, per quem vici, referatur.
Ille meos hoſtes, ſola formidine ſtravit.
Ille Tarentinos, Calabros, Siculosq; fugavit.
Ergo meo Domino pateat devotio ſervi,
Subditus illi ſum, nolint, velinve protervi.

Gratia ſola fuit, quod ei placuiſſe probamur,
Addatur meritis, ab eo nè deſtituamur.
Quod meritum noſtrum poterit conſcendere ſedes
Ad ſuperas, celſasq; poli, qui ſcandit ad ædes,
Profectò ſupplex inopum, viduæq; præcatus,
Quos ſuper intendens, fuit ſine fine Beatus,
Verus inops, & Pauper hic eſt, qui dives habendi
Cum ſit, velle jacit totum, votum tenendi,
Linquit, & ad nutum ponit ſua vota jubentis,
Hic poterit Præſul vultum ſedare potentis,
Talibus inſtitui propriis ex ſumptibus ædes,
Atque meas inibi juſſi componere ſedes,
Ut quoties illis venient in commoda ritè
Percipiant toties à me ſolamina vitæ.
Sed quantum vallatur aquis locus iſte profundis,
Atque cadens in eis, moritur perſæpe ſub undis,
Quæro Tutorem Patriæ, vitæq; levamen,
Qui ferat Eccleſiæ rebus, populisq; juvamen.
Cujus membra maris fuerint demerſa profundo,
Cujus vita fuit toti celeberrima mundo.
Nomine quippe proprio ſit pronus ad auxiliandum
Subjectiſq; ſuis ſit promptus ad miſerandum,
Qui ſit pro Chriſto pelagi demerſus in undas,
Cujus membra ferens, triſtes non ſentiat undas.

Clementem, Testem Christi, cupioq;, voloq;;
Illum si tribuas, mihi plaudes, Imperioq;.
Te Pastor metuende rogo, sacrumq; Senatum,
Et populum quem lacte foves, Clerumq; beatum,
Ut mihi des, quod jure peto, nec enim retinere
Debes, quod posco, nisi me contemnis, habere,
Insula Piscariæ Papa Clemente Beata,
Martyris egregii sit corpore glorificata,
Ut Sanctus Clemens Pinnensi fine locatus,
Sit Theatinis, & Valvis propitiatus.
Non me despicias, nec enim contendere debes,
Rectorem populi, quem postulo, si mihi præbes,
Urbis Romanæ plebem, clerumq; beabo,
Et te magnificis in rebus honorificabo,
Dixit, & Antistes summus respondit ad ista:
Quem Dominus tribuit nobis operante sophista,
Urbs Romana tenet, multo servabitur ense,
Non decet, ut fluvio mergatur Piscariense,
Obrutus in fluctus semel est, & redditus urbi
Quâ fuerat Præsul, gaudentibus undiq; turbis,
Ausus qui fuerit laudare, quod hic tribuatur,
Qui Deus est urbis istius, quâ tumulatus,
Non poterit fieri, quod eum donare velimus,
Quo sine pro certo, nos qualibet arte perimus.

His

His dictis, unus de Clero dignus honore
Surgit, & hæc contra venerando protulit ore,
Præsul amice Dei, quæ tu de Martyre dicis,
Ipsa placent cunctis etiam nostris inimicis,
Traditus à Petro fuit hujus Episcopus urbis,
Notus doctrinâ per clymata quatuor Orbis,
Multa quidem vivens, quàm plurima nunc operatur,
Et quod nunc vivit, virtutibus insinuatur.
Adhærens vitæ, per vitam vivit & ipse,
Non solum Romæ vivit, sed vivit ubique,
Non igitur perdes, si donas induperanti,
Imò tibi servas illum, si das rogitanti,
Insula Piscariæ Clementis membra tenebit,
Spiritus ipsius Romam, Regemq; fovebit.
Assensit Clerus Romanus, Papa quievit,
Lætantur Franci, Rex lætus munere flevit.
Traditur Augusto Clemens à Præsule totus
Martyr, Romana sic est ex urbe remotus,
Accepit gaudens, & singula dinumeravit,
Involvens panno serico strícteq; locauit,
In parvo busto, gemmis auroq; micanti,
Et sic egreditur cum plebe sua reboanti.
Venerat ad fluvium, quo cingitur Insula tota,
Quæ, sicut jam supra diximus, est bene nota,

Præcipitem ſeſe fluvius tumefactus habebat,
Et ſecum Pontes, & grandia ſaxa trahebat.
Interius Fratres expectant advenientes,
Hymnos & Pſalmos, & cantica ſacra canentes,
Non erat ingreſſus, quoniam vada nulla patebant,
Fluctus ut dixi, pontes, & ſaxa ferebant,
Quid facies dilecte Deo, ſi Chriſtus ad iſtas,
Nos miſit partes, tua Piſcare flumina ſiſtas,
Sanctus adeſt Clemens, cuncti diſcedite venti,
Dixit & impoſuit, Sanctiſſima membra jumenti
Unius in dorſo, te Clemens dirigat, inquit,
Percutiensq; manu leviori ſpinea, linquit,
Intrat, & extemplò fluctus ſeſe cohibentes,
Et nomen Domini, Sanctiq; ſui metuentes,
Sub pedibus muli, quaſi ſaxum diriguerunt,
Et Sanctum Corpus pede ſicco tranſpoſuerunt,
Non fuit hoc ſubito, ne dicas vana fuiſſe,
Sed longo tractu per ipſum flumen abiiſſe,
Novimus, & ripas pede ſiccato tetigiſſe.
Hâc Ludovicus re mira lætificatus,
Et cæteri proceres, & pars non parva Senatûs.
Condit in Eccleſia pretioſi Martyris oſſa,
Exornatq; locum, cui ſit per ſæcula doxa. Amen.

ASSERTIO

Sacratiſſimum Corpus S. Clementis Papæ, & Martyris per Chriſtianiſſimum Regem Galliarum, & Auguſtiſſimum Imperatorem Ludovicum ſecundum ab Adriano ſecundo Romano Pontifice, eidē donatum Româ tranſlatum fuiſſe probabilius in Imperiale Monaſterium Caſaurienſe, ſeu Piſcarienſe Ordinis S. Benedicti, probant monumenta ejuſdem Eccleſiæ, probant teſtimonia ſcriptorum, probat ad evidentiam Sacri Corporis inventio, probant miracula, probant deniq; Bullæ Romanorum Pontificum, Diplomata Imperatorū, Regum & Principum.

CAPUT X.

MOnumentis Piſcarienſis Baſilicæ probatur exiſtentia

Corporis S. Clementis. Cæpit igitur, & creatum eſt Piſcarienſe Monaſterium tempore, quô Papa glorioſiſſimus Nicolaus Romanum regebat Pontificatum, & Michaël Conſtantinopolitanum regebat Imperium, ſupra dicto Cæſare Auguſto, Auguſti Lotharii Filio, in honoré Sanctæ, ac individuæ Trinitatis, illud fundante, & cōſtruente. Sicq; cæleſti prædeſtinatione, ſeu diſpoſitione factū eſt, ut uno, eodēq; tempore fieret, & Corporis B. Clementis inventio, & Sanctæ Piſcarienſis Eccleſiæ conſtructio, ut ſicut olim eidem Sancto Côrpori fuit ab Angelis habitâculum in maris Pelago præparatum, ſic etiam eidem reperto, & in Italiam reportato, foret ab hominibus, Sacroſanctum Templum Regaliter ædificatum. Expletis igitur his, quæ animo firmiter inhærebant Imperatoris, cum ipſe videret locum aptiſſimum Monaſticæ Religioni, ibi poſuit nobiles genere, probos moribûs, Sanctos converſatione, quibus præfecit Abbatem Romanum nomine, Virum honeſtum moribûs, literali ſcientia eruditum, & quaſi quoddam ſpeculum bonitatis, & innocentiæ, qui omnibus erat reſpicientibus ad ſe, quaſi inexpugnabilis, & contra adverſa omnia ſecurus. Fecit etiam præceptum ſûper Abbatis electione, ut non eligatur de extranea congregatione, ſed quotieſcunque qui præeſt, Abbas obierit, habeant

beat Fratres licentiam, ex ſua propria congregatione eligendi Abbatem. Poſt hæc Ludovicus habito cum ſuis cōſilio, juſſit plures Epiſcopos convocari, & in die cōgrua, & competenti, facere Eccleſiam in honorem S. Trinitatis, & S. Clementis, & aliorum Sanctorum ſollenniter dedicari. Tantaq; multitudo populi fuit ibi, ut ab eadem Inſula, quæ ſatis ampla, & lata eſt, vix poſſet capi. Dedicata igitur Eccleſia, conſecratum eſt altare majus in honorē S & individuæ Trinitatis & B. Clementis, cujus Corpus honorificè ſepultum ibi requieſcit. Et ſunt ibi Reliquiæ SS Apoſtolorum Petri, & Pauli, quas ſanctæ recordationis Papa Adrianus dedit Ludovico Imperatori cum Corpore B. Clementis excellentiſſimi Papæ, & Martyris glorioſi, ad dexteram ipſius altaris medii conſecratum, eſt altare aliud in honorem omnium Apoſtolorum, & conditæ ſunt inibi Reliquiæ *S Andreæ Apoſtoli, S. Clementis, SS. Stephani, & Laurentii, Chryſanthi, & Dariæ, quadraginta Martyrum, S. Romulæ, SS. Marii, Marthæ, & S. Nymphæ.* Ad ſiniſtram autem conſecratum eſt altare in honorem Beatiſſimi Benedicti Patris Monachorum, & Inſtitutoris Cæleſtis normæ, ibiq, poſitæ ſunt Reliquiæ *SS. Stephani Papæ, Sixti, Calixti, Chermetis, Chriſanthi, & Dariæ, & SS. Cyri, & Ioannis,* quatenus e-

eorum

orum patrociniis conſervetur Eccleſia iſta, in qua eorum per ſingulos dies celebratur memoria. In crypta verò, quæ ſubtus altaribus iſtis eſt, tria altaria conſtructa, & conſecrata ſunt, quorum medium conſecratum eſt in honorem B. Mariæ Genitricis Dei, & D. N. IESU CHRISTI. Dextrum verò in honorem S. Blaſii M. Epiſcopi; ſiniſtrum autem in honorem Sanctiſſimi Nicolai.

In cujus dedicatione maxima donaria fecit Eccleſiæ, videlicet ad majorem ſuæ mercedis cumulum, ac loci ipſius neceſſarium ſupplementum, Chriſtiq; ſervorum ibi degentium, ſeu illuc undequaque adventantium, perenne ſubſidium contulit in præfato cænobio, quodcunque habebat in proprio, & juſtè, ac largiter videbatur tenere intra fines Italiæ, Dedit ad honorẽ ejuſdem Eccleſiæ in ejus ſolemni dedicatione, plurima vaſa ex ſolido auro, & argento fuſili, quæ multo tempore reſplenduerant in ea, ad Chriſti ſervitium dedicata. Fuerant etiam in ejus dono diverſa pallia aurô, & gemmîs radiantia, quibus parietes Eccleſiæ ornabantur, & Fratres induebantur, quoties magna feſtivitas in Eccleſia celebrabatur.

Donum Regalis ſceptri Abbati oblatum

Et ut affectus illius, quem erga Monaſterium hoc

habebat

habebat Ludovicus, ſupra omnia Monaſteria, quæ à Regibus cæteris in Regno ſuo fuerant ædificata, manifeſtaretur, & cunctis innoteſceret, dedit eidem Monaſterio in perpetuum poſſidendum jure hæreditario ſceptrum Regale, quod geſtabat in dextera, ut illud Abbas portaret in ſolemnibus Feſtis in loco Baculi Paſtoralis, & in tantum dilexit cænobium, ut omnem cauſam ipſius, tanquam peculiariſſimæ domûs ſuæ quoadusque vixit, pro amore ſuperno exequi modis omnibus præordinavit. Præcellebat Monaſterium Piſcarienſe, ut ait Lucas Dacherius in præfatione ad Chronicon Piſcarienſe, inſigni adeo dignitate, ut in omni ditione ſua Abbas non ſecùs, ac Imperator gerens ſeſe, Pedi locô, ſceptrum Imperiale, ſeu Regale, quod nulli antea, vel poſt hac conceſſum invenio, geſtaret. Ea prærogativa fuit, ejus loci Abbatis, ut Imperiali ſceptro ipſius Ludovici pro Baculo Paſtorali uteretur, ut obſervat Mabillonius *Tomo 3: annal: Benedic: Pag. 132.* At ducentis plus annis jam elapſis, Grimoaldus Abbas cum adiiſſet Urbanum Papam, cum maxima reverentia ab eo ſuſceptus fuit, & ſub protectione Romanæ Eccleſiæ, quam hactenus Abbatia S. Clementis ignoraverat, quia ab Imperatoribus gubernabatur, eā ſuſcepit. Ab eodem Pontifice Grimoaldus primus con-

fecratus, Baculum Pastoralem ab eodem accepit locô sceptri Pastoralis, quod superiores Abbates pro ferula Pastorali gestaverant. Unde hæc notantur carmina in MSS. Regio.

Cæsaris ob sceptrum, baculum tibi porrigo dextrum;
Quo bene sis fretus, plus Cæsare dat tibi Petrus.

Ludovicus igitur multis gratiis, & Diplomatibus ditans Monasterium, perfectis omnibus, quæ ad regimen præfati Monasterii, & ad decus totius Imperii pertinere videbantur, regressus est ad propria, ibique religiosè, & piè vivens, & religiosius, & magis piè moriens, animam Deo reddidit, Regnumq;, & Imperium suis hæredibus dereliquit. Cujus mortis inditio, sicut in quibusdam Chronicis reperitur, Stella, sicut facula ardere visa est post septemtrionem, septimo die mensis Iunii. Et tunc idē Divæ memoriæ Imperator Ludovicus diem claudens extremum, defunctus est *13. die mensis Augusti.*

Grimoaldus verò Abbas intuens multa mirabilia suo tempore sæpissimè fieri, fecit Crucem argenteam, appendentem libras quindecim argenti, quæ à sinistris chori ante altare fixa, ob reverentiam Dominicæ Passionis, à populis debita reverentia coleretur. Fecit & calicem aureum appendentem libram auri purissimi, in

quo

quo mysteria Dei magnis festivitatibus conficerentur. Fecit & textum argenteum, qui expanderetur, vel operiretur super altare Dominicis Diebus, & in Festis Sanctorum.

Suppo Piceni Comes, qui & Dux inscribitur, in Imperatoris exercitu fulgidus, sub ipso tempore translationis B, Clementis, obtulit pro luminariis ante ipsū Sanctum Corpus habendis, quandam villam suam apud Pinnensem civitatem, nomine Paternum cum reditibus, & omnibus sibi jure pertinentibus.

Inspirante igitur post hæc superna gratia, & devotione, quam erga gloriosissimum Martyrem Clementem habebat, Leonas Abbas, ipsius etiam opere mirifico renovare cæpit Ecclesiam, & copiosis expensis, & apparatibus, & Magistrorum, & cæmentariorum agminibus aggregatis, primo frontispicium cum tribus portis ædificavit, & ibidem sculpturis apparentibus decoravit. Deniq; ipsam pulcherrimam porticum, quæ est ante, levavit, & sicut cernitur, in tumbam fabricavit, & priori operi conjunxit. Unde leguntur de illo carmina.

Hoc Templum primo Ludovicus construxit ab imo
Abbas, quod Clare Leonas cupiens renovare,
Cum voto magno Domini fundavit in anno

 Milleno

Milleno, ſeno, centeno, ſeptuageno.

Hanc egregiam porticum deſcribit Ferdinandus Ughellus Abbas *Tomo 6. Italiæ ſacræ, Pag. 338.* agens de Epiſcopis Theatinis, ubi veniens ad Epiſcopum Petrum, ita ſcribit. Petrus poſt Lupum ſufficitur, cujus nomine annô 853. Urſum Archidiaconum Eccleſiæ Theatinæ interfuiſſe Concilio Romæ celebrato ſub Leone IV. Pontifice teſtatur Cardinalis Baronius *Tomo 3 numerô 20.* Hæc tantum Petri memoria perennavit ad poſteros, quo fortaſſe Præſule, vel alio ejus ſucceſſore, celebre Monaſterium S. Clementis Papæ, & Martyris Ordinis S Benedicti, in Aprutina Provincia juxta fluminis Piſcarii decurſum, exſtructum eſt à Ludovico II. Imperatore, & ab eodem flumine denominatū, & Caſaurienſe aliquando dictum, ubi corpus, vel ſaltem pars Corporis S. Clementis Papæ ab Adriano II. eidem Imperatori dono datum, honorificè requievit, Eccleſiæ hujuſmodi oſtium æneum ſatis mirificè fuſum, auroq; puriſſimo incruſtatum, nullo unquam tempore intermoritura fundatoris munificentia Divo Clementi dicatum eſt, Miraculorum omnium, caſtrorum, terrarum, villarum, ac totius Abbatiæ Iriſdictionis compendium, & veluti ſpeculum, in quo vetuſtiſſima Imperatoris exprompta, & indubitata tanti Pontificis translationis mo-

numenta

numenta spectantur, Historia digna est, unde merito hic eam adnotare visum est. supra arcum igitur medium portæ, quæ ænea est, extat à capite, sculpta urbs quædam his verbis in medio, *Roma.* Inde videtur Papa sedens, qui capsulam tenet in manibus onustam, & ossibus plenam S. Martyris Clementis cum his literis: *Adrianus Papa secundus,* coram Pontifice extat cum genu curvo, & capite inclinato Imperator cum his verbis. *Ludovicus Imperator,* qui capit cum veneratione capsulam è manu Pontificis, sub quo hi duo versus leguntur, quibus Pontifex alloqui videtur Imperatorem.

Ecce Pater Patriæ, magnum tibi confero munus,
Clementis Corpus, Tu sacrum suscipe funus.

Post Imperatorem extat quidam oblongis vestibus indutus, qui ensem in manu tenet cum his verbis à latere. *Suppo Comes.* Post ipsum comitem videtur sculptus idem Imperator, qui devotè capsulam illam imponi jubet supra animal quoddam, & transmitti ad Monasterium ab ipso ædificatum, ipsis verbis: *sub Imperio Ludovici Cæsaris.* Post quem videntur sculpti duo Monachi, qui obviam eunt Capsulæ, ut eam recipiant, cum his verbis: *Fr: Celsus Fr: Beatus.* Et post ipsos Monachos videtur sculptum Templum Sanctissimæ Trinitatis

nitatis

nitatis, à qua egressi fuerant Monachi, & ubi reliquiæ asservari debeant, cum his verbis: *Templum Sanctissimæ Trinitatis*, sub istis verbis extant duo versus, quibus Ludovicus Imperator alloqvitur Insulam:

Martyris eximij Clementis suscipe Corpus
Insula Piscaria, Paradisi floridus hortus

Post videtur sculptus Imperator, cum his literis, *Ludovicus Imperator*, qui porrigit sceptrum Dominii cuidã Abbati, qui primus fuit in Monasterio, juxta quem literæ sunt: *Romanus Abbas primus.* subtus autem hic versus legitur:

Sceptro firmamus regimen, tibi sume rogamus.

Post ista videtur quidam vestibus oblongis indutus, cum his literis à latere: *Sisenandus miles*, qui sceptrũ tenet in manibus, cum his verbis: *Cæsar vestra sit hæc Insula Piscariæ* Ex quibus verbis clare colligitur, hunc Dominum fuisse temporalem Insulæ. Post ipsum videtur Episcopus, qui tenet Insulam in manibus sculptam, eamq; offert Imperatori, qui eam recipit. Circa Episcopum hæc verba leguntur: *Gribaldus Episcopus.* Circa autem Impeatorem ita: *Ludouicus Imperator.* Tenet Episcopus in manibus scriptum hujus tenoris: *Damus vobis omne jus de hac Insula.* Unde colligitur Gribaldum Episcopum Pinnensem, qui alias Grimaldus

maldus dicitur, omne jus concesisse Ludovico Imperatori, de ista Insula subtus, autem hi versus leguntur:

Insula Piscariæ, quæ nostri juris habetur,
Libera perpetuo Tua Cæsar jure vocetur.

Retro Imperatorem videtur sculptus Comes quidam togatus ensem gestans cum his literis: *Heribaldus Comes*, hujus rei fortasse testis. Hucusque Ughellus, plura tum ex Muratorio, tum ex transmissis mihi aliis monumentis, addo: Adrianus Papa dans capsulam Imperatori, hæc dicit verba:

Cæsaris ad votum, Clementem confero totum.

In medio sedet S. Clemens Pontificaliter indutus, Pastorali virga decoratus, ac benedicens, cui à parte dextra adstant ejus Discipuli Levitico insigniti indumentô, unius supra caput: *S. Phæbus.* In pectore verò hæc verba sculpta habet: *Homo quidam nobilis.* Supra caput alterius *S. Cornelius.* Supra S. Clementem hæc verba: *Clemens Episcopus omnibus fidelibus Benedictio in IESU CHRISTO.* Sinistro verò lateri S. Clementis uno tantùm flexo genu adstat Abbas Pontificali veste ornatus, qui Templum ei offert, cum his versibus:

Suscipe Sancte Clemens, Tibi Regia Templa parata,
Retribuens Cælo, Leonati Regna beata.

Huc spectant monumenta transmissa mihi singulari benevolen-

nevolentia, & humanitate Reverendiſſimi Domini Cæleſtini Orlandii Procuratoris Generalis Ordinis Cæleſtinorum. In duabus Ianuiis æneis deauratis, Eccleſiæ S. Clementis videntur inſculpta caſtra, & imagines S. Clementis, Abbatis, & Imperatoris cum appoſitis nominibus ſequentibus. In janua dextera ſub imaginibus S. Clementis, & Abbatis leguntur hæc nomina:

Iohel Abbas SCS. Clemens
Caſtellum Inſulæ
Caſtrum Bononiani,
Cameranicum cùm.
Caſtrum S. Angeli,
Caſtrum Popiri,
Toccum cum pertinentiis,
Caſtrum Cantalupum.
Caſtrum Rajano, & Preza,
Caſtrum Fare Dabriliæ,
Lucum Picceri, cum
Salle Moſeſlule
Betorita,
Petra iniqua.
Valva inter aquas.
Rajano.

In ſiniſtra Ianua.
Caſttum Alanne.
Caſtellione C. Iulivula.
Peſculum & Carufanum.
Caſtrum S. Valentini,
Paternu Abatejum.
Caſtrum Corvariæ
Rocca de Soti cum Monte
In Marchia Caſtrum.
Loripodium.
Sanctus Georgius.
Areole.
Caſtellum,
Vetulum.
Monaciſcum.
In Camerino.
Caldarole.
Caſtrum Ripalte.

De Abba-

De Abbate Iohele habetur mentio in Privilegio Cælestini III. annô 1191. *in Chronico Pag. 917.* Hinc colligere juvat ante annum 1191. ædificatam marmoream portam, in qua appositæ Ianuæ æneæ supradictæ fuêre. At porta illa, quam descripsit Ughellius, & denuò vulgavit Muratorius, quando, & à quo constructa fuerit, patet, ab Abbate Leonate circa annum Christi 1176. ædificatam fuisse, in qua Imago, & nomen Leonatis exprimitur. In superiori basi quatuor columnarum liborii, seu majoris altaris affabrè ex marmore insculpti, & in posteriori ejus parte eædem imagines, & eadem historia exarata cernitur, quæ in marmorea porta Ecclesiæ de corpore S. Clementis Papæ, constructione Ecclesiæ, ac Insulæ donatione Monasterio facta. In medio quatuor columnarum, est altare lapideum, sub mensa est urna grandis marmorea, in qua itē est alia urna, in illa deinde est tertia urna plena S. Corpore, ex parte verò chori est fenestra, seu duplex ostiolum, ferreâ lamina clausum, quod dum mihi à Patribus Cælestinis cum reverentia aperiretur, vidi intus tertiam illam parvam urnam ex alabastro mirifico opere efformatam, cum stemmate Ludovici Imperatoris, scilicet media luna, & Cruce, cujus extremitatem manu mea tetigi, in qua S. Clementis Sacratissima ossa hucusq; re-

quiescunt. In gradu marmoreo sub illo altari, sunt sculpti duo versus antiquo charactere grandi, qui sic leguntur.

Martyris ossa jacent hâc Tumba Sacra Clementis.
Hic Pauli decus est, & Petri jura tenentis.

Hæc carmina ex Characterum forma, tum ex rythmicis, credere licèt apposita fuisse sæculô duodecimò. Ad dexteram ingressûs extat marmoreum ambone, quatuor columnis innixum, sub quo est mensa marmorea, in qua Reliquia S. Clementis brachio argenteo inclusa exponebatur venerationi, quam asservatam in sacristia vidi, & ex qua tam Eminentissimo Cardinali Albano annô 1735. quàm mihi quoque annô 1750. Singulari gratiâ Reverendissimi Domini Iosephi Turco Abbatis Generalis, per Reverendissimum Dominum Ludovicum Pandolphium Abbatem S. Spiritus de Morrone, insignis particula authentica Reliquiæ S. Clementis Papæ elargita fuit. In hoc ambone exarata leguntur sequentia carmina:

Frater ego Iacobus Tibi Martyr supplico Clemens.
Istud opus recipe, Tuq́ sis mihi Clemens.

Apop: T: Ord:

Hic qui magna canis, fac, ne tua vox fit inanis,
Multum se fallit, mala qui facit, & bona persallit,

Est

Est doctrina bona, cum facto digna corona,
Vox, quæ clamatur, operis virtute juvatur,
Serva, quecunque legis, præcepta salubra legis,
Vita sublimis esto sublatus ab imis,
Sit tibi virtutis ascensus, & iste salutis,
Azpoulo distus, hicq; sacra verba ministrus,
Sic distes vita, vitæ contraria vita.

Iste Frater Iacobus gradu non insignitus Abbatiali, quis fuerit & quando vixerit, in obscurò est, Charactères, & Rythmi sæculum dicunt duodecimum, præcipuè parcendum est ruditali verborum. Verba verò illa abbreviata *Apop: 1. Od.* fortè legenda veniunt: *à populo tempore Oddonis.* Quis autem iste Odo fuerit, non est perspicuum. Ante ambonem à sinistris extat prægrandis columna marmorea, opere mosaico affabrè elaborata, in qua novem candelæ ponebantur.

In hac Ecclesia quatuor dies festos habuit S. Clemens, primo *Festum inventionis*, secundo, *Festum Cathedræ Pontificiæ*, de quibus duobus scribitur in Chronico, quod Leonas Abbas instituit Festum inventionis ejusdem Martyris 3. *Kalendas Januarii*, recolendum, supra scripto Fratre Ioanne Berardi suggerente, atque rogante. Similiter fecit de Festo Cathedræ ejusdem gloriosi Pontificis, ut 10. *Kalendas Februarii celebretur.* Tertio

tio principale Festum *Die 23. Novembris*, & Festū *Translationis Corporis* in Piscariam *Die 27. Maii*, quæ duo ultima Festa celebrantur de præcepto à populo, & in utroque Festo fiunt copiosissimæ nundinæ in eadem Insula, hæc autem nundinæ institutæ fuerunt ab ipso Ludovico Imperatore, ut colligitur ex Diplomatibus ejusdem. Hujus celebritatis documentum est antiquissimus Hymnus in antiquo codice Allannensis Ecclesiæ subjectæ Piscariensi Monasterio in Spiritualibus, antiquior ipso Leonate Abbate, quem hic appono.

HYMNUS

CLementis Festa Celebret Ecclesia,
Laudes persolvat magna cum lætitia
Hac namque die Martyr scandit ardua
Ubi cum Christo fruitur per sæcula
Impetret nobis gaudia cælestia.
Hic Romæ natus, stirpe nitet Regia
Petri Beati secutus vestigia,
Tandem post Petrum summus Præsul claruit,
Et Petri sedem solus ipse meruit
De qua fideles verbum vitæ docuit.
Dilectus erat Iudæis, & Gentibus,

Osten-

Ostendens cunctos ex eorum legibus,
Teneri strictos, & legi obnoxios,
Peccato morti perenni deditos,
Gratiâ Dei mirè satis erutos.
Tunc convertuntur Christo Sacræ Virgines,
Magnatum sponsæ, Deo peramabiles,
Sed Theodoræ sponsus Zelotypia
Cæcus, & surdus factus est continuò.
Sed per Clementem credens, sanus redditur.
His ergo causis invida relatio
Regi Trajano, ejusq; Palatio,
Fit de Clemente à pravis hominibus,
Hinc Cæsar motus mandat suis civibus,
Ut mox Clementem maris darent fluctibus.
Mandatum Regis protinus efficitur,
Trans Pontum ClemensrChersonam deducitur,
Ubi pro Christo damnatis exiliô,
Agno monstrante extitit auxiliô,
Divinô eos satiando poculô.
Aufidianus Dux missus à Cæsare
Præcepit Sanctum demergi in æquore,
Huic Dei virtus dedit habitaculum
In mari, magnum factum est miraculum.
Festo Clementis mare cessit tumidum.

Nam

Nam ſiccum iter populis credentibus
Mare præbebat in multis temporibus.
Sed poſt peccatis noſtris exigentibus
Templum deſtructum extitit à gentibus,
Extunc ceſſavit inſigne miraculum.
Poſtquam Divinæ placuit potentiæ,
Per Conſtantinum Clementis Reliquiæ,
Inventæ, Romam portantur à Præſule
Suſcipiuntur ſedis Apoſtolicæ,
Ibi ponuntur ad momentum temporis.
Sed Ludovicus Cæſar invictiſſimus
Clementis Corpus, Summus Vir Magnificus
Papa donante Inſulâ Piſcariæ
Locavit Sanctum, ſatis honorificè.
Omnes lætemur, Clerici præcipuè
Sit Patri decus, ſit & nato Gloria,
Flamini ſancto pax ſit, & victoria.
Concedat nobis ſpernere terreſtria,
Quo mereamur ſcandere Cæleſtia,
Trinus & unus Rex per cuncta ſæcula. Amen.

Hiſce Feſtis tenentur adeſſe omnes Parochi, & cantare primas veſperas, Miſſam majorem, & ſecundas veſperas, illi inquam Parochi, qui ſunt ſubjecti Monaſterio Piſcarienſi. De his cunctis monumentis concludit

dit

dit doctissimus Abbas Ughellus, dicens: Hæc porta illa ænea, continet rei peractæ pervetustum, ac nobile documentum, quod cum scripta hujus cænobii historia adamussim convenire videtur. Idem scribit Mabillonius *Seculò 6. act: SS. Ord: S. Ben: 1. Pag. 486.* ubi describitur ostium Piscariensis Ecclesiæ æneum, auroq; purissimo incrustatum, quod Ludovici Imperatoris in condendo percelebri isto Monasterio munificentiam repræsentat, simul cum historia Translationis Reliquiarum S. Clementis Papæ, quas ab Adriano II. summo Pontifice impetratas, pius Imperator eo in loco deposuit.

CAPUT XI.

Proponitur Argumentum contra præfatum monumentum

PHilippus Rondininus Faventinus librum impressit Romæ annô 1706. de S. Clemente Papa, ejusq; Basilica Romana, quem nuncupavit Sanctissimo D. N. Clementi XI. in quo Corpus S. Clementis Papæ non tam probabiliter, quàm proterve vindicat Romanæ ejus Basilicæ, ac contra indubitatam hanc Translationē insurgit, arbitratus se præstare obsequium Romanæ, Ecclesiæ,

clesiæ, potius illi injuriam facit, injuriam inquam facit, quia tot Romanorum Pontificum Bullas vilipendit, & nihil facit, injuriam facit S. Clementi Papæ, qui ipsum hoc honore spoliat, quô eum decoravit Ludovicus Imperator, injuriam facit Christianissimis Galliarũ Regibus descendentibus ex Familia Ludovici Regis Franciæ, & Imperatoris piissimi, quia ejus pietatem, & munificentiam, qua majorem Roma in Regibus hucusque non vidit, tollit & extingvit. Servatur enim in Regia Parisiensi Bibliotheca Chronicon Piscariense, pro insigni Regiæ Gallicanæ Pietatis, & liberalitatis monumento. Ita enim ait Muratorius in Præf: ad Chronicon, quod *Codex ille pervetustus à Carolo 8. Francorum Rege, tanti factus est, ea etiam de causa, quod illic frequens laus, & mentio Augusti Fundatoris, aliorumq; Regum Francorum, occurrebat, ut illum secum in Gallias adduxerit, atque in Regiam Parisiensem Bibliothecam invexerit, ubi adhuc veluti pretiosum antiquitatis monumentum asservatur.* Cui dum Rondininus falsitatem tribuit, Regiæ Majestati est injurius. An forte piissimus Rex & Imperator Ludovicus de Romana Ecclesia meritissimus, tantum favorem Romani Pontificis non meruit, ut ab illo obtinere hoc Sacrum Corpus nequiret? Dubitat forte Rondininus hoc
non

non potuisse fieri propter Ludovicum Cæsarem; quod solebat, & solet fieri propter aliquem Principem? Si ergo Romani Pontifices tot insignium Sanctorum distribuerunt corpora Regibus, & Principibus, cur Ludovicus Imperator non potuit obtinere Corpus S. Clementis Papæ, cum esset simul Rex Galliarum, & Imperator? summæ ergo, temeritatis est, id negare, quod ultro concedendum est.

Obiicit ille imprimis falsitatem Chronographo Piscariensi, Ioanni Berardo, quod asserat Ludovicum reversum ex Aprutio, ab Adriano II. Pontifice, Imperiali laurea in Capitolio fuisse coronatum, quia Ludovicus à Sergio secundo Papa coronatus est, ut testantur scriptores, non autem ab Adriano.

℞ Rondininus falsò imponit Berardò, nam Berardus ultrò, libenterq; concedit Ludovicum à Sergio coronaum fuisse in Imperatorem, ita enim dicit libro 1. Chronici. *Pag: 773. Lothariò quoque Imperante, Primogenitus ejus filius Ludovicus nomine, Regnavit Italiæ, quem Sergius Papa in Imperatorem Augustum coronavit.* Hæc ille. Ab Adriano vero Papa coronatus fuit non in Imperatorem, sed pro triumpho. Ita enim ait Pag. 778. *Romamq; reversus* (Ludovicus) *Imperiali laurea pro triumpho à Domino Papa Adri-*

ano, & omni populo, & Senatu Romano in capitolio est coronatus. Hæc ille. Aliud ergo est coronari in Imperatorem, & aliud coronari Imperiali laurea pro Triumpho, quia Romani Imperatores in signum reportatæ victoriæ, lauru coronabantur in Capitolio. Non bene ergo perspectum habuit Chronicon Berardi Rondininus, qui illi hanc inscitiam tribuit.

At ille nihilominus non capit, quomodo legatur totum Corpus accepisse Imperator, cum illud jam mutilum, sine capite, & brachio allatum fuerat Romam. Hæc tamen totalitas non est intelligenda de totalitate integrali Corporis, sed de totalitate partium repertarũ, quia Adrianus totum dedit Corpus Cæsari, sicut totũ accepit à B. Cyrillo, id est, totum dedit, inquantum de illo, quod sibi allatum fuit, nihil diminuit, neque sibi aliquid notabile reliquit, dico notabile, quia aliquas particulas credibile est, dedisse Basilicæ Romanæ S. Clementis, quæ hucusque in brachio argenteo exponuntur.

Instat nihilominus ille, notans verba illa Berardi dicentis, quod Imperator traxerat singula ossa S. Clementis, & involvit illa in pretioso pallio: Temerarium autem esse, tangere SS. Ossa ex S. Gregorio magno probat *lib. 3. Epostola 30.* ad Augustam Imperatricem scribente:

bente:

bente: *Quomodo ergo*, inquit, *Ludovicus tangere potuit Ossa S. Clementis, cum S. Gregorius existimavit se indignum, non solum tangere, verum nec inspicere illa.*

℞ Quæro tamen Corpus S. Clementis fuitne dignius, & Sanctius Sanctissimo Christi Domini corpore, vel non fuit? Si non fuit, quod concedendum est ab omnibus, cur Ludovicus Cæsar ejus ossa manibus tangére, & in pallio suo involvere non potuit, cum Iosephus ab Arimathæa, & Nicodemus poterant tangere Christi Corpus, illud de Cruce deponere suis manibûs, & involvere in syndone munda, & condere in monumento novo; si illi non fuerunt temerarii, licèt nec Sacerdotes, nec Reges essent, cur Ludovicus Cæsar piissimus, cum esset Rex, & Imperator, scilicet unctus, temeritatis notâ arguitur? An forte Christi fideles fuerunt omnes Pontifices, & Sacerdotes, qui cæsa Martyrum Corpora propriis manibus sepeliebant, an ideo erunt temerarii? Porro Reges à tempore Christi non unguntur in capite, sed in brachio, seu humero in quibus Principatus congruè designatur, ut ait Durandus de Ratione Divini officii Cap. 8. juxta illud. *Factus est Principatus super humerum ejus.* Cum autem S. Remigius Clodoveum in Regem Franciæ ungeret, columba de Cælo detulit ampulam Olei, quo eum unxit.

 Quæ

Quæ etiamnũm Rhemis aſſervatur. Indeq; Reges Franciæ uncti à Deo, nanciſcuntur facultatem curandi Strumas, ut aſſerunt rerum Gallicarum Scriptores, & teſtantur, qui præſentes fuerunt. Dicit Cornelius à lapide *in* 1. *Reg. Cap.* 10. ℣ 1. Si ergo Reges Galliarum adeo præclaro, & ſingulari privilegio noſcuntur uncti, & Diaconi officiô funguntur coram ſummo Pontifice, cur Ludovico Regi, & Cæſari illicitum eſſet maximè in præſentia Adriani Papæ, & fortè ejus licentiâ, & permiſſione oſſa S. Clementis involvere in ſuo Regio pallio. S. verò Gregorium, quod attinet, dicimus, illum non auſũ fuiſſe Sacras Reliquias tangere præ nimia ſua humilitate, & ad demonſtrandum earundem reverentiam, nec tamen ideo temerarii putandi ſunt alii Pontifices, præcipuè Sanctiſſimus D. Benedictus XIII. qui multorum Sanctorum Corpora, ſingulariter S. Bartholomæi Apoſtoli invenit, propriis manibus populo demonſtravit, humeris ſuis geſtavit, & honorificentiùs recondidit, & exornavit.

Inſurgit ille contra monumenta Eccleſiæ Piſcarienſis, dicitq; Pag. 184. Si quæ tamen ante Leonatem his antiquiora ſuperſunt monumenta, quæ S. Clementis ibi exiſtentiam ſvadeant, ut fortè eſt prope altare ſepulchralis inſcriptio, quum S. Clementis tantum, vel S. Clementis Martyris, nunquam verò Pon-

tificis

tificis memoriam præferant, nedum incontrarium non urgent, quin potius præmissa confirmant.

At nemo non videt, quam ineptè locutus sit Rondininus, in primo enim versu Martyr appellatur Clemens, Martyris ossa jacent, hàc tumba Sacra Clementis. In altero verò versu exprimitur etiam Pontifex, cum dicitur: *Hic Pauli decus est, & Petri jura tenentis*. Quid est enim Petri jura tenere, nisi esse summum Pontificem, Petri successorem. Non alterius ergo Clementis Ossa ibi jacent, nisi ejus, qui fuit Pauli decus, cujus ipsemet Paulus meminit, & Petri jura tenebat: is autem non alius dicendus est, nisi S. Martyr & Pontifex hujus nominis primus Clemens. Hocnè monumentum, Pontificis nomen non præfert? Quid autem interest, alia monumenta apposita fuisse à Leonate Abbate, suggerente, aut potius pio zelô curante honorem S. Clementis, Ioanne Berardo? Tantum enim abest, ut suspicari absit, hæc fuisse conficta, cum ex indubitata traditione perspectum Abbati fuerat, S. Clementis ibidem fuisse reconditum Corpus.



CAPUT XII.

Testimoniis Scriptorum comprobatur existentia Corporis S. Clementis Papæ in Imperiali Monasterio Piscariensi.

SAnctissimus D. N. Benedictus XIV. Sapientissimus & eruditissimus Pontifex *lib. 4. de Canonizatione SS. Parte 2. Cap. 13. numero 8.* his aureis verbis differit. Etsi in lectionibus, quæ recitantur die Festo S. Clementis Papæ & Martyris habeatur, ejus Corpus Romam translatũ, Nicolao 1. Pontifice, in ipsius S. Clementis Ecclesia conditũ fuisse, de hac tamen re disputari impunè permittitur. Hæc ille. At si hoc Sacrũ Corpus certo constaret extare Romæ, inventũq; fuisset à Benedicto XIII. non permitteretur impune de illo disputari, igitur solo veritatis amore ductus, hanc disputationem, impunè suscipio, ut præcipua Rondinini refellam argumenta. Non enim obest Breviarium Romanum & Authores, in quibus legitur, Sacrum Corpus Romæ reconditum fuisse; hoc enim dicit Breviarium, & omnes Authores, quod nos libenter concedimus, quia admittimus, à SS. Cyrillo, & Methodio Romam allatum fu-

isse

isse S. Clementis Corpus, & hoc solum dicit Breviariū, quod factum fuerat, non tamen Breviarium dicit, quod hucusque Romæ reperiatur, neque etiam negat, translatum fuisse Româ. Nam cum annô 1725. Die 22. *Ianuarii* Eminentissimus Cardinalis Albanus, vigilantissimus & piissimus cultor S. Clementis, ad Basilicam suam S. Clementis accessisset, ac omnem movisset lapidem, diruto tandem altari majori, sub quo hucusque credebatur reconditum fuisse Corpus S. Clementis, nihil tamen amplius invenit, præter ossa S. Flavii Clementis Exconsulis, & Martyris. Unde P. Edmundus de Witry Soc. IESU in Tumulo illustrato ejusdem Flavii Clementis *Pag.* 35. dicit: *sunt etiam qui dubitent, an unquam ejus Corpus Romam sit delatum,* quod postremum dum probare conatus est Philipphus Rondininus, nondum tamen perfecit, ut hominibus, quales hodie vivunt, paulò magis difficilibus, ac morosis, omnes dubitandi causas amoveret. & Pag. 52 dicit: *eodem fortassè errore contigit, ut Ossa Titi Flavii Clementis in Basilicam S. Clementis Papæ, & Martyris translata sint* Hæc ille. Duo enim fuerunt motiva attribuendi Corporis S. Clementis Romanæ Basilicæ. Unum fuit Corpus Flavii Clementis à S. Leone Papa conditum in hac Basilica, aliud fuit, depositio Corpo-

ris

ris S. Clemẽntis Papæ licèt ad modicum tempus in eadem ſua Baſilica, unde etiam tranſlato in Piſcariam Corpore S. Clementis Papæ, occaſionem ſuſpicandi illud non fuiſſe tranſlatum, dedit Corpus Flavii Clementis ſub majori ara conditum, & hucuſque ignotum. Providentiâ ergo Divina factum eſt, ut apertô tumulo, & Flavii Clementis Corpus Romæ incognitum revelaretur, & Corpus S. Clementis Papæ in Piſcaria cõprobaretur. Secus, aut Romani ſepultum Romæ Corpus S. Clementis Papæ reddant conſpicuum, aut nobiſcum illud colant, & agnoſcant in Piſcaria.

Chriſtianus Lupus *in Tertulianum Pag. 522. ait:* Palam facit antiquum Chronicon Piſcarienſis Monaſterii, hoc enim habuit Corpus S. Clementis, & hujus antiquiſſima theca habebat aureis literis inſcriptum: *Hic jacet S. Clemens. Petri Diſcipulus, & à Petro Papa ſecundus, qui juſſu Trajani Imperatoris, anchorâ ad ejus collum ligatâ, fuit in Pelago merſus.* Cum S. Optato, & Auguſtino iſta inſcriptio affirmat Clementem ſucceſſiſſe Lino.

Ioannes Baptiſta Cotelerius, Socius Sorbonicus, ait *in notis Conſtitutionum Apoſtolicarum Pag. 301.* Clementem primum fuiſſe Petri Succeſſorem, & ſecundum ab eo Pontificem; juxta titulum ſepulchralem, qui extat

tat *in Chronico Casauriensi ad annum* 1103.

V. C. Bollandiani *Tomo 6. Actorum SS. Maii Pag. 658. Col 2. scribunt*: S. Clementis Papæ, & Martyris Translatio in Monasterium Piscariense facta à Ludovico Iuniore, tempore Adriani Papæ secundi, ad quem annô 868. totum ejus Corpus è Chersoneso Romam detulerat S. Cyrillus, ibidem annuè celebratur hac die 27. Maii, quod deinde Alexander Papa III. confirmavit per breve, nobis ex Chronico illius Monasterii communicatum. Crediderim partem valdè notabilem concessam Imperatori, Monasterium prædictũ in ejus honorem, & nomen fundaturo; potiorem tamen partem reservatam Romæ. *Hæc illi.* Potiorem partem Romæ putant reservatam, re non dum benè discussa, quia hæc scripserunt, antequam aperiretur tumulus Basilicæ S. Clementis, in quo nec partem, sed nè ejusdem ullum fragmentum reperit Eminentissimus Cardinalis Albanus, rogavitq; Abbatem Piscariensem, sibi donari aliquam particulam insignem, eandemq; cũ Piscariensibus sententiam tenuit.

Bailetius Gallus, accuratissimus scriptor Auctorum SS. *ad diem 23. Novembris Pag. 378.* cujus verba Gallica latinè reddita refero: Adrianus II. Papa donô dedit S. Clementis Corpus Imperaori Ludovico ju-

niori, poſtquam ipſum coronâ redimiſſet Romæ die Pentecoſtes, annô 872. Hic Princeps illud repoſuit in novo Monaſterio, quod juſſerat conſtrui Piſcariæ, ubi inſtitutum eſt annuum Feſtum ejus Tranſlationis ad 27. Maii, in Eccleſia nomini S. Clementis ſacrata. Quod poſtea confirmatum fuit ab Alexandro III. Quidquid tamen dixerint Monachi Piſcarienſes, Romani ſemper contendêre ſibi hujuſcè Sancti ablatum non fuiſſe Corpus.

Lucas Dacherius Abbas *in præfatione ad Chronicon ait:* Chronicon hoccè noſtrum docebit te lector, ſi neſcias, Corpus S. Clementis Papæ, & Martyris in Piſcarienſi Monaſterio, quod S. Clementis nomine inſignitur, aſſervari, & coli. Siquidem ab Adriano II. S.P. Ludovico Imperatori, ejuſdem Abbatiæ Fundatori, Sanctiſſimum Corpus illud conceſſum, in Cænobium Piſcarienſe tranſlatum eſt, atque inibi reconditum, hucuſque perſeverat

Ioannes Mabillonius *Congregationis S. Mauri* Benedictinus Gallus, Clariſſimus Scriptor addit lucem veritati noſtræ *Tomo 3. annalium Benedic: Pag. 132.* dicens: Iacta ſunt hoc annô 866. fundamenta Caſaurienſis Monaſterii, quô nullum ferè in tota Italia olim illuſtrius inchoata igitur hoc annô Baſilica, atque in honorem

rem Sanctissimæ Trinitatis primitus consecrata, quæ paulò post etiam S. Clementis dicta est, ob translatas isthuc hujus Sancti Martyris Reliquias.

Franciscus Pagius *Ordinis Minorum Conventualium in Breviario Romanorum Pontificum, ac in Critica Baroniana, scribit:* Ejus [*Clementis*] Corpus sedente Adriano II. Romam translatum est, & deinde petente Ludovico Augusto hujus nominis secundo, ad Monasterium Casæ Aureæ, ab ipso fundatum in Insula Piscaria, ad Benacum lacum, hodie in ditione Venetorum asportatum, eodem Adriano annuente. *Hæc ille.* Notat tamen ipsum Gvilhelmus Bibliothecarius Vaticanus *in notis ad Anastasium Bibliothecarium*, dicens, Piscariensem Insulam in lacu Benacensi ditionis venetæ Pagius obtrudit, nobis conterraneis ignotam, pro Piscaria Insula Casauriensi, ad Aternum fluvium in Aprutio citeriore, Provinciæ Regni Neapolitani, cúm quo de translatis lypsanis S. Clementis Papæ, & Martyris lis est inter Authores expensos à Rondinino.

Antonius Muratorius *in Præfat: ad Chronicon Piscariense*, ait: Casauriense Benedictinorum Monasteriū, Piscariense quoque & Sanctissimæ Trinitatis appellatū, situm est in Insula Aprutii ulterioris ad fluvium Aternū. sive Piscariam. Debet autem Casauriense cænobium

 non

non sua solùm fundamenta, sed & ornamenta singularia, ditissimamq; dotem Ludovico II. Imperaaori, qui annô 866. amplissimis Privilegiis dotavit, atque insuper S. Clementis Papæ, & Martyris Corpus illuc intulit, unde Monasterium S. Clementis postea appellatum est.

Neque obest argumentum negativum, quod obiicit nobis Rondininus, nempe silentium aliorum antiquiorum Scriptorum, quia neque Leo Ostiensis, neque Paulus Regius, nec alii scriptores de Regno Neapolitano bene meriti ullam mentionem hujus translationis fecerunt. Non inquam obest, quia ut eruditè docet Edmundus de *Vitry* in Tumulo S. Flavii Clementis *Pag.* 36. neque enim res ejusmodi certis documentis, Scriptorum veterum authoritate nixis & quasi consignatis tabulis probari, aut possunt, aut debent. Equidem nō modo Ecclesiæ Romanæ, quæ omnium Ecclesiarum Mater, & Magistra est, fidem pluris facio, quàm cætera omnia, sed etiam Ecclesiæ cujuslibet sententiam à majoribus profectam argumentis, ut ajunt negantibus, facilè antepono. Hæc ille. Maximè, quia argumenta negativa non concludunt, cùm adsunt argumenta positiva.



CA-

CAPUT XIII.

De Inventione Corporis S. Clementis PAPÆ in Piſcarienſi Abbatia

INventionem Corporis S. Clementis ſinceris verbis Chronographi deſcribimus. Mortuo, autem Sanctæ recordationis Urbano Papâ, Paſchalis ſede locatus Pontificali, meruit Infulâ decorari, qui mittens unum de Cardinalibus ſuis Auguſtinum nomine, vicè Legati, præcepit, ut Ottonem Comitem, qui propria, ac legitima uxore relicta, & ea vivente, ſibi alteram duxerat, Rogatam videlicet uxorem defuncti Malmazetti, excõmunicaret. Qui Legatus ad Inſulam Piſcarienſem, in qua Monaſterium S. Clementis eſt, devenit, ibique maximo cum honore ſuſceptus, juxta præceptum Domini Papæ prædictum Ottonem excommunicatum, ad ſatisfactionem provocans, pænitentem recepit, Eccleſiæ reddidit. Hic dum familiariter in Monaſterio cum Abbate, & Fratribus maneret, & de ſtatu Eccleſiæ, & Reliquiis, quæ in eo continebantur, requireret, audivit Corpus B. Clementis ibi tumulatum jacere, ſed ad

hoc

hoc credendum nulla potuit ratione provocari, donec Abbas ei promisit, quia ostensione ejusdem Sacrosancti Corporis ipse dubius dubio faceret fidem dictis. Adveniente itaque B. Clementis Festivitate, & eodem Cardinali præsente, solemniter ut moris est, celebrata, venit nox, Fratresq;, sicut mos est, post completoriū, petiêre cubicula, & Abbas duos de Fratribus, & duos de Famulis suis, de quorum fide, & Religione minimè dubitabat; in Ecclesia latenter jussit manere, donec in media nocte, accensis luminibus, & obseratis portis firmiter super se, datis sibi ferramentis, frangerent tumbam, quæ erat post altare, & diligenter inquirerent, donec invenirent, quod sufficeret, & incredulitati Cardinalis, & multorum dubitationi. Qui parentes mandatis, fregerunt tumbam, & invenientes vacuam, timuerunt supervacaneum esse laborem suum, & fallacem assertionem Monachorum. Tandem animati, ruperunt Pavimentum, ibiq; nihil invenientes fregerunt secundum, & facto foramine, tanto subito repleti sunt odore, ut putarent se in Paradyso Dei astare, tantusq; sonitus auditus est ex percussione secundi, ut videretur illis, qui præsentes aderant ibi, corruisse totum monasterium fractis parietibus cunctis. Cum autem tremefacti instarent labori, & avide contemplari thecam cæ-

lestis

lestis thesauri, invenerunt subito, quod desiderabant, pretiosum Corpus venerabilis Martyris Christi, & Romani Pontificis S. Clementis in vase alabastri, in quo illud posuerat cautela, & providentia venerandæ memoriæ Imperatoris Ludovici. Quod videntes vas tangere nō fuerunt ausi, sed statim nunciaverunt Abbati, quæ viderant, quæ audierant, quæ invenerant, & quæ contigerant illis. Qui excitatus à somno confestim surrexit de stratu suo, & convocatis Fratribus, & Cardinali cum timore, & reverentia, accesserunt ad locum, & facta primitus oratione cum singultu, & lacrymis aperuerunt thecam thesauri, & invenerunt titulum aureis literis scriptum:

Hic jacet S, Clemens, Petri Discipulus, & à Petro Papa secundus, qui jussu Trajani Imperatoris, anchorâ ad ejus collum ligatâ, fuit in Pelago mersus.

QUem titulum cum legeret Cardinalis, ejus facies illico est perfusa ubertim profluentibus lacrymis, & procedens ad cæteras, cum procertè cognovisset, quod ibi S. Clemens jaceret, in laudes prosilivit

ſilivit, incipiens: *Te Deum laudamus:* quod Fratres cum jubilo cantaverunt, & ad finem uſque exultantibus Angelis, & præſentibus Martyribus Sanctis, ipſum *Te Deum laudamus,* modulizando perduxerunt. Quod factum vicinos latere non poterat, ſed ad hoc ſpectaculum omnis ſexus concurrit, & tanta fuit hominum multitudo, ut arenæ maris poſſet æquari. Cùm autem coram cunctis ſingillatim membra B. Viri inventa fuiſſent, nec unum de oſſe deficeret, invenerunt etiam de Carne B. Petri, & unum de dentibus B. Pauli, titulum etiam ad confirmandam veritatem ſcriptum ſimilibus literis: *Hic dens eſt de dentibus S. Pauli, qui fuit raptus uſque ad tertium Cælum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Caro verò B. Petri ita mollis effecta erat, quaſi lana munda, & quando conſtrinxit eam Cardinalis cum manu dextera, videbatur ſibi quaſi nihil eſſet in palma, quando aperiebatur ipſa manus, Caro revertebatur ad quantitatem, quam habuerat antea, Videns autem Cardinalis magna mirabilia Dei, credidit, quod prius non credebat eſſe videlicet ibi B. Clementem corporaliter, & in virtute ſpiritualiter, & remeans retulit, quæ viderat ſummo Pontifici, Domino videlicet Papæ Paſchali, & omnibus Cõcardinalibus ſuis qui unanimiter reddiderunt gratias Sal-

vatori

vatori, qui non fruſtratus fuerat Italiam Romano Pontifice S. ſcilicet Clemente, Reverendo Martyre. Facta eſt igitur hæc oſtenſio pretioſiſſimi Corporis glorioſi Pontificis, & Martyris Chriſti Clementis poſt Feſtum ejuſdem altera die, ideſt 8 *Kalendas Decembris*, Annô *Dominicæ Incarnationis* 1104. Indictione 13 à Conditione verò Monaſterii Caſaurienſis --[*Hac lacuna ſtabat in MSS.*] Contra hanc Inventionem opponit Rondininus plura, primo, dicit fictitium eſſe hunc Cardinalem Auguſtinum, ita enim ait; *Pag. 114* Quibus accedit, Cardinalem hunc Auguſtinum nomine, qui circa Paſchalis II. tempora vixerat in Eccleſiaſticis tabulis nõ reperiri.

At his verbis ſe prodidit Rondininus inſcium, & minus verſatum in Eccleſiaſticis tabulis, docebimus ergo illum, hunc Cardinalem extare in Eccleſiaſticis monumentis, adeoq; volens, nolens, hanc inventionem veram eſſe fateatur, neceſſe eſt. Nam in codice Regio MSS. hæc ad marginem hujus Inventionis adnotantur verba: Erat Cardinalis Tituli SS. quatuor Coronatorũ, ut patet ex veteri chartulario Eccleſiæ Auguſtodunenſis *Pag.* 4 *in Appendice Reginonis Pag.* 652. Appendicis hujus Authorem Romerium aſſerit Gerardus Woſſius. Iſtud autem opus Adalberoni Metenſi Epiſcopo

Rhegino nuncupavit, qui vixit circa annum 919. aut ſupra, ut docet Natalis Alexander *Tomo 6. Pag.* 246. In appendice Rheginonis Abbatis Prumienſis, poſt duos libros de Eccleſiaſticis diſciplinis actorum veterum *numero 21. Pag.* 652. ex veteri chartulario Eccleſiæ Auguſtodunenſis extant Epiſtolæ Paſchalis II. Papæ ſubſcriptæ manu hujus Cardinalis Auguſtini, quas Stephanus Baluzius primus vulgavit Pariſiis annò 1621. in appendice actorum veterum *Pag. 651.* & illam uti genuinam Paſchalis Epiſtolam agnovit Nicolaus Coleti S. Moyſis Venetiarum alumnus, in illa celebri Conciliorum Labbæi nova editione, & in lucem emiſit annô 1733. addiditq; ad marginem: Ex MSS. D. Herovalli hæc, & ſequens Epiſtola, ſubiicitq; aliam Epiſtolam Paſchalis II. ad Stephanum Epiſcopum Auguſtodunenſem, quæ incipit: *Iuſtis votis aſſenſum præbere.* Hanc ergo Epiſtolam ſubſcriptam Auguſtini Cardinalis ngmine ſinceram, & integram hic neceſſario appono.



PA-

PASCHALIS II. EPISTOLA.

Ad Norigaudum Episcopū Augustodunensē, Ex veteri Chartulario Ecclesiæ Augustodunensis.

PASCHALIS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto Fratri, Norigaudo Episcopo, ejusq; successoribus Canonicè substituendis in perpetuum.

QUoniam Divini dispensatione Iudicii ad hujus officii gradum licèt indigni, promoti sumus, ut Apostolorum Principis vices in Ecclesiæ Regimine teneamus, elaborandum nobis est, & annitendū omnino, ut in constituendis Ecclesiasticis negotiis. ejus monita, ac institutiones devotione fidelissima, & fide devotissima imitemur. Cujus fides præcipua, & dilectio spectata Deo extitit, adeò ut in ejus singulariter fidei stabilitate immobili, pretioso sangvine suo redemptam suam Dei Filius statuere, & cōfirmare voluerit Ecclesi-

am, dicens: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Cui etiam tantam potestatis prærogativam concessit, ut ejus arbitrio in Cælo, & in terra vel liganda solverentur, vel solvenda ligarentur, quam potestatis suæ successionem ipse Beato Clementi, & per eum omnibus concessit, qui ejus sedi justè præsidere, & Ecclesiam Dei Canonica studuerint ordinatione disponere. Cujus nos Fidei authoritate muniti, Tibi dilecte Frater Norigaude, omnibusq; tibi Canonicè successuris, confirmamus omnia, quæ ad Eduensem Ecclesiam, in qua Te Canonicè credimus ordinatum, pertinere videntur, etiam in Ecclesiis, Parochiis, Cemeteriis, Præsbyteris, cunctisq; Ecclesiasticis ordinibus, quam etiam prædiis, aliisq, omnibus possessionibus mobilibus, & immobilibus, quæ acquisita sunt, vel juste acquiri poterunt, ut hæc omnia Tibi, Tuisq; Successoribus ita liberè possidere liceat, sicut antecessor Tuus in uno die ante obitum suum quietè, ac juste possedisse probatur. Illud autem ea authoritate statuimus, ut nulli Præsbytero vel viventi, vel morienti, seu ad aliam Religionem, vel ad quietam vitam transeunti liceat res, quas à die ordinationis suæ in Ecclesia, in qua est ordinatus conquirere poterit, auferre, vel minuere, sed intacta ea, & illibata in ipsa, in qua

con-

conquiſita ſunt, permittat Eccleſia remanere. Illos etiam, qui à vobis excommunicati, vel ab officiis Divinis pro ſuis fuerint exceſſibus remoti, ne aliquis in communionem recipere, vel in officiis præſumat reſtituere, eadem authoritate prohibemus. ſtatuimus quoque, ut pro ſepulturæ quidem locô vel ſpatio nullum penitus ab aliquo pretium exigatur. Pro redemptione verò peccatorum, morientes in Eccleſia, in qua Fidei Sacramenta acceperunt, eleemoſynam dare ſecundùm Apoſtolica decreta Matrici Eccleſiæ partem relinquat. Si quæ autem Eccleſiaſtica, ſæcularíſve Perſona contra hanc noſtræ conſtitutionis paginam præſumptuoſè venire tentaverit, hujuſmodi ut ſacrilegii rerũ à liminibus Sanctæ Eccleſiæ arcendum judicamus, & confirmamus, cunctis Dei autẽ eidẽ Eccleſiæ juſta ſervantibus, ſit Pax Domini noſtri IESU CHRISTI, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud bonorum Retributorem Præmia æternæ Pacis inveniant. Amen, Amen.

Scriptum per manum Ioannis ſcriniarii Sacri Lateranenſis Palatii.

EGO PASCHALIS EPISCOPUS Catholicæ Eccleſiæ ſubſcripſi.

Ego Walterius *indignus Albanenſis Eccleſiæ ſubſcripſi.*

EGO

Ego Albertus *Cardinalis Tituli S. Sabinæ subscripsi.*
Ego Bernardus *indignus Cardinalis Tituli S. Chrisogoni subscripsi.*
Ego Albericus *Dei gratiâ humilis Præsbyter Tituli Apostolorum ad Vincula roborando subscripsi.*
EGO AUGUSTINUS indignus Cardinalis de Titulo Sanctorum quatuor Coronatorum subscripsi.

Datum Laterani per manum Leonis scriptoris, 18. Kalendas Maii. Indictione 8. Anno Dominicæ Incarnationis 1100. Pontificatûs autem Domini Paschalis II. Papæ primò.

En igitur Cardinalem Augustinum Tituli Sanctorum quatuor Coronatorum non fictitium, sed verum extare in Ecclesiasticis tabulis, qui tribus annis prius quam invenisset Corpus S. Clementis, hanc Epistolam Paschalis II. subscripsit, quia annô 1100. Indictione octava subscripsit illam, annô verò 1104. Indictione decima tertia, non indictione decima, ut mendose asserit Rondininus, invenit Corpus S. Clementis in Piscaria. Inventum S. Clementis Corpus in Piscaria fuit per Cardinalem Augustinum, minime verò inventum fuit Romæ, sed aliud, Corpus S. Flavii Clementis ergo ad evidentiam convictus Rondininus, seu ejus opinionem tenen-

tenentes, aut vinctas manus dent nobis oportet, aut illud sacrum Corpus ostendant nobis Romæ. Nam hàc ipsa opinione, quam habuit de Piscariensibus, ipsemet laborabat, conabatur enim probare Corpus S. Clementis extare Romæ, quod tamen fuit alterius Clementis Martyris

Firmari potest hæc veritas clamore Monachorum Piscariensium ad Cardinalem Augustinum eodem annò 1104 *ex M S S. Regio:* Domine Sancte, Augustine Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Ecclesia S. Clementis Insulana Sanctissimis auribus vestris clamorem facit, atque à te Benignissimo Patre, quemadmodum à Domino nostro Apostolico justitiam expectat. Unde præcamur Majestatem Domini Cardinalis ex Parte Omnipotentis Dei, & B. V. Mariæ, & B. Clementis, ut sicut nos terrenis Dominis subjugavit, ita pro Cælestis Regis amore, à tantorum potestate nos liberet, ut melius possimus servire Domino & B. Clementi, & vestros Sanctissimos, Beate Cardinalis pedes osculamur.

Hoc comprobat maturo judicio Mabillonius *Tomo 5. annal: S. Benedicti* dicens: Per id tempus, cum Augustinus Cardinalis & Apostolicæ sedis Legatus, ad Casauriense Monasterium divertisset, dubitaretq;, an Corpus S. Clementis Papæ, & Martyris, illic haberetur

tur, ad removendam ejus ſuſpicionem, Grimoaldus Abbas effoſsâ humô, ubi Sacrum Corpus jacebat, illud reperit in vaſe alabaſtri, in quo tempore Ludovici II. Imperatoris repoſitum fuerat, tum reſerata thecâ, repertus eſt titulus, qui de exiſtentia Corporis S. Clementis faciebat Fidem, & omnem Cardinali dubitationem abſtulit. Id factum *VIII. Kalendas Decembris annò 1104.*

Opponit *2do* Rondininus, quod in titulo illo ſepulchrali legatur, quod S. Clemens fuerit à Petro Papa ſecundus

At hæc fuit ſententia S. Optati Milevitani, S Auguſtini, & eſt virorum aliquorum eruditorum, qui hanc tuentur ſententiam.

Opponit *3tio.* In hiſtoria inventionis legitur, quod Cardinalis ille invenit & de Carne B. Petri, quæ mollis effecta eſt, ſicut lana munda, at Corpus S. Petri reſolutum fuit in Oſſa, quæ S. Sylveſter dinumeravit annô 319. Ergo ſaltem quo ad hanc partem Chronographus non eſt verus.

Verum Adrianus Papa non dedit Ludovico de Carne Apoſtoli Petri, Sic enim legitur *lib. 1 Chronici Pag 780.* Inſuper & addo Reliquias Apoſtolorum Petri, & Pauli, ut in omnibus lætificetur mens Imperatoris

ratoris

ratoris: illa tamen Reliquia Apoſtoli Petri, miraculoſè apparuit tunc ſub ſpecie carnis, quod quidem incredibile non eſt, quia SS. Laurentii, & Ianuarii Sangvis emortuus eſt, & tamen die illorum Martyrii miraculoſè ebullit. Cor S. Auguſtini eſt emortuum, & tamen in Feſto Sanctiſſimæ Trinitatis dum ponitur in Tractatu de Trinitate, S. Auguſtini, palpitat tanquam vivum. Unde & Reliquia B. Petri tunc potuit miraculoſo modô ſpeciem carnis præferre, additur enim ibidem: Vivens autem Cardinalis magna mirabilia Dei, at certè niſi illa particula repræſentaretur, ut caro, nullum miraculum factum ibi legitur, quæ apparitio defacto dici poteſt magnum miraculum. vel etiam dixerim aliquam putredinem adhærentem Oſſi B. Petri jacenti in loco humido, potuiſſe apparere, ut lana mollis, & à Chronographo dici Caro. Quidquid tamen ſit, unum factum particulare non tollit factum principale, nec aliqua modica circumſtantia minuit veritatem facti.



CAPUT XIV.

Miraculis, Apparitionibus, & gratiis cõprobatur Corpus S. Clementis P. & M. extare in Piſcarienſi Baſilica.

Miraculum Imum.

ANnô 1033. Gvidoni Abbati diabolus invidens, quosdam nefarios ſuæ crudelitatis Miniſtros, videlicet habitatores S. Valentini, contra eundem S. Virum armavit, & campum, qui proprius B. Clementis erat, & ad jus ejuſdem Eccleſiæ pertinebat, invadere fecit. Unde ſæpiſſimè Vir ſummè manſvetudinis anguſtiatus, Baronum turbam, & indigenarum aggregavit, quorum teſtimonio cùm præfati nequiſſimi acquieſcere nollent, tandem ſententia prolata judicio, quod ipſi denegabant, & iſti affirmare volebant, pugnâ, terminari judicavit, ut qui victus eſſet, campum ammitteret. Hanc enim rationem Valentiniani videbantur habere, quia Piſcaria antiquos curſus nota erat prætermiſiſſe, & id circo affirmabant, quidquid intra eam, & Caſtellum continebatur, haberi de eorum

poſſeſ-

possessione. Venit dies, in qua multitudo Baronum, & plebis coadunari debebat, cui omnes uno ore affirmabant Abbatem injustè niti & agrum esse de pertinentiis S. Valentini. Quid plura? B. Vir Gvido, cujus spes tota erat in Domino, suos jussit insistere orationi, & pridie, antequam pugna debebat fieri, solus media nocte egressus de Monasterio comitante eum, qui semper justis præsto est, Spiritu S, venit ad fluvium, & alta voce dixit ad eum *Adjuro te per nomen Domini nostri IESV CHRISTI, & per virtutem Beatissimi Clementis Præsulis, & Martyris, ut sequens me, ad priorem cursum revertaris, & campum deseras, quem malignantibus non tua sponte, sed instinctu diaboli legasti.* Et ostendens signum baculô, quem manu gestabat, quo eum fluere juberet, tam diu secutus est S. Viri vestigia, donec campum dimitteret S Clementi, & ad locum antiquum teverteretur. Per quem cum magno impetu ad mare tendebat flumen, quod vocatur *Piscaria.* Mane facto, cum omnes ad pugnam parati venirent, ut victori laudibus, vel victo, sicut mos populi, contumeliis insultarent; cum viderent campum ex parte terræ S Clementis liberum remansisse, & fluvium per antiquos cursus ad mare tendere cognoverunt non humanæ virtutis, sed Divini judicii miraculũ

esse, omnes in fletum proruperunt, & ad pedes Abbatis ceciderunt, dicentes una voce: *Nunc cognovimus Sanctissime Pater, quia in te habitat Spiritus S. qui per Prophetam loquitur* [Isaiæ 6. ℣ 2] *super quem requiescam, nisi super humilem, & quietum, & trementē verba mea.* Vere tu in Cælis habitas, licèt in terris videatur conversatio tua, non volebas, quod pro te humanus sangvis effunderetur, magis petiisti, ut B. Clemens, quod sui juris est, in aquis operaretur, In aquis marinis habuit templum, Piscariæ flumini præcepit, ut reverteretur ad antiquum cursum. Per hoc cognoscimus, quia D. DEUS habitat tecum, cognoscimus reatum nostrum, petimus indulgentiam, habes in potestate tua, si velis extingvere vitam nostram, subdimus tibi, quæcunque possidemus, ne velis à nobis elongare misercordiam tuam. Vir autem Domini Gvido pronus ad pietatem, ut vidit lacrymas, accepit misericorditer eorum petitionem, illos admonens, ne in terris S. Clementis aliquam ullo tempore facerent invasionem, quia non erat mortuus, imò vivebat cum Christo, qui pro Christo gaudenter susceperat mortem. *Hanc noxam,* inquit, *vobis condonet Omnipotens Deus, & custodiat vos, ne cadatis in pejus, quia illi malignando adhæsitis, qui nunquam de vobis fuerit, nisi vos integros hauriat, satiatus*

Mors

Mors Gvidonis Abbatis in Die S. Clementis

Gvido Abbas advocatis Fratribus, quo die, & quâ hora moreretur eis innotuit dicens: *Ego Fratres & Filii charissimi, sicut mihi ostensum est, viam ingrediar universæ carnis, commendo vobis transitum meum, ex hac vita egrediar in die, quâ celebrabiur Festivitas S Clementis, in ea hora, quâ in Missa recitabitur Evangelium, cum perventum fuerit ad istum locum,* ubi dicitur *Euge Serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Ego in eodem momento absque ulla dilatione in manus nostri Salvatoris tradam Spiritum meum, & credo, quia ejus, cui fideliter servivi, B. Clementis in Cælesti Palatio habebo consortiũ.* Gravescente ejus infirmitate, advenit celeberrimus dies Festivitatis prænominatæ, in qua se moriturum prædixerat, & antequam Missa inchoaretur, se portari fecit intra Ecclesiam, & sumpto viaticô, conversus ad Dominum, expectabat sui exitûs horam, quando Evageliium legeretur, sicut sibi fuerat repromissum. Fratres occupati in tanta solennitate, & dolentes ultra modum de tanti Pastoris velocissima migratione, fecerunt processionem, & expletis omnibûs, sicut moris est, in tali festivitate, cum Evangelium legeretur, in eodem momento, quo se mori prædixerat, cum à lectore diceretur

retur: *Euge ſerve bone &c*: Aſtante populo, & Clero, & ut magis credendum eſt, Cætu Angelico, tradidit Spiritum. Ejuſq; memoriam ſolet celebrare Piſcarienſis Eccleſia die altero poſt B. Clementis Sollennitatem annuam.

Miraculum II.

S. CLEMES Papa punit hoſtes, & Vaſtatores terræ ſuæ.

ANno 1103. Wilielmus Toſcio vendidit Richardo Comiti Domino Manuplelii Abbatiam S. Clementis, Poperini, & Epiſcopium S. Pelini pro mille bizantiis. Richardus verò Comes cupidus Imperii, poſtquam emerat ab illo, qui ſibi vendere non poterat jura Monaſterii, cum magno comitatu in Inſulam Piſcariam venit, & ibi tabernaculum ſuum fixit, & quādiu ſibi placuit ibi manens, poſtquam bona Eccleſiæ ſuperfluè convivando conſumpſit, juſſit ſibi auri ſummam ſolvere, Statuta die, communicato conſilio Grimoaldus Abbas cum Fratribus habitatoribus loci, cū habere non poſſet impoſitum ſibi pondus auri, collegit animalia, & pecora omnia, quæcunque potuerunt in poſſeſſionibus inveniri, & ſumptis matribus cum vagi-

entibus

entibus parvulis tetendit ad ædes Tyranni, & quæ duxerat, offerens, dixit ei: *Hæc sunt, unde debent vivere pauperculæ mulieres istæ cum suis liberis, parce, ut parcat tibi Deus, noli terram S. Clementis in desertum redigere, depulsis habitatoribus suis. scias procertò, quia, si haberemus, quod postulas, nulla esset cunctatio in reddendo, quia non volumus, te nostro pro facto ad iracundiam provocare.* Ille verò, cujus animus igne succensus erat avaritiæ, non judicavit Abbatem dignum responsione, imo extendens manum ad munera, suscepit boves, & pecora, nec illi dimisit ex omnibus, nec pueris, nec eorum matribus, unde possent sustentari die unâ. Abbas Grimoaldus reversus ad Monasterium prædâ dispoliatus, & magis dolens pro cultoribus agrorum, quam pro se, vel Fratribus, convertit præces ad Dominum, & effusus ante Corpus S. Clementis, dixit: *Domine memento nostri, & enim expectavimus, esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis. Non gaudeat inimicus tuus diutius de præda, quam fraudulenter abstulit famulis tuis. Ostende virtutem tuam pro Ecclesia tua, ne ei dicatur: ubi est Deus tuus.* His dictis siluit, & quod esset facturus, expectavit, credebat enim, habens fiduciam in Domino, quia Deus esset pugnaturus pro

loco suo, Venit dies, in qua præfatus Comes Richardus solemnes sibi jusserat æpulas præparari, & sedens in Palatio, cum jam pene plenus esset ferculis, quæ multa sibi fieri jusserat de præda S. Clementis, cum adhuc ad mensam sederet cum Baronibus suis, vindictam Divinam sensit adesse sibi. Nam quædam Persona terribilis ei soli apparuit, induta veste Sacerdotali, & cum clava, quam manu gestabat, super caput illius maximum ictum dedit, quo ictu ipse statim & visum, & auditum perdidit, & ejulans magna voce, ad proprium lectum advectus manibus servorum. Et cum inquireretur à mulieribus, quid haberet, quare tam subito exclamavisset, ille recuperato auditu, dixit: Non videtis, quod video, Iste Præsbyter, qui hic astat, cũ mazuca. (*id est clava, ut ait Dacherius*) confregit uno ictu tempora mẽa, & elevato ictu si me iterum percusserit, protinus egrediar de præsenti vita. *Clemens noli me percutere, noli Clemens.* In his vocibus exspiravit, & sensit, quia ille non dormit, neque Dormitat, qui suos semper, & ubique custodit. Fama autem hujus facti, licèt silentio præmeretur, diutius celari non potuit, & tantum gaudium in corde bonorũ crevit de hoc, quo Deus lacrymas servorum suorum non tradiderat oblivioni.

Miraculũ

Miraculum III.

Reliquiæ S Clementis fugant locuſtas

ANnô 1116. Circa tempora vero iſta reſidente jam Papa Gelaſio in Apoſtolica ſede. fuerunt locuſtæ in univerſa Regione iſta, corrodentes ſegetes, & omnes labores. Unde cum ex juſſione Domini Giſonis Abbatis, capſula, in qua Beati CLEMENTIS erat ſpatula, portaretur à Domino Mauro, & quibuſdam aliis Religioſis Fratribus in agriculturis Eccleſiæ, & cum ipſa perambularent, atque girarent ipſos campos, in quibus præcipuè ſegetes, & labores erant ad victum Monaſterii, tanta fuit virtus B. Clementis, ut in ipſa portatione Reliquiarum ejus, ipſe locuſtæ fugarentur, & conglobatæ una ſuper alteram cadentes, & ſe ad invicem vehementer impingentes, in flumine Piſcarienſi ſe internecabant. Sicq; ex maxima parte ſequenti tempore fuit ſedata famis peſtilentia.

Miraculum IV.

Apparet S. Clemens piis Religioſis, nunciatq; hoſtis ſui necem.

CUm Wilielmus de Caſtellione, terram S. Clementis

 depræ-

deprædaretur. Vir autem Domini Oldrius Abbas, non armis sæcularibus, sed Divinis armatus, S. Clementi, illam iniquitatem Comitis humili præcatu innotuit, & ut de suis curam ageret, exoravit. Cujus præcatûs nō contempsit altissimus, imò antequam finiretur unus annus, in eodem die anniversaria, quæ est 9 *Kalendas Septembris*, in qua terram Ecclesiæ iniquè fuerat deprædatus, Castellionis Oppidum perdidit. Nam sicut fertur, in ipsa nocte, circa horam matutinæ laudis, duobus Fratribus in Capitulo quiescentibus, per visionē apparuit B. Clemens, dicens: *Surgite, notifico vobis, quia noster hostis Wilielmus de Castellione, traditus est in manus inimicorum suorum. Hodie abiicio eum de terra mea, ut amplius contra me non vivat ex ea, nec etiam volo, ut cum Patribus suis circa me locum habeat sepulturæ.* Expergiscentibus verò Fratribus illis, & de tali visione mirantibus, antequam silentium solveretur, factus est insultus in eum, & Wilielmus captus, & exhæreditatus fuit in annô 1123. nec postea quispiam de ejus genere ad Dominationem hæreditatis ejus potuit pervenire, B. Clemente sibi invicem reddente, & Domino IESU CHRISTO præordinante, qui nunquam deserit præsumentes de se.

***

Mira-

Miraculum V

Ludovicus Imperator cum S Clemente apparet duobus Fratribus

ANnô 1131. Duo Fratres Religioſa conſvetudine quadrageſimali tempore ante Matutinum, de lectulis conſveverant ſurgere, & flexis genibus ante Sacratiſſimi Martyris Oſſa præces, & ſingultus fundere, Pſalmos cantare, & Sanctos Dei in adjutorium, populi Chriſtiani cum litaniis interpellare. Cumq; fatigati aliquantulum conſediſſent, in angulis Eccleſiæ, tamen diverſi locô, ſed non diverſi mente, oculis dormitantibus, & vigili corde, ambo unam eandemq; viſionem in hunc modum viderant. Duæ Perſonæ Reverendæ, aſpectu, & veſte præclara, ante altare ſtare videbantur, unus eorum Pontificali erat indutus habitu, alter Regio Diademate coronatus, qui ad eos venientes, ſciſcitabantur, qui eſſent & quare inibi in tali hora morarentur, Reſponderunt ſe de Fratribus Eccleſiæ fore, pro peccatis ſuis, & pro benefactoribus ipſius loci miſericordiam depoſcere, & idcirco antequam Fratres ſurgerent, de lectulis ſurrexiſſe, ut liberius poſſint orationi vocare. Cumq; reſponderent: *Bene*, addiderunt

Qui nos sumus, cognoscitisne? Dixerunt *minimè.* Sed propter amorem Dei rogamus, ut indicetis nobis, qui estis, & quare venistis, & unde. Respondit ille, qui Regio coronatus erat Diademmate: Ego sum Ludovicus, qui fui ædificator hujus Abbatiæ, & qui dedi ei, quidquid habebam in hac terra, ut possideret hæreditario jure. Qui autem mecum est Pontificali venerandus habitu, S. Clemens est, qui pro Christo meruit in Pelago mergi, & ejus Ossa meo labore ad hanc Insulam delata, in præsenti altari meruerunt sepeliri, quem Robertus de Manuplello ita graviter flagellavit, ut plagæ ejus, & livores, quos in dorso suscepit, vix possint ab homine dinumerari. Et ut certiores essent Fratres ambo de visione, auxilio Regis B. Clemens coram eis spoliavit se, & ostendit cicatrices vulnerum, & plagas virgarum, & adjecit: *Ita male tractatus sum, sed volo, quod sciatis, quia inproximo me vindicabo de inimicis, & faciam, ut proscribantur ab hæreditate paterna, & moriantur, & sepeliantur, ut miseri, & exules in terra non sua* His dictis, visio disparuit, & expergefacti Fratres ipsi cæperunt enarrare primitus, quæ viderant, deinde post Capitulum, cum Fratres convenirent, retulerunt Personas venerabiles Ludovici & B. Clementis vidisse, & quæ supradicta sunt, sibi retulisse.

Et

Et quia videretur vana gloria, ſi de talibus viſis Fratres gratularentur, ſiluerunt, & quod Deus eſſet facturus, cum maximo metu expectaverunt. Interim Rex Rogerius Regio Diademmate coronatus, Filium ſuũ Anfuſum nomine, quem Principem Capuæ fecerat, ad Theatinum comitatum cum magno exercitu præmiſit, eiq; diligenter inquirere juſſit Manuplellenſes Comites, qui erant adverſarii S. Clementis, ut vivos ſibi repræſentaret, in Secreto præcepit, qui, cum ſcirent præfatum Principem juſſa Patris velle perficere, clam fugerant, & cum ei nec huc, nec illuc reſiſtere poſſent fugitivi, terram propriam, & quod acquiſiverant, perdiderunt, & in aliena terra vitæ exitum, qualem meruerant, invenerunt.

Quid clarius? teſtimonió Cæleſti ipſius Ludovici Imperatoris aſſerentis S. Clementem Papam merſum in Pelago, ac ejus Oſſa à ſe delata in Piſcariam, in altari majori ejuſdem Baſilicæ requieſcere?

Miraculum VI

S Clemens in ſpecie Peregrini Fratribus Benedictinis apparens, eis proſpera nunciat.

QUidam Abbatem Oldrium turbabant, & deterrebant, dicentes: illum contra Regem Rogeriũ

fecisse, quia Castellum Belonianum, quamvis esset de jure S. Clementis, Comitibus Manuplelli fugientibus, ipsisq; mandantibus suscepisset, nec debuisset terram fugitivorum supra prendere. Sed Abbas de Deo, & B. Clemente confidens, nullo metu territus, constanter Castellum tenuit, donec ipse Rex veniens, penes Monasterium in Campestri sub Tocco, & juxta Piscariam Castra posuit, ibiq; triduo cum exercitu perenditans mansit. Abbas igitur sumpto consiliô, cum in crastinũ ad Regem accedere, ipsumq; præcibus, & xeniis placare, pro supra dicto etiam Castro pecuniam offerre deberet, sociatis sibi cunctis Fratribus, totum Psalteriũ cum genuflexionibus, litaniis, & orationibus ante Sacratissimum Corpus B. Clementis in Ecclesia pernoctavit. Matutinalibus etiam hymnis decantatîs, facto mane, cum quibusdam Fratribus, equitans ad Regem proficiscitur. Unus verò ex ipsius Fratribus, cum pluribus esset intentus, iter retardasset, & cominus post Abbatem pergeret, quidam senex venerandæ canitiei, venusti vultûs, stans in ipso ponte ante portam Insulæ, in habitu peregrini cum cortia, & palma ei apparuit, dicens: *Ite in pace, Dic Abbati, ut securus ad Regem accedat, cavete, ne aliquam ei pecuniam dare spondeatis, gratis enim dabit vobis, quod petitis, & eo majora*

jora. Et Monachus *Quomodo nosti;* Et ille: *quia in hac nocte consiliis Regis interfui, quando vestro Monasterio deliberabat bene facere.* Gaudens itaq; Monachus in hoc verbo, dixit ei: *benedicaris tu, quia bona nuncias, ingredere Monasterium, & accipe Charitatem.* Et ille: *Facio, quia ibidem manere, & Charitatē habere solitus sum. Ite, cum benedictione.* Tunc ipse Monachus cœpit festinare, ut se jungeret Abbati, & hæc ei annunciaret, sed cogitans intra se, quomodo potuisset ille, qui hoc dixerat, arcanum Regis cognoscere, cum videretur peregrinus, & pauper, & maximè cum non soleant hujusmodi homines, ne dum in consiliis, sed nec etiam in atriis Regum admitti; retroversus, ut subtilius de verbo cognosceret, totam Insulam, totumq; Monasterium circuivit, & nullatenus eum reperire, vel videre potuit. Unde opinati sunt illum fuisse, apud quē ipsa nocte pervigiles oraverant, B. videlicet Clementem, prosperitatis nuncium. Accessit itaq; D. Oldrius Abbas, & humilitatis prærogativa tantam penes eum invenit gratiam, ut quidquid postulabat, absq; dilatione non pecunia, sed sola gratia impetraret. Rex nihil ab eo, nisi munus orationum accipere voluit, imò de suo proprio largitus est Ecclesiæ S. Clementis tria Castella, quorum nomina sunt hæc, Belonianum, Cosa-

lepla-

leplanum, & Colleodanum, & privilegium libertatis, Sequenti die, videlicet 5. *Kalendas septembris*, idem gloriosus Rex Monasterium devotus intravit, Missam B. Clementis ab ipso Domino Abbate audivit, ante venerabilem Crucem Chori stans, & orans, ipsam figuram satis approbavit, in claustro sibi Privilegia relegi fecit, demum unam modicam particulam de B. Clementis spatula, ipso magnis præcibus expetente, accepit. Insulam perambulavit, & devotior, quàm intràsset, egressus abiit.

Gratia

Instantaneæ valetudinis.

ANnô 978. Matrona quædam nobilissima nomine Otta, duos infantulos ex se genitos, ad mortem ægrotantes, Seifredum, & Fresidium habens, illis diebus, ut incolumes redderéntur, S. Clementi devovit. Qui profecto in ipsa votatione, quibusdam prædiis suis in vicco Pinnensi, Monasterio per Chartulam traditionis largitis, à funerea ægritudine convaluerunt. Deinde probitatibus, & divitiis vigentes in hoc sæculo, nobiliter claruerunt.

CA-

CAPUT XV.

Romanorum Pontificum Bullis idem comprobatur

Privilegium S. Leonis Papæ noni.

LEO Dominico Episcopus servus servorum Dei. Venerabili Abbati Ecclesiæ Sanctæ, & individuæ Trinitatis, quæ est in Insula Piscaria, quæ etiam Casa aurea vocatur, ubi Corpus B. Clementis Papæ, & Martyris requiescit. Tuisq; successoribus in perpetuum.

Convenit Apostolatui nostro digne petentibus, benevola compassione succurrere, & poscentium animis âlacri devotione impertiri suffragium. Unde ex Apostolica Principis Apostolorum Petri ac nostra, cujus Vicem gerimus, authoritate præcipimus, atque interdicimus, ut nullus sub nostri Apostolici regiminis jure degentium scilicet Imperator, Dux, Rex, Marchio, Archiepiscopus, Episcopus, Comes, vel Vicecomes invadere, distrahere, violare, aut perturbare præsumat præfatâ bona Ecclesiæ &c: benevalete.

Datum X. *Kalendas Junii per manus Federici Diaconi, & Bibliothecarii, ac Cancellariæ S. Apostolicæ*

ſedis, vice Domini Heremanni Colonienſis Archiepi-ſcopi, & ArchiCancellarii, Annò Domini Leonis IX. Papæ Tortio, Indictione 4.

Sententia

Contra perſecutores S. Clementis.

AUctoritate Domini Leonis Sanctiſſimi Papæ, & Paſchalis, qui modo Deo annuente Sanctæ Apoſtolicæ ſedi præeſſe, ſub tanto Paſtore gaudemus, Eg Gibertus Treguanus, ſicut ſupra dictus Dominus Apoſtolicus in ſuo privilegio anathematis vinculo ſubjuga gavit omnes perſecutores, & deſtructores reru Eccleſiæ Dei, quæ eſt poſita in Inſula, quæ Caſa aurea vocatur, in qua requieſcit Corpus Beatiſſimi Clementis Papæ, & Martyris, diligenter literarum apicibus notificamus. Quicunque homo ab hodierna die res hujus Sanctiſſimi Monaſterii deſtruere, vel diſſipare, vel per uim auferre voluerit, ſit ille excommunicatus à Deo Patre Omnipotente, & à Filio ejus IESU CHRISTO, & à Spiritu Sancto. &c:

Hoc decretum prolatum eſt annò 1104. poſt Clamorem Monachorum Piſcarienſium, factum Auguſti-

no

no Cardinali, quod ex MSS. Codice Regio Parisiensi primum edidit Muratorius.

CALIXTUS Episcopus Servus Servorum DEI

Dilecto in CHRISTO Filio GISONI Abbati venerabilis Monasterii S. Clementis, quod in Insula Piscariensi situm est, ejusq; successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

APostolicæ sedis auctoritate, debitoq; compellimur. &c.

Ea propter petitionibus tuis Fili in CHRISTO Charissime Giso, non immerito annuendum censuimus, ut Monasterium B. Clementis, cui, Deo authore, præesse cognosceris, ubi videlicet gloriosissimum Corpus ejusdem Martyris requiescere credimus, sicut in Domini prædecessoris nostri Papæ Leonis privilegio continetur; sedis Apostolicæ Authoritate muniremus. Mansuro igitur in perpetuum Decreto statuimus, ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem Monasterium in præsenti legitimè possidet, firma tibi, tuisque Successoribus, & illibata permaneant, si quæ igitur in

futurum Ecclesiastica, sæcularisve Persona, hanc nostræ constitutionis Paginam sciens, secundo, tertiove commonito, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisq; sui dignitate careat. Namquo se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore, & Sangvine Domini Redemptoris nostri IESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine, districtæ ultioni subjaceat &c:

Ego CALIXTUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Datum Laterani *per manum Chrisogoni S. R. E.* Diaconi, Cardinalis, ac Bibliothecarii 4. *Kalendas Aprilis. Indictione 14. Incarnationis Dominicæ annô 1121. Pontificatus autem Domini Calixti secundi Papæ 4.*

HADRIANUS Episcopus Servus Servorum DEI

Dilectis Filiis, Leonati Abbati Monasterii S. Clementis de Insula Piscaria, quæ Casa aurea vocatur, ejusq; Fratribus tam præsentibus, quàm futuris, Regularem vitam professis in perpetuam.

EFfectum justa postulantibus indulgere, & vigor æqui-
tatis

tatis, & ordo exigit rationis. Præſertim quando petentium voluntatem pietas adjuvat, & veritas non relinquit. Quocirca Dilecti in Deo Filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus; & præfatum Monaſterium, ubi Corpus B. Clementis Papæ, & Martyris requieſcit, & in quo Divino mancipati eſtis obſequio, ad exemplar prædeceſſoris noſtri, felicis memoriæ, Leonis Papæ, ſub B Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. ſuſcipientes. &c:

Ego HADRIANUS Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi. ſubſcripſerunt 19. Cardinales.

Datum Laterani per manum Rolandi S. R. E. Præsbyteri Cardinalis, & Cancellarii 2. Idus Martii, Indictione 6. Incarnationis Dominicæ Annò 1158. Pontificatus verò D. Adriani Papæ quarti, Annò 5.

En quomodo exemplar Leonis Papæ memorat, Adrianus quartus, cujus præſens diploma ut legitimum vulgavit V. C. Nicolaus Coleti S Moyſis Venet: Alumnus in nova collectione conciliorum Labbæi, anno 1733.



ALEXAN-

ALEXANDER Servus Servorum DEI

Dilectis Filiis, Leonati Abbati Monasterii S. Clementis de Insula Piscaria, quæ Casa aurea vocatur, ejusq; Fratribus &c.

REeligiosis votis annuere &c: Ea propter Dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium, ubi Corpus B. Clementis Papæ, & Martyris requiescit, & in quo Divino mãcipati estis obsequio ad exẽplar Prædecessorũ nostrorũ, Romanorũ Pontificũ, felicis memoriæ, Leonis, Callisti, & Adriani, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti Privilegio communimus. Imprimis siquidem, ut ordo Monasticus, qui secundum Dominum, & B. Benedicti Regulam in eo dum Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur &c:

Ego ALEXANDER Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Subscripserunt 17. Cardinales nominibus propriis.

Datum Laterani per manum Ermanni Diaconi Cardinalis S. Angeli 15. Kalendas Aprilis, Incarnationis Dominicæ annô 1166. Potnificatus verô D. Alexandri Papæ 3. annô 6.

ALEXANDER Epiſcopus Servus Servorum DEI

Dilectis Filiis, Leonati Abbati, & Conventui S. Clementis de Piscaria ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem

LIcèt omnes:---nos veſtris piis deſideriis, & juſtis poſtulationibus inclinati, univerſis, qui ad Eccleſiam veſtram in die Tranſlationis Corporis S. Clementis, Papæ, & Martyris, quod, ſicut in antiquis ſcriptis habetur, in eadem Eccleſia requieſcit, devota mente cõcurrerint, & ibidem vobiſcum in ejuſdem glorioſi Martyris venerationem, vota laudis, & placationis exſolverint, id ex parte Omnipotentis Dei, & Auctoritate Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, in ſuorum remiſſionem injungimus peccatorum. *Datum Verulis 4. Kalendas Maii.*

CÆLESTIN9 *Epiſcop9 Serv9 ſervorũ Dei.*

Dilectis Filiis, Iobeli Abbati Monaſterii S. Clementis de Inſula Piſcariæ, quæ Caſa aurea vocatur &c:

REeligioſis votis. Ea propter Dilecti in Domino Filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annu-

imus, & præfatum Monasterium, ubi Corpus B. Clementis Papæ, & Martyris requiescit, quod solius B. Petri juris existit, in quo Divino estis mancipati obsequio, ad exemplar prædecessorum nostrorum, Romanorum Pontificum, felicis memoriæ, Leonis, Callisti, Adriani, ac Alexandri, sub B. Petri, ac nostra protectione suscipimus &c:

Ego CÆLESTINUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Subscripserunt 24. Cardinales.

Datum Romæ apud S. Petrum, per manum Ægidii S. Nicolai in Carcere Tulliano, Diacani Cardinalis, Idibus Junii, Indictione 9. annô Incarnationis Dominicæ 1191. Pontificatus verò Domini Cælestini Papæ 3. anno 1.

CLEMENS Episcopus Servus Servorum DEI.

Dilectis Filiis Abbati, & Conventui S. Clementis in Piscaria, ad Romanam Ecclesiam, ut dicitur, nullo medio pertinentis, Ordinis S. Benedicti, Theatinæ Diæcesis, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LIcèt ei, de cujus munere venit.--- Cupientes igitur, ut Ecclesia Monasterii vestri, ad quam ob devotionē

tionem B. Clementis, cujus Corpus ibidem, ut asseritur, requiescit, in Festo ejusdem, & anniversaria die Dedicationis ipsius Ecclesiæ, non modica confluit populi multitudo, congruis honoribus frequentetur, omnibus verò pænitentibus, & confessis, qui ad Ecclesiam ipsam in Festo ejusdem B. Clementis, & annivesario die Dedicationis ejusdem, causa devotionis accesserint, centū dies de Omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi de injunctis pænitentiis misericorditer relaxamus. *Datum Viterbii 3. Kalendas Decembris, Pontificatûs nostri annò 2.*

CAPUT XVI.

Proponuntur Argumenta contra Bullas.

OPponit Rondininus, & asserit has Pontificum Romanorum Bullas non esse veras, præcipuè cum hæc inscriptio S. Leonis Papæ noni, data Dominico Abbati Piscariensi sit inaudita, inusitata, ac prorsus nova; adeoq; suspicatur illud Diploma esse spurium cum aliqua ejusdem S. Leonis Diplomata reperiantur falsificata, & corrupta.

At inusitata fuit hæc inscriptio, cum inusitatum, & novū

novum fuerat, ut Abbates Piſcarienſes ſcriberent ad Romanum Pontificem, peterentq; tutelam, & protectionem ſedis Apoſtolicæ contra invaſores ſuorum bonorum, primus ergo fuit Dominicus Abbas, qui hoc privilegium obtinuit à S. Leone Papa nono, qui propter excellentiam tanti Monaſterii, quod dotatum Corpore S. Clementis ſciverat S. Leo, appoſitè mentionē fecit in inſcriptione ejuſdem Sacri Corporis. Hæc inſcriptio fuit ſingularis gratiæ teſtificatio, quia etiam Abbatia Piſcarienſis fuit ſingularis prærogativæ, & inter omnes totius Europæ Abbatias tum Imperiali ſceptro, tum Corpore S. Clementis inſignita, & ſuperemінens. Hanc Bullam Leonis noni datam Dominico Abbati Piſcarienſi veram agnovit Mabillonius, de re diplomatica *Pag: 12.* dicens: *Abbas Dominicus à Leone Papa nono hujus privilegii confirmationem impetravit, quo in facto illud ſingulare eſt; quod in Italia uſque ad id tempus viguerit privilegium Caſaurienſe citra Pontificiam Authoritatem.* Hæc ille. Non rectè ergo Rondininus argumentatur ex eo, quod aliqua Leonis diplomata fuerint corrupta, etiam hoc eſſe corruptum, & & fictitium. Agnovit enim hanc Bullam genuinam V. C. Carolus Cocquelines in ampliſſima collectione Bullarum à S. Leone I. uſque ad Nicolaum II. *Tomo 1.*
Pag.

Pag: 376. quam impressit Romæ annô 1739. Tum quia sequentes Bullæ sunt legitmè, & genuinæ; ergo & ista talis debet esse, quia sequentes Pontifices laudant, & confirmant Leonis noni Bullam. Hinc solum id erui potest, licet illa Leonis noni Bulla sit vera, parvi tamen voluisse ea tempestate apud illos homines raptores bonorum Ecclesiasticorum, qui justitiæ, & Religionis obliti, ut advertit Muratorius, quanta vi, & artibus poterant, Ecclesiasticorum olim res usurpare, minimè verebantur, illud enim certum, nullam ex Ecclesiis, quanquam Regum ac Imperatatorum tutelâ, Privilegiis, ac immunitatibus stipata foret, sat sibi cavisse ab hujusmodi prædonibus, atque hinc tot leges Augustorum de rebus Ecclesiarum injustè invasis. *Et Tomo 6. Pag* 198. quem inscripsit Serenissimo Principi Regio, Clementi, Augusti III. Regis nostri Poloniarum Clementissimi Filio, ait, eademq; procella deinde involvit Casauriense Monasterium. *Pag. verò* 213. ait: *verum neque Romanorum Pontificum Bullæ, neque Augustorum Diplomata satis potentes obices erant ad cohibendos eorum temporum abusus.*

Opponit II. Callisti, Adriani Bullas non esse legitimas vel parum conducere, cum tantum S. Clementis Martyris, vel S. Clementis memoriam faciant, non tamen

men S. Clementis Pontificis, & Martyris.

Sed quam ineptè hæc negat, Rondininus, non advertit, nam illæ Bullæ Pontificum agnoſcendæ ſunt legitimæ, & veræ, quas illi ſubſequentes Pontifices memorant, laudant, & confirmant, alias ſi eſſent falſæ, reſpuerentur ut tales ab aliis Pontificibus, at qui Bullas Leonis Papæ noni, Caliſti, & Adriani, datas Abbatibus Monaſterii Piſcarienſis cum mentione Corporis S. Clementis Papæ, memorant, laudant, & confirmant alii Pontifices, ergo ſuperiores Bullæ ſunt veræ & legitimæ. Minor propoſitio probatur ex Bulla Alexandri III. quam genuinam admittit Rondininus, in qua hæc leguntur verba: *Præfatum Monaſterium, ubi Corpus B. Clementis Papæ. & Martyris requieſcit, ad exemplar prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum felicis memoriæ, Leonis, Calliſti, & Adriani, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus.* Item *Calliſtus in ſua Bulla faciens memoriam Corporis B. Clementis ſubjungit: ſicut in Domini Prædeceſſoris noſtri Papæ Leonis privilegio continetur.* Ergo tam Leonis Papæ noni Bulla cum ſua legitima inſcriptione, quam etiam aliorum Pontificum Bullæ ſunt veræ, quia ab aliis ſubſequentibus laudatæ, & confirmatæ. Ergo non ſolum confirmatur Corpus Bullæ Leonis, ſed etiam ipſa inſcripti

ſcriptio, cum in ipſa inſcriptione fiat mentio de Corpore S. Clementis Papæ, & Martyris.

Opponit III. Alexandrum III. parcum fuiſſe in cōcedendis Indulgentiis, at quid intereſt, parcum fuiſſe, non tamen abſolutè ullas negâſſe Indulgentias inde infertur neque nimius fecit, aut effuſus Alexander per hoc, quod tam celeberrimæ Tranſlationis Feſtum hucuſque continuatum ſolemni ritu dotaverat Indulgentia? neque officit, quod ibi non addantur illæ clauſulæ, verè pænitentes & confeſſi; hæ enim clauſulæ ſolitæ ſunt apponi poſteriori tempore, quarum locô, ponuntur iſta verba: Compuncta mente, & ardenti deſiderio; quæ non nomen, ſed ſubſtantiam confeſſionis exprimunt, neque obeſt, quod ibidem dicatur, ſicut in antiquis ſcriptis habetur, quia Alexander antiquitati ſcriptorum illorum dedit fidem, illaq; antiqua ſcripta perſpecta habuit, & ſincera, alias, ſi illa ſcripta eſſent ſuſpectæ fidei, illa procertò Pontifex pro Documento antiquitatis non aſſumeret, neque aſſereret illis innixus, Corpus S Clementis in ea Baſilica aſſervari.

Opponit IV. Clementem IV. aſſerere tantùm relativè, ut aſſeritur, deinde B. Clementis tantùm diem incertam indulgentiis ornâſſe.

At hæc ridicula ſunt, nam hanc diem Indulgen-

tiis

tiis dotavit Clemens IV. quam dotandam petiêrant Piſcarienſes, at non aliam, niſi 23. Novembris, petierant dotari, igitur & dies, & Sanctus non alius exprimitur, à Pontifice, niſi 23. S. Clementis Papæ. Hæc quoque eſt ſolita clauſula, & mos ſcribendi brevia Apoſtolica, *ut dicitur, ut aſſeritur*, per hoc tamen non infertur falſitas. ſed potius confirmatur id, pro quo poſtulatur aliquid. Palam hoc facit, reſcripta Epiſtola Clementis IV. Alphonſo Caſtellæ Regi, qui gratulatus fuerat Papæ aſſumptum nomen S. Clementis Papæ, cui reſcribens Clemens, dicit *Non mediocriter nihilominus noſtro nomini congaudens, pro B. Clementis Martyris debita reverentia, in cujus Feſto Te prout aſſeris, olim uterus maternus effudit.* Hæc ille. Nonne hic Papa B Clementem tantum Martyrem appellat, non verò Pontificem, nonne hac clauſula utitur, *prout aſſeris* nonne etiam diem feſtum ejuſdem Sancti, in quo natus eſt Alphonſus, tacet, ergone Papa de alio Clemente Martyre loquitur, & non de Pontifice? Ergone Rex piiſſimus falſitatem allegavit, dicens ſe natum in die S. Clementis, ideo, quod Papa dicat, prout aſſeris? abſit hæc temeritas, abſit hæc non ſolum aſſerere, ſed etiam ſuſpicari

Opponit V. admiſſa etiam integritate iſtarum Bullarum

larum non evincitur Corpus S. Clementis adſervari in Piſcaria; quia Corpus S. Benedicti Abbatis Bullis Pontificum vindicant ſibi Floriacenſes, & Caſſinenſes Monachi, & utrique parti imponitur ſilentium, unde poſſunt quidem haberi Bullæ poſſunt permitti Feſta Tranſlationis Corporis alicujus Sancti, etiamſi nunquam tranſlatum eſſet Corpus, quia ille cultus refertur in Sanctum, non verò in Corpus illius Sancti.

At hæc paritas nulla eſt in præſenti caſu, nam ſi valeret, deberet his Bullis Piſcarienſis Baſilicæ, Rondininus opponere alias contrarias Bullas Romanæ Eccleſiæ, at nunquam poteſt aliquam Bullam opponere, quam enim opponet? niſi forte breve indulgentiarum conceſſarum ab Innocentio Papa XII pro Feſto S. Clementis, & Ignatii,ubi hæc tantum verba, leguntur. *Qui Eccleſiam ejuſdem S. Clementis, in ipſius S. Clementis, & S. Ignatii Martyris feſtis diebus devote viſitaverint*, nulla tamen in hoc brevi fit mentio de Corpore S. Clementis, vel forte opponi poteſt inſcriptio interior ſupra portam majorem Baſilicæ S. Clementis, in qua omnia ornamenta ejuſdem Baſilicæ exprimuntur, ſcilicet fuiſſe Paternam Domum S. Clementis geminis Homiliis à S. Gregorio magno habitis ſtatione quadrageſimali, & titulo Cardinalis Præsbyteri decoratam, nul-

la

la tamen est mentio de Corpore, an fortè non foret summum Deus ejusdem Basilicæ, si revera constaret reperiri illud Sacrum Corpus Romæ? non semel meminêre Basilicæ S. Clementis, summi Pontifices, nullam tamen mentionem de Corpore fecerunt. Videamus nunc monumenta, quibus probat hoc Sacrum Corpus, & vindicat Romanæ Basilicæ Rondininus, opponit imprimis traditionem, sed huic traditioni opponimus traditionem Basilicæ Piscariensis. Proponit duo carmina longobardico charactere in septo marmoreo, quod circa Paschalis II. tempora, opinatur scripta, quæ sunt ista:

Hâc jacet Ecclesia Clemens Sanctissimus, æquor
Quem diu celavit, nunc ego corde precor.

Hæc tamen antiqua carmina fundantur in certa illa traditione, quod Corpus S. Clementis depositum fuerat in eadem Basilica, licèt ad modicum tempus, quod ego quoque libenter admitto, hoc tamen Corpore post breve tempus translato, quia Corpus S. Clementis Flavii sub majori ara latebat, & putabatur esse Corpus S. Clemẽtis Papæ, ideo in hac opinione scripta sunt, & potiꝰ hic tempus præsens pro præterito sumitur, propter carmen, quia debuit scribi: Hâc jacuit Ecclesia. Alia duo carmina prope antiquum ostiolum, antequam antiquum altare dirueretur, hæc legebantur:

Impius

Impius insano te mersit in æquore Cæsar,
His positis aris nunc pia Roma colit

Ex his tamen Carminibus solùm infertur cultus in positis aris S. Clementi, non verò ejus Corporis præsentia, quia etiamsi ibidem Corpus ejus non esset tumulatum, tamen Sanctum Clementem debuit pia Roma colere.

Nec obest Martyrologii Romani, & Breviarii assertio, in quibus legitur in Basilica Romana S. Clementis, diu antea exstructa, ejusdem Corpus reconditũ fuisse; quod etiam & cæteri Scriptores testantur, his enim ego quoque meum addo calculum, & hanc autoritatem reverenter amplector, verum enim dicunt, Romæ Sacrum Corpus fuisse reconditum, non tamen dicunt hucusque illud ibidem extare, neque etiam negant translatum fuisse in Piscariam. Scriptores verò allegati à Rondinino, qui asserunt Sacrum Corpus hucusque axstare Romæ asserunt, & tradunt illud conditum sub majori ara exstare, sed cum major ara dirueretur, & accurato studio quæreretur Corpus S. Clementis, nusquam inventum fuerat, præter Ossa alterius S. Clementis, igitur Rondininus suis monumentis nõ evincit intentum. Rectè itaque suum judicium subicit *lib 1. Cap 17. Pag. 187.* dicens: *verum, nequis, quod*

ſcripſi ad vindicandum Romanæ urbi adeò pretioſum, & venerabile pignus animô haud æquo accipiat, id circo judicium meum lubens eruditorum omnium cenſuræ ſubiicio

CAPUT XVII.

Diplomatibus Imperatorum, Regum, & Principum tranſlatio Corporis S. Clementis Papæ, in Imperiali Abbatia comprobatur.

MUltis locupletatum Diplomatibus Imperatorum, præcipuè ipſiuſmet Fundatoris Ludovici, & aliorum Regum & Principum, Imperiale Monaſterium S. Clementis in Piſcaria dignoſcitur, quæ omnia in Chronico Piſcarienſi ſcripta exſtant hucuſque, codex ille in folio magno membranaceo 4729. numero, chartarum, ſive Inſtrumentorum de poſſeſſionibus, rebus, & dignitatibus Monaſterii Caſaurienſis, Pariſiis aſſervatur, chartæ Regiæ dividuntur in præcepta, Indiculos, Placita, ſicut conventus publici, ac judiciales olim dicebantur, ita alio quoque ſenſu literæ Regiæ ſuper re judiciali expeditæ, placita audiebant. Notiſſimũ

eſt urbis Pariſienſis eruditis chartarium illud, quod quidem autographum eſt, ut ait Mabillonius de re Diplomatica *Pag. 736.* majoribus foliis conſtans, ac figuris ſubinde illuſtratum. Collectio duas habet partes, prima chartas continet, quæ cum rebus, venditione, vel dono in Monaſterii cenſum comparatis, traditæ ſunt à poſſeſſionibus, quarum nonnullæ regnante Carolo Magno conditæ leguntur. Secunda pars eſt de illis Inſtrumentis, quæ Monaſterio ſunt intitulata, incipiendo ab ipſo Fundatore ſuo Domino Ludovico Auguſto, & ſeriatim ſupputando ea per tempora, & ſucceſſiones Abbatum. Hæc igitur Diplomata hic adduco ex editione ſincera Muratoriana, in quibus expreſſa habetur mentio de Corpore S. Clementis Papæ in Piſcarienſi Baſilica recondito. Inter Ludovici Fundatoris Diplomata, tria reperiuntur talia, quæ hic exhibeo.

In Nomine D. N. IESU CHRISTI, DEI æterni.

LUDOVICUS

Divinâ ordinante Providentiâ Imperator Auguſtus

CUnctis ſanum ſapientibus liquet, quia quò magis

cultibus Divinis insistimus, eo amplius supernæ Majestati reconciliamur. Proinde universorum Sanctæ DEI Ecclesiæ, nostrorumq; fidelium præsentium scilicet, ac futurorum agnoscat unanimitas, quia nos Divino afflati instinctu, ad honorem, & reverentiam tremendæ, ac individuæ Trinitatis Sacrosanctum Templum in Insula, quæ Casa aurea vocitatur, fundari & cosummari hilari mente præcepimus. UBI & ALMIFICUM BEATISSIMI PONTIFICIS, & MARTYRIS, CLEMENTIS CORPUS VENERABILITER RECONDI FECIM9.atque in eodē situ famulorūDei cænobiū perpetuis temporibus permanendū Augustaliter,atque liberaliter institustituimus, quatenus coadunato illic sub Regulari norma Religiosorum virorum cætu, altissimo Deo laudes jugiter inibi, votaq; resultent &c:

Signum manus Domini Ludovici Serenissimi Imperatoris.

Giselbertus Præsbyter, & Notarius ex jussu Imperatoris scripsi, & subscripsi. *Data Kalendis Septembris, Indictione octava. Actum Olonna in Curtè Imperiali, annò Imperii D. Ludovici Serenissimi Imperatoris vigesimo quinto. Deo propitio, feliciter.*

In Nomine D. N. IESU CHRISTI DEI æterni.

LU

LUDOVICUS

Divina ordinatione Providentia Imperator Augustus.

UNiverſorum Sanctæ DEI Eccleſiæ fidelium tam præſentium, videlicet, quàm futurorum compereat ſolertia, quia cũ omnipotentis juvamine freti, Beneventũ progrederemur in ipſo poſiti itinere devenimus ad Piſcariam, ubi quandam invenimus Inſulam, undique aquis cinctam, quam Divina inſpiratione circumeuntes, & ex omni conſiderantes, parte, perſpeximus ipſam uſibus eſſe Monachorum aptam, temporibus pro futuris, qua de re Dei Omnipotentis inſpiratione tacti, juſſimus inibi ædificari Baſilicam in honoré Sanctæ, & individuæ Trinitatis. UBI ETIAM COLLOCARE FECIMUS CORPUS B. CLEMENTIS MARTYRIS, & PONTIFICIS CHRISTI, ubi etiam ad cumulum mercedis noſtræ coadunavimus cætum Monachorum inibi ſupernæ Majeſtati famulantium. Eo ſcilicet ordine, ut abſque ullius controverſia regulariter ſub norma S. Benedicti degant. &c:

Signum manûs D. Ludovici Sereniſſimi Imperatoris.

Giſerbertus Præsbyter, & Notarius & juſſu Imperiali ſcripſi & ſubſcripſi.

Data

Data Kalendis Novembris, Indictione octava, Actum in Curtè Imperiali Olonna, Annò Imperii supràtaxati D. Ludovici Imperatoris, vigesimo quinto in DEI nomine feliciter.

In Nomine D. N. IESV CHRISTI, Dei æterni.

LUDOVICUS

CUnctis summis sapientibus liquet &c: Quia nos Divino afflati instinctu ad honorem, & reverentiam tremendæ, ac Individuæ Trinitatis, SacroSanctum templũ in Insula, quæ Casa aurea vocitatur, fundari & cõfirmari, hilari mente præcepimus, & ALMIFICUM BEATISSIMI PONTIFICIS, & MARTYRIS CLEMENTIS CORPUS VENERABILITER RECONDI FECIMUS, quod quidem Sacrosanctum Monasterium S. Clementis in Piscaria in antea vocitari præcipimus. Religiosi, tres quotidie pro nobis Missas, & omnibus nocturnis centesimum vigesimum decantare non desinant Psalmum, exceptis duntaxat vespertinalibus, & matutinalibus Hymnis, quæ in perpetuum pro nostræ remedio animæ repetere jugiter non cessabunt &c:

Signum manûs D. Ludovici Serenissimi Imperatoris Etulbertus Præsbyter, & Notarius scripsi, & subscripsi.

Datũ

Datum tertio Idus Octobris,, Indictione Octava, actũ Olonna Curte Imperiali, Annò Imperii D. Ludovici Serenissimi Imperatoris vigesimo quinto, Deo propitio feliciter. Amen. Annò Dominicæ Incarnationis 875. Indictione Octava.

In Nomine Domini DEI æterni

BERENGARIUS

Divina favente Clementia Imperator Augustus.

SI Servorum Dei Ecclesiam &c: Quocirco noverit qualiter Monachi cujusdam Monasterii, IN QUO ALMIFICUM BEATISSIMI PONTIFICIS, AC MARTYRIS CLEMENTIS CORPUS DIGNOSCITUR ESSE RECONDITUM, UBI CASA AUREA NUNCUPATUR, & in honore Sanctæ, & Individuæ Trinitatis constructum esse decernitur. Quod firmiter attendentes, eorumq; Monachorum miseriam, atque inopiam attentius perspicientes, omnes ejusdem Monasterii res, quas prædictus D. Ludovicus Imperator, & Consobrinus noster, pro animæ suæ salvatione, in jam nominatis Territoriis, atque locis, prælibato Monasterio, ad

Beatissi-

Beatissimi Pontificis atque Martyris Clementis honorem dicato, ubi Casa aurea dicitur, olim præbuit suo in tempore. præcipientes, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, aut quælibet parvi, aut Magni officii persona, jam nominatum Monasterium, ibiq; DEO deservientes, atque Beatissimi Clementis humatum Corpus, custodientes Monachos, de ejusdem Monasterii rebus, atque legali judicio devestire audeat, neque quamlibet inferat violentiam, atque injuriam &c:

Signum D. Berengarii Piissimi Imperatoris.

Ioannes Episcopus, & Cancellarius, ad vicem Ordirigi Episcopi, & Archicancellarii recognovi, & subscripsi *Data 12 Kalendas Novembris, annò Dominicæ Incarnationis 917 D. verò Berengarii piissimi Regis 28. Imperii autem sui 2 Indictione 5. actum in Piscaria in Christi nomine feliciter, Amen.*

In Nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis.

OTTHO.

Divina ordinatione Providentia Imperator Augustus.

AD hoc nos Divina potentia, nobis redeuntibus de Cala-

Calabria, quam nostro subdere conati sumus Imperio, Hubertum venerabilem Sanctæ Parmensis Ecclesiæ Episcopum, & Archicancellarium, nostram adiisse Clementiam, quatenus venerabili Abbati Adæ, desudanti in nostro servitio, & pro nobis, statuq; nostri Regni Oranti, confirmaremus, & corroboraremus nostra præceptali auctoritate Monasterium suum dedicatum in honorem S. Trinitatis, in loco, qui dicitur Insula Piscariæ, & quæ vocatur Casa aurea. UBI CORPUS B. CLEMENTIS RECONDITUM EST. cujus petitionem gratanter accipientes confirmamus, & corroboramus præfato Abbati Adæ supra dictum Monasterium cum omnibus rebus, & possessionibus suis &c:

Signum Ottonis Serenissimi Imperatoris Augusti.
Ambrosius Cancellarius ad vicem Huberti Episcopi & Archicancellarii resignavi, & subscripsi. D*atum Kalendas Majas, Annô Dominicæ Incarnationis 969. Imperii verò D. Ottonis Augusti 8. Actum in Apulia in suburbio Bivino in Dei nomine feliciter Amen.*

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.



CHUONARDUS

Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator Augustus.

CUm petitionibus Servorum DEI justis, ac rationalibus, Divini cultûs amore faverimus, & his opportuna beneficia largiamur, præmium nobis Divinæ remunerationis rependi non diffidimus. Quocirco omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorum fidelium, præsentium videlicet, ac futurorum compareat solertia; qualiter Gvido Venerabilis Abbas Monasterii S. Trinitatis, UBI CORPUS BEATISSIMI PONTIFICIS, & MARTYRIS CHRISTI CLEMENTIS RECONDITUM EST, in Comitatu Pinnensi, in Insula, quæ Casa aurea vocatur, nostram adiens præsentiam, ostendit nobis nostrorum Antecessorum Regum, & Imperatorum præcepta eidem Monasterio facta, atque suppliciter postulans, quatenus pro ipsius Sanctæ, & Individue Trinitatis ac Servi ejus Clementis, amore, eadem præcepta, nostra Imperiali, ac præceptali auctoritate confirmaremus &c:

Signum Domini Chuonardi Serenissimi Imperatoris Augusti.

Hugo

Hugo Cencellarius vice Domini Heribonis Archicancellarii recognovit.

In Nomine S. & Individuæ Trinitatis.

HENRICUS

Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator Augustus.

SI Servorum Dei ob petitionem Venerabilis Abbatis Dominici, dicti Monasterii S. Trinitatis, & B. Clementis Martyris inibi requiescentis, in comitatu quidẽ Pinnensi, in Insula, quæ Casa aurea vocatur, juxta præcepta Prædecessorum nostrorum, Regum, ac Imperatorum, quidquid justum, ac legaliter visum est, habere, Imperiali nostra auctoritate decernimus corroborare &c:

Signum Domini Henrici Imperatoris secundi, Romanorum invictissimi Imperatoris Augusti.

Henricus Cancellarius vice Herimanni Archicancellarii recognovi. *Data tertia Idus Martii, Anno Dominicæ Incarnationis 1407. Annò Henrici, Ordinationis ejus 18. Regnantis quidem 8. secundi Imperatoris, 1. actum ad S. Flavianum in Dei nomine feliciter.*

ROGERIUS.

Divinâ favente Clementiâ Rex Siciliæ, Ducatûs Apuliæ & Principatûs Capuæ.

REgum, Catholicorumq; Principũ nihil conſtat glorioſius eſſe, quàm Deum vereri, loca Sancta venerari, pauperibus Chriſti, qui ſua ſpernentes, ſe Deo largiti ſunt, alimenta vitæ neceſſaria providere, ſimulq; conferre. Nec eo minus glorioſum, quod à bonis Principibus pro Dei amore laudabili devotione factum eſt, pro ejuſdem reverentia Sanctc deſideriò colere confovere pro temporum varietate, & loco tueri, & conſervare. Quocirca Monaſterium, quod Rex bonæ memoriæ Ludovicus in Inſula, quæ Caſa aurea vocatur ad honorem, & reverentiam Sanctæ, & Individuæ Trinitatis conſtruxit, & dotavit, IN QUO CORPUS B. CLEMENTIS PAPÆ, & MARTYRIS VENERABILITER RECONDI FECIT, jam vetuſtate temporum, perverſorumq; hujuſmodi, qui nec Deum timuere, nec homines veriti ſunt, avida, & inexplebili rapacitate in quandam ſervitutem redactum, nos Divino ta-

ctu

ctu admoniti, pristina libertate donare decernimus, ut & nobis, & hæredibus nostris, animabusq; Parentum, & Prædecessorum nostrorum omnium B. Clementis Papæ & Martyris patrocinium impetremus.

Data in Territorio Civitatis Theatinæ super flumen Piscariæ, per manus Roberti Cancellarii, Annô Dominicæ Incarnationis 1140. mense Augusto, Indictione 3. Annô verô Regni Rogerii Regis Siciliæ 10. Deo propitio. Amen.

Aliqua Diplomata nunc primũ ex MSS. Regio Parisiensi proferuntur

In Nomine Domini.

A*B Incarnatione Domini Nostri IESV CHRISTI 1165. Indictione 13. Die Veneris 12. Kalendas Februarii Regnante D. N. Wilielmo Serenissimo atque invictissimo Rege Siciliæ, Ducatûs Apuliæ, Principatûs Cupuæ, Regni ejus annô 13.*

Animarum salus dum rés cunctas excellat humanas, tanto de ea præcipuè curandum est, quanto manifestè constat, nos ad æternam vitæ gloriam per eam luculenter habere aditum. Quapropter ego Goffridus Dei & Regis Gràtia Alesinæ Comes, & Regius justitiarius

rius, cuidam venerabili Monasterio S. Trinitatis sito in Insula Piscariæ, quæ Casa aurea nominatur, UBI CORPUS B. CLEMENTIS PAPÆ, & MARTYRIS REQUIESCIT, pro anima Patris, & Matris meæ atque consangvineorum nostrorum omnium, & nostris peccatis, de nostris disposuimus largiri rebus &c:

Actum in Civitate Alesina.

Ego Goffridus &c: ut supra, hoc breve confirmo
In Nomine D. N. IESU CHRISTI.

ANnò ab Incarnatione ejusdem 1166. annò verò D. N. Wilielmi Gloriosissimi Regis Siciliæ, Ducatûs Apuliæ, & Principatûs Capuæ 1. mense Decembri Die 1. Indictione 15.

Nos Gilibertus Dei, & Regis gratia Comes Gravinæ & Magister Capitaneus Appuliæ, & Principatûs Capuæ.

Propter amorem D. N. IESU CHRISTI, & pro remedio omnium DD. Regum, videlicet D. Rogerii Regis & D. Wilielmi Regis bonæ memoriæ, & ut Deus Omnipotens concedat, & augeat Regnum, & vitam D. N. Wilielmo Gloriosissimo Regi, concessimus in Monasterio Insulæ Piscariæ, quæ Casa aurea vocatur, UBI

COR-

CORPUS S. CLEMENTIS PAPÆ & MARTYRIS REQUIESCIT, & Domno Leonati Venerabili Abbati ipsius loci &c:

Datum Sulmonæ

In Nomine Domini

BReve Recordatorium, vel remuneratorium, qualibet pro futuris temporibus causa memoriæ recordandi, veluti in Comitatu Pinnensi actum est, in Insula de Piscaria, in quo venerabile Monasterium, quod Casa aurea dicitur, situm est; IN QUO VENERABILISSIMÆ B CLEMENTIS RELIQUIÆ REQUIESCUNT. In præsentia scilicet Catholicorum Episcoporum, *& hoc factum est in Annò 1111. & die mense Februariò 4. per Indictionem 4.*

In Dei Nomine

ANnò ab Incarnatione D. N. IESV CHRISTI 1177. Indictione 10. Die Mercurii 8. Iunii, Regnante D. N secundo Gvilielmò Dei gratia gloriosissimò Rege Siciliæ, Ducatùs Apuliæ, & Principatùs Capuæ, Regni ejus annò 13.

Cum in quam pluribus Divinorum verborum alloquiis, à malis declinandum, à bonis namq; operibus nunquam requiescendum, fore censeatur, & pro fidelium defuncto-

functorum anima eleemosinam dari præcipiatur. Ideoq; nos Goffridus Dei & Regia gratia Comes Alesinæ, & D. Regis Iustituarius, cuidam venerabili Monasterio S. Trinitatis sito in Insula Piscariæ, quæ Casa aurea nominatur, UBI CORPUS B. CLEMENTIS PAPÆ, & MARTYRIS REQUIESCIT, & DOMNO LEONATI S. R. E. Diacono Cardinali, ejusdem Monasterii Religioso Abbati, pro anima Patris, & Matris meæ &c.

Actum in Civitate Alesina

IN nova editione Chronici Piscariensis reperiuntur octodecem Iudicata Episcoporum, & Comitum, in quibus, quia corporis S. Clementis Martyris tantum mentio habetur, ideo illa omisimus, solis evidentibus testimoniis probantes.

CAPUT XVIII.

Diplomata prædicta suæ veritati vindicantur

SUperest aliquas conjecturas Rondinini, quibus conatur authoritatem horum Diplomatum infringere, ut refellamus veritatem, & sinceritatem eorum vindicantes. Suspicatur ille primò mentionem de Corpore

re S. Clementis Papæ à Berardo Chronographo, sive ab alio anonymo interjectam, & interscriptam fore in tribus Diplomatibus Ludovici, eo, quod hæc mentio non reperiatur in aliis ejus Diplomatibus anterioribus, deinde quod Leo Ostiensis mentionem Munimentorum Ludovici faciat, non tamen Corpus S. Clementis memorati in illis. Postremo totam vim suam ponit in nævis, Indictionum cum annô Incarnationis non concordantium. Proinde spuria, & interpolata ea existimat. Absit tamen suspicari hanc factam fuisse temerariam falsificationem Diplomatum, nam Ludovicus Magnus Rex Franciæ falsariis Diplomatum, manum præscindi, & falsi actoribus quadringentis Francis constare edictis suis justissimè sanxit. An hoc edictum latuit Berardum, imò ille, qui hoc imponit Piscariensibus, pænam talionis luat, oporteret. Sincera, & incorrupta hæc tria Diplomata agnoscenda sunt, cùm ego visitarem Regale Monasterium S. Spiritûs de Murrone Ordinis S. Benedicti Congregationis Cælestinorum, propè Sulmonam in celebri Archivio vidi Ludovici Imperatoris Diploma unum autographum cum appenso Sigillo, in quo expresse legi mentionem de Corpore S. Clementis, atque observavi tam indictionem, quam annum Incarnationis diversum esse ab illo, qui in vulga-

tis Diplomatibus legitur. Quod autem in his tribus Diplomatibus extet hæc mentio, non in aliis, mirum esse non debet, cùm in his Imperator suffragia pro anima sua habenda in eodem Monasterio tam liberaliter à se fundato, & Corpore S. Clementis dotato, statuerat. Et horum munimentorum meminit Leo Ostiensis, quid autem interest, quod sileat Corporis S. Clementis donū? an fortè propter ejus silentium, de falsitate erit suspecta hæc translatio? utique silet donum Imperialis sceptri, quod etiam in honorem sui ordinis Benedictini cedebat, an ideo donatio sceptri erit falsa quod eam siluerat Leo Ostiensis? Si illam mentionem subdole insereret Berardus, tribus posterioribus Diplomatibus, fortè illam inseruisset in primis antiquioribus, aut in omnibus. Quod verò attinet mendosam scriptionem Indictionum, & annorum, dico, cum C. V. Mabillonio *lib. 2 de re Diplomatica Cap 4. Pag. 82.* Lothario Augusto in Imperium succedens Ludovicus ejus filius, eo nomine secundus, Patris formulam in literis suis retinuit, ut probant sex ejus Diplomata. *Et Cap. 27. Pag. 205.* ait: cujus plura monumenta cum annis Incarnationis passim leguntur in Italiæ sacræ *Tomo 5.* sed vereor, ne à Recentioribus adjuncti sint isti anni. Tum quia in Chronico Casauriensi multa ejus occurrunt acta, sine

annis Incarnationis. Tum quia unum ipsius Ludovici Diploma exstat in Italiæ sacræ *Tomo 6.* cum annô Incarnationis Dominicæ, quod idem absque hac nota habetur in Spicilegii *Tomo 5.* ubi Chronicon Casauriense editum est, ex quo intelligas, multis aliis Diplomatibus adscriptos fuisse à Posteris annos Incarnationis. Et sic concludit vir Doctissimus: *nec illa,* inquit, *ob eam additionem spuria censenda esse in pervetusto Necrologio nostro Germanensi signatur 19. Kalendas septembris, depositio Hludovici Imperatoris Romanorum.* Hæc ille. Causa ergo illa est, cur mendosæ indictiones, & anni observentur in his Diplomatibus, quia illi, quia ea exscripserant ex Autographis, minori acuratione usi sunt, & hi sunt Ughellus, & Dacherius, de primo ita dicit Muratorius: Ughellus nonnulla Privilegia protulerat, quæ annos Chronographi excedunt. De secundo Baluzius in notis ait: Excerpta hæc Dacherii prorsus malè sunt digesta. Quod verò spectat ad Indictionem mendosam, cum eodem Mabillonio dico *Pag:* 242. additiones, Incarnationis, Indictionis, Glossematum, aliorumq; similium, maximè in excerptis, seu Apographis, non officere Instrumentorum veritati, quandoquidem venerabilis Beda hæc admisit in rescriptum Honorii Papæ. Utique in codice Iustiniano,

& Theodosiano, multi sunt nævi, unde ea Chronologiæ confusio nata, quam hodie restituere operosum sæpè videtur. Quod si tot nævi maximè characterũ chronologicorũ nõ obstiterunt, quo minus per orientẽ & occidẽtẽ hic codex per Gallias, & Hispanias evaserit in legem, etiam excipi non possunt chartarum instrumenta, quominus fidem mereantur, etiamsi nævi Chronologici in in illis reperiantur. Deinde licèt Indictiones discrepent ab annis Incarnationis in his Diplomatibus Ludovici, hoc tamen nihil obstat eorum sinceritati, quia illo sæculo, & posteriori Indictiones non incipiebant fortè ab annis Incarnationis; Nam duo ex allatis Diplomatibus sine annis Incarnationis, signantur, tertium cum anno Incarnationis ut observanti patet. Quod prodit, & sapienter advertit in Diplomate Berengarii, Franciscus Pagius *Tomo* 3. Criticæ Baronianæ, *Pag.* 812. illud enim Berengarii Diploma dicitur scriptum indictione quinta, sed locò Indictionis quintæ, ait Pagius, suspicor legendum esse, Indictione sexta, quia toto hoc & sequenti sæculo non adverti in Italia, Indictiones cum annis Incarnationis Inchoatas fuisse. Ex hoc Diplomate, Hadrianus Valesius, in notis ad carmen panegyricum de laudibus Berengarii Augusti *Pag.* 231. ubi illum refert ex libro Instrumentorum Monasterii Piscariensis, seu Casauriensis, qui in Bibliotheca Re-

gia

gia servatur, rectè collegit, Sigonium *lib. 6. de Regibus Italiæ*, aliisq;, qui Berengarii Imperium cum anno 915. connectunt, hallucinatum esse. Nihil quoque obstat sinceritati Diplomatis Chuonardi Imperatoris, quod absq; Indictione, & anno prolatum sit, quia ut observat idem Mabillonius *lib. 3. de Diplomatica, Cap. 5. Pag. 236.* editionis emendatæ, nec illud prætereundum, quod exordia seu Conclusiones Instrumentorum complurium resecavit Collector [Piscariensis] ne volumen voluminis modum excederet. Quamvis verò in Ottonis, & Henrici Imperatorum Diplomatibus S. Clementis Martyris tantum, sine additamento Pontificis habeatur memoria, hoc etiam illis instrumentis Cæsareis nihil officit; quia illi Imperatores loquuntur juxta narrationem, & fidem prædecessorum suorum. ita enim dicit Henricus in suo Diplomate: Iuxta præcepta Prædecessorum nostrorum Regum, ac Imperatorum, at Prædecessores ejus, Ludovicus Berengarius, Chuonardus, loquuntur de Corpore S. Clementis Martyris & Pontificis, igitur in hoc sensu quoque locuti fuerunt Otto, & Henricus. Tot ergo evidentissimis testimoniis vindicatum Corpus Sanctissimi Pontificis, & Martyris Clementis, imprimis vindicatum veritati, deinde Gloriæ Christianissimorum Regum. postremò Piscariensis Abbatiæ honori, licèt

modicis

modicis meis viribus, quantum licuit, & tempus à cõsveto, studio, & docendi munere mihi supererat; vindicatũ tamen eo animò, ut hoc in præsenti sit in prætio & veneratione, qua olim fuit in eadem Basilica habitum & veneratum. Optimam spem habeo in pia solicitudine Sanctissimi, & clarissimi Ordinis Cælestini, cui hujus thesauri custodia, post tot devastationes, à Sanctissimo D. Benedicto XIII. Ordinis Prædicatorum, summo Pontifice tradita est, quod suo decori restitutâ Basilica, & Monasteriò, suo quoque honori, & pristinæ venerationi tanti Pontificis, & Martyris Corpus restituetur, nè propter inanem contentionem, ejus cultus in eo loco minuatur, in quo indies deberet augeri.

CAPUT XIX.

De Elogiis SS. Patrum,
Quibus celebratur S. *CLEMENS PAPA.*

S. PAVLVS APOSTOLVS.

Mecum laboraverunt, in Evangelio cum Clemente. & cæteris Adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.

Epistola ad Philip: Cap: 4.

S. DI-

Si autem vult Clemens Philosophus ad aliquid dici exemplaria, quæ sunt in rebus principaliora, progreditur quidem cum sic loquitur, non per propria, & simplicia nomina.

De Divinis Nominibus Cap: 5. n. 9.

S. IGNATIUS EPISCOPUS & MARTYR.

Utinam fruar vestra Sanctimoniâ, ut Eliæ, ut IESU Nave, ut Melchisedech, ut Elisæi, ut Ieremiæ, ut Baptistæ Ioannis, ut Clementis, qui in castitate è vita excesserunt.

Epistola ad Philadelphios.

Cui successit ad præsens digne Beatus Clemens, Petri, & Pauli Auditor.

Epistola ad Mariam Proselytham.

Ministrantes Episcopis, sicut Christus Patri, S. Stephanus B. Iacobo, & Clemens Petro.

Epistola ad Tralianos.

Cui successit Beatudine dignus Clemens, Petri, & Pauli Auditor.

Epistola ad Tharsenses.

S. Ignatii sacra lipsana Antiochiâ Romam translata in Ecclesia S. Clementis condita fuêre, hos Sanctos Martyres ita egregio Carmine celebrat Andreas Matrianus in Ruinis Romæ:

Quam

Quam benè conveniunt parili quos ordine junxit
Gloria Romanæ ſedis, & Antiochæ.
Anchora vos merſit, vos contrivere Leones;
Veſtra ſepuchra feræ, veſtra theatra mare.
Quam benè conveniunt, parili quos ſorte necavit,
Anchora dente tenax, & Leo dente vorax.

S. HERMES APOSTOLORUM DISCIPULus.

Scribe duos libellos, & mitte unum Clementi, & unũ Graptæ, mittet Clemens in exteras civitates, illi enim permiſſum eſt.
Libro 2. viſione 11.

TERTULLIANUS

Sicut Smyrneorum Eccleſia Polycarpum à Ioanne cõſecratum refert, ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit. Quem ſequitur Clemens, is Apoſtolis benè notus.
In carmine ad Marcionem, & de Præſcriptionibus.

S. CLEMENS ALEXANDRINUS.

Apoſtolus Clemens ipſe quoque nobis, quandam formam ejus, qui cognitione præditus, deſcribens, dicit:
lib 1, ſtrommatũm Pag. 289.

S. DI-

S. DIONYSIUS EPISCOPUS CORINTIORUM

Hodie Sacrum diem Dominicum transegimus, in quo vestram legimus Epistolam, quam quidem perpetuo legentes, perinde ac priorem illam nobis à Clemente scriptam, unde optimis monitis instruamur habebimus.
Epistolâ ad Soterem Papam.

S. IRENÆUS EPISCOPUS.

Tertio locô ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens, qui & vidit ipsos Apostolos, & contulit cum iis, & cum adhuc insonantem prædicationem Apostolorum, & traditionem ante oculos haberet.
Lib. 3. contra Hæreses Cap. 3 Pag. 176.

ORIGENES.

Clemens ille fidelis, de quo hunc in modum testificatur Paulus dicens: cum Clemente, &c:
In Cap. 1. Ioan.

S. NILUS.

Non Apollo Alexandrinus Vir eloquens, rigator Discipulorum CHRISTI, non Clemens Romanus Philosophus.
Lib 2. Epist: 49. Pag: 140.

S. HIERONIMVS.

Clemens Vir Apoſtolicus, qui poſt Petrum Romanam rexit Eccleſiam.

In Iſaiæ Cap. 52.

Clemens ex Philoſophio magnæ doctrinæ vir, qui Romæ Epiſcopus fuit.

In Ep. ad Philip. Cap. 4.

Clemens ſucceſſor Apoſtoli Petri, cujus Apoſtolus Paulus meminit, ſcripſit Epiſtolas.

Lib. 1. adverſus Jovinianum.

RVFFINVS AQVILEIENSIS.

Clemens Apoſtolorum Diſcipulus, qui Romanæ Eccleſiæ poſt Apoſtolos, & Epiſcopus, & Martyr præfuit.

S. LEO MAGNVS.

In Concilio Vaſenſi appellat S. Clementem Beatum Martyrem Et in Præfatione ſecunda ex MSS. Vaticano collecta, & vulgata à Cardinali Thomaſino *Pag* 229. ſic laudat S. Clementem *S. Clementis hodie Sacerdotis, & Martyris Tui feſtivitate gaudemus, quem B. Petri eruditionibus inſtitutum, & in Pontificatum Apoſtolicæ ſedis evectum, atq; in Martyrii inclyti fine, gloria*

riâ cornatum habitatio cælestis excepit. In præfatione verò tertia ita laudibus effert eum: Quoniam per Spiritûs S. largitatem Beatus ille Clemens hodiernæ nobis exultationis effectum magnificæ passionis agone sacravit. Qui modo nobilis, amore Christi nobilior, pio labore conspicuus, Apostolicæ prædicationis fidelissimus & alumnus acceptus, Sacerdos effulsit egregius, & Martyr insignis.

ZOZIMVS PAPA.

Resedimus in S. Clementis Basilica, qui imburus B. Petri Apostoli Disciplinis, tali magistro veteres emendasset errores, ratosq; profectus habuisset, ut fidem quam didicerat, & docuerat, etiam Martyriô consecraret,

Ep. 3. ad Africanos.

S. BASILIVS MAGNVS

Sed & antiquior Clemens, vivit, inquit, Deus, & D. IESVS CHRISTUS. & Spiritus Sanctus.

Lib. de Spiritu S. Cap. 29.

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS.

Clemens unus ex Comitibus ejus fuisse colligitur, cum de ipso scribat: cum Clemente, & cæteris adjutoribus

meis. In Præf. Epistola 1. ad Tim. Tomo 4. Pag. 628.

S. GREGORIUS MAGNUS

In hac die, quam B. Clementis Passio consecravit, & nobis venerabilem exhibuit, quia Apostolica prædicatione imbutus, doctrinis cælestibus educatus, successionis dignitate conspicuus, & Martyr insignis, & Sacerdos efulsit egregius.

S. ATHANASIUS

An non audivisti Clementem, Petri Apostoli sectatorem, qui hujusmodi opinionem subruit.
Contra Arium Tomo 1. Pag. 135.

S. EUCHERIUS EPISCOPUS LUGDUNENSIS

Clemens vetusta prosapia Senatorum, atque etiam ex stirpe Cæsarum, omni scientia refertus, omniumque liberalium artium peritissimus, ad hanc justorum viam transiit, itaque etiam in ea excellenter effloruit, ut Principis quoque Apostolorum successor extiterit.
In Epistola ad Valerianum Pag. 800.

S. PROCLUS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS

Permulti quidem, & alii ex eorum numero, qui San-
ctis

ctis Apostolis successerunt, Pastores. & Doctores Ecclesiæ, pietate insignes, mysticæ Liturgiæ expositioně inscripto relictam, Ecclesiæ tradiderunt. Inter hos vero facile primum locum obtinet Beatus ille Clemens, qui Apostolorum Principis Discipulus, & ejusdem successor ab ipsis Sanctis Apostolis declaratus fuit.

De Tradit: Divinæ Liturgiæ Tomo 5. Bibliotch. P. P. Parte 1. Pag. 542.

S. REMIGIUS.

Clemens Philosophus fuit, sed postea Discipulus Apostolorum Petri, & Pauli factus, præfuit Ecclesiæ Romanæ Præsul, & pro Christi nomine in mare est præcipitatus.

In Bibliotch. Patrum Tomo 5.

NICEPHORUS.

Clemens Romæ illustri loco natus, genusq; suum ad Imperatores Romanos referens, Fausti, & Mathidiæ Filius, Athenis Græcorum disciplinis eruditus, atque in omni genere scientiarum summè exercitatus, Apostolorū Principis familiaris fuit.

Lib. 2. Capite 35.

IVO CARNOTENSIS.

Iste est Clemens Papa sapientissimus, atque Sanctissimus, qui

qui magnificos viros in Gallias ad prædicandum destinavit, Dominicæ fidei fundamentum. Lugdunensibus Photinum, Narbone Paulum, Turonis Gratianum, Cænomanis Iulianum, & alios, per quos per illas Regiones Fidei doctrina profecit, & immensæ multitudinis populus ab idolorum cultura recessit, *in Chronico MSS.*

CEDRENVS.

Clemens ille Romanus, sapientissimus Discipulus Petri, Comesq; enarravit.

ANASTASIVS ANTIOCHENVS.

Sanctus autem, & Apostolicus Doctor, Clemens.
Quæstione 96. Pag. 526.

TRECVLPHVS EPISCOPVS

Fidelissimè Apostolicam doctrinam Beatissimus Clemens est secutus.
Bibl. PP, Tomo 9. Parte 2. Pag. 508.

S BERNARDVS ABBAS

Acceperat B. Clemens nobile genus, amplas possessines, hæreditatem multam, scientiam quoque quam plurimam, ita ut optimus quidem illius temporis Philosophus haberetur. Et infra dicit: Consideravit B. Clemens uinum sibi appositum esse à Domino, & ipse quoque, quo-

quoniam dives fuit, ad nuptias illas, vinum nihilominus proprii Sangvinis effusione potavit.
Sermone de S. Clemente.

S. THOMAS de Aquino *ANGELICVS DOCTOR* Ordinis Prædicatorum.

Aquæ multæ nõ potuerunt extingvere charitatẽ Cant. 8. Satis patet, quomodo hæc verba conveniunt S Clementi, tanta enim in eo fuit charitas, quod omnes aquæ maris non potuerunt eam extingvere. Aquæ multæ, id est marinæ, quod est omnium aquarum congregatio, in quo fuit submersus B Clemens. Sunt quatuor actus charitatis specialiter, qui fuerunt in B. Clemente. Primus actus est, vnire diligentem cum dilecto, id est hominem cum Deo. Secundus, vivificare. *Augustinus lib. de Spiritu, & anima.* Quid est charitas, nisi vita copulans diligentem cum dilecto. Tertius, diligere. Dionysius amorem, inquit, sive Divinum, sive Angelicum, sive intellectualem, sive actualem dicimus, quandam unitivam virtutem. Quartus actus charitatis est, desiderare præsentiam dilecti continuam. *Augustinus lib de moribus.* Charitas est rectissima animæ nostræ conversio, quâ nos jungimur Deo. *Sermone de S. Clemente.*

S. VINCENTIVS FERRERIVS Ordinis Prædicatorum.

Solennitas

Solennitas præſentisdiei eſt unius glorioſi, & mirabilis Martyris B. Clementis. Tempore Apoſtolorum B. Clemens erat Romæ, quæ tunc florebat, filius magni Domini, adhuc vivebant aliqui Apoſtolorum, ut B, Ioannes, & Iacobus minor, & multi Diſcipulorum, ut Lucas, nullum nominavit B. Petrus, niſi B. Clementem, in quo concluditur maxima ſanctitas vitæ, & excellentia B. Clementis, ſed ipſe excuſabat ſe humiliter, nominavit Beatum Clementem propter eminentiam ſapientiæ, & potentiæ ad faciendum miracula.

Serm. de S. Clemente.

IACOBVS de Voragine *ARCHIEPISCOPVS*. Genuenſis Ord: Præd.

Clemens dicitur à Cleos, quod eſt gloria, & quaſi glorioſa mens. Habuit enim glorioſam m. ſcilicet purgatam ab omni ſorde ornatam omni virtute, & decoratam nunc omni felicitate. Vel dicitur à Clementia, quia Clemens, & miſericors valde fuit. Vel ſicut dicitur in Gloſſario. Clemens dicitur dulcis, juſtus maturus, pius, juſtusin actione, dulcis in ſermone, maturus in converſatione, pius in intentione.

In Hiſtoria Lombardica

Habet de eodem duos egregios ſermone, in quorum primo

primo ita eum laudat. Successit B. Petro in tribus, scilicet in Pontificali dignitate, Fidei veritate; & vitæ sanctitate. Multos ad Fidem convertit ita, ut uno die quingentos, & amplius baptizaverit. Tanta morum honestate pollebat, quod Christianis, Iudæis, & Gentilibus complacebat. Pavit temporali subsidio, unde legitur, quod omnium pauperum, viduarum & orphanorum nomina scripta haberet, & eis sufficienter provideret. Fuit Doctor gratiosus, prædicabat miraculis, & exemplis, & & ideo movebat.

BENEDICTVS XIII. PONTIFEX
Maximus Ord: Prædicatorum.

E, [cio, che piu è da stimarsi] per ministero di Angeli diede nobile sepultura à S.Clemente Martyre nel mare.
Serm. 7. de Purgatorio.

B. ALBERTVS MAGNVS Ord: Prædicatorum.

B. Clemens ab omni malitia recesserat, propter quod dilexerunt eum Iudæi, Pagani, Christiani, ipse Filius Dei & Sancti. Angeli.
Serm. 1. de S. Clemente.

GVILHELMVS PEPINVS.
Ord: Prædicatorum.

Celeberrimum habet sermonem in laudem S. Clementis, comparans illum cum Moyse, quia fuit mitissimus, sicut Moyses, fuit mirabilis in aquæ inventione indicio agni, sicut Moyes percussit Petram, & fluxerunt aquæ, Moysi semel mare divisum fuit, Clementi quolibet anno, Moyses ab Angelis sepultus, & nemo novit sepulchrum ejus, Clemens sepultus ab Angelis in mari, à quâ maris tectus;

Hic sermo legi potest in opere Pepini.

HUGO à S. Charo primus, *S R E CARDINALIS.* ex Ord: Prædicatorum Super illud:

* Transivimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium ait. Laurentius ad litteram ibi intravit per ignem, Clemens vero per aquam.

* Comment. in Psal. 61. Pag. 163.

Eris sicut dormiens in medio Maris. *Prov.* 23. & erit sepulchrum ejus gloriosum.

Isaiæ 11.

In hoc assimilatur [S. Catharina] S. Clementi, cui Angeli in Mari monumentum fabricaverunt.

Jacobus de Voragine serm. 2. de S. Catharina.

CORNELIUS à Lapide è Soc: IESU.

Dei prima dos, nomenq; proprium, quod sibi indidit,

est

eſt Clemens. Vidi, & ecce agnus ſtabat ſupra Montem Sion, & cum eo 144. millia habentes nomen ejus & nomen Patris ejus ſcriptum in Frontibus ſuis, & audivi vocem tanquam aquarum multarum *Apoc. Cap.* 14. *& Cap.* 7. Agnus, qui in medio Throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum. ait: *Fuit enim ipſe Clemens Agnus, Agni DEI aſſecla, id eſt virgo, & ob virginitatem Martyr paulò poſtquã hæc ſcripſit Ioannes, ut ad eum hic alluſiſſe videatur.* Imò ſub Clemente Pontifice, & quæ hæc dixi, inchoante, ſcripſit Apocalypſim, & hæc ipſa S. Ioannes. Videtur ergo Domitillam, & alias Virgines tam florẽtes, & pro Virginitate Martyrium obituras, ad hoc fortiter obeundum, hac viſione, hiſce encomiis Virgines animare, & roborare voluiſſe.

LVDOVICVS ALCAZAR è Soc: IESV.

Et exièrunt Septem Angeli. *Apoc:* 15. ℣ 6. Primus Angelus eſt S. Paulus, qui præcipuus eſt in cũctis hominibus de peccato arguendis. Secundus Angelus eſt S. Petrus, ipſe enim Neronem ſua prædicatione irritavit. Tertius Angelus eſt S. Clemens Papa, qui egregius fuiſſe dicitur in Gentilium plurimis ad Fidem adducendis, & ad Martyrium animandis,

AVGVSTINVS OLDOINVS
è Soc: IESU

Romam versus Antiochiâ Petrus agressurus iter, secũ duxit in locum Clementem Mathidiæ Filium, Romanorum nobilissimum, & Augustorum consangvineum.
In notis ad Ciaconium Tomo I. vitæ Rom, Pont, Pag. 46.

RAVLINVS Ord: Prædicatorum.

Si ergo judicavit Paulus, ipsum esse scriptum in libro Prædestinationis Divinæ, sequitur, quod jam eũ Sanctum judicavit. Aliqui transierunt per ignem ad Cælum, ut Laurentius; alii per aërem, ut Petrus, & Andreas suspensi, alii per terram, ut sepulti vivi & alii per aquam; ut Clemens. Si talem mansionem habuit cadaver exanime, qualem locum habet anima Clementis?
Serm. de S. Clemente.

NICOLAVS GORRANVS Ord: Prædicatorum.

Si jubes, vadam in agrum, & colligam spicas, quæ fugerunt manus metensium, ubicunque Clementis in me Patrisfamilias reperero gratiam,
Ruth. Cap. 2.

Vadam in agrum, id est in Galliam, colligam spicas id est, covertam infideles, Clementis à B. enim Cle-

mente

mēte fuerūt miſſi, Dionyſius,& alii,qui cōmēdatur ex tribꝰ, ex nomine,in quo manſvetudo,celſitudo & Sāctitudo.

ÆGIDIVS COLVMNA CARDINALIS.

Clemens juxta duplicem ſuſceptionem, bis computatur fuiſſe Papa, ut primo fuerit poſt Petrum ſecundus, & poſtea quartus.

In Bibliothea maxima Patrum Tom 1. Pag. 60.

RVDVLPHVS CVPERS.

Inſtantibus tot Eccleſiæ perſecutionibus, quaſi ſibi innoteſcentibus D. Clementem in ſucceſſorem ſuum (Petrus) elegit, uti Virum magnæ Sanctitatis, fortiſq; virtutis, ac prudentiæ.

Tom 19. Pag. 150.

VENDELINVS

Clemens ad primum famam Chriſti jam in Cælum recepti, vivente adhuc Tyberio, juvenis fuit florentis ætatis, judicii limati, doctrinarumq; ſublimiorum avidi, Ioanni Evangeliſtæ coætaneus, & planè coævus. Cherſonæ in Ponto, poſt exilii ſui quinquenniū occiditur. Quot verò tunc annos habuerit Clemens & ſi non legimus proditum, conſtat tamen non multo minorem fuiſſe centenario. valde ſenem utique fuiſſe oportet, cum Clemens jam decrepitus obiêrat annô noſtro 100.

In notis Tomo 1. Labbæi.

Martyri inclyto tam ſuperſtiti, quàm vita functo, cælũ, tellus, fretum, Angeli favêre.

Tomo 1. Bibli: Patrum Pag. 112.

IOANNES MASCULUS

Inter metallorum venas, patefecit aquarum venas ut lapicidarum lacrymas ſiccaret, marmora liquavit. Mergitur Clemens in mare onuſtus anchorâ, amaris damnatus aquis, qui exhibuerat dulces, accepit libenter anchoræ Omen, ut eluderet procellas. Cum excidebat in Litomiis ſaxa, extruebat ſibi ipſe aras, & Templa. Quam feliciter hic gubernavit Religionis navim, cui ſcopulos in uſum delubri obtulit mare

In Encomiis SS, Tomo 1.

HUGO FLORIACENSIS.

Clemens Vir ſapientiſſimus ab ipſo Petro conſecratus, Romanam regendam ſuſcepit Eccleſiam, qui & ipſe non multò poſt maris gurgitibus immerſus. pro nomine Chriſti complevit Martyrium.

Lib 4. apud Balutium Tomo 4.

WOLFGANGUS LAZIUS

Clemens Petri in Episcopatu ſucceſſor fuit, quo veluti amanu-

amanuensi usus est etiam Paulus Apostolus. *Apud Gruterum in Præf.*

PHOTIUS

Hic Clemens ille est, de quo B. Paulus in ea, quæ ad Philippenses Epistola, scripsit Epistolam quæ à pluribus tanto in prætio est habita, adeoque laudata, ut etiam publicè legi soleret. Hunc Clementem alterum à Petro Urbis Romæ Episcopum fuisse quidam autumant, alii verò quartum. *in Bibl. Pag. 290.*

IOANNES BAPTISTA MANTUANUS.

Carmelita.

ALtera Clementi lux tinnula verberat æra,
Spargit humum redolente thymo, suspendit ad aras,
Virginea, laurus, & purpureos amaranthos.
*N*am cum, cessat humus flores proferre, coronas
Transit in hybernas, lepidis amaranthus in undis.
Lotus, & hæc primum reparat medicina colorem.
Hic Romanus erat, natus ex primoribus Urbis
Ore, clientelis, ac sangvine clarus, & auro,
Hunc sibi mandavit Petrus succedere tanti
Instituens Regni hæredem, Reverentius autem

Præ-

Prætulit ipse sibi geminos Linumq;, Cletumq;,
Insignes pietate Viros, ætate priores
Addeque hunc morem de successore creando,
Taliter expungi pænitus, ne forsitan illinc
Sumeret ambitio vires, debere putavit.
Hic quia Faustinam magni de sangvine Nervæ,
Sisiniumque virum illustrem cum conjunge Christo;
Subdiderat, Româ procul ablegatus ab urbe,
Hellespontiacæ petiîtconfinia terræ,
Pervenitq; Parens, lapides, ubi multa secabant
Millia, Christigenum, parios, quibus alta theatra
Templa Deum, Regumq; Domos ornare solebant,
Ut didicit, quod magna foret penuria genti,
Dulcis aquæ, miserans turbam, præce movit Olympum,
Nec mora, sublato vidit pede velleris agnum
Albicomi stantem, vicini in vertice saxi,
Accessit, ferroq; locum percussit acuto.
Ecce latex fluit ubertim de marmore fracto,
Atque cogit, qua terra cavo submittitur agro.
Et quia magnus ad hæc miracula littrè ab omni
Græcorum concursus erat, ne Templa Deorum
Desolata forent, Trajano à Cæsare missus
Aufidianus, ad hoc littus, tentavit eorum
Immutare animos, Christumq; abolere minando,
Ast

Aſt ubi ſe fruſtra niti cognovit, in ipſum
Deſevire caput ſtatuit, juguloq; ligato
Anchora in ægeas Clemens demergitur undas,
ſed cum Chriſtigenæ ſtarent ad littora triſtes,
Et ſimul ob tanti Patris diſpendia flentes,
Corneli, Phæbiq; preces fecêre marinos
Ire procul fructus & iter præbere per alta
Æquora murorum in ſpeciem pendentibus undis.
Ergo introgreſſi paſſûm tria millia, Templi
Inſtar opus videre novum de marmore, & album
Sarcophagum cum Reliquiis, ſtabatq; ſepulchro
Proxima, quæ fuerat funeſti conſcia caſûs
Anchora, in abſtruſo maris hæc habitacula fundo,
Condidit ipſa ſuo Divina potentia Teſti.
Mox ubi diſceſſit populus, via clauſa repente,
Et vada conſtravit pelago ſalis unda relapſô.
Dicitur hunc morem, per ſæcula longa quotannis
Obſervaſſe fretum, nam cum natale redibat,
Martyris, excluſô dicebat ſeminata, Pontô,
Turmatim populos uſque ad ſubaquatica templa,
Sed ſenſim labente fide cum tempore Divi
Authores iſtorum operum mortalia regna
Deſpexêre malis offenſi moribus, atque
Neglecti à nobis, nos neglexêre viciſſim,

Sic periêre. Fidem decorantia plurima nostram.

IOSEPHUS SILOS CLERICUS

Regularis, Theatinus in Mausolæis Pont: Rom:

CLemens primus maximus Pontifex, olim in Pelago Tumulum, terras nunc beat suo cinere. Natus Romæ in Regione Cælli montis, futurus Insulâ Cælio ipso monte sublimior, ac Cælo propior. Sangxis Cæsarum, visus tanta dignus Origine, quod contemplerit. Romanæ Ecclesiæ gemellus cum ipsa natus. *Post* quam pristinum Clementem undis lustralibus *Petrus* mersit. Administer *Petri* & Auditor *Pauli*, ex utroque unus conflari debuit Clemens qui postea cum *Petro* regeret, cum *Saulo* erudiret *Pontificia* instituit ornamenta, ut oculos diverberaret vibrans in Infulis virtus, ai gnoscerentq; in honore vittosæ frontis collata capiti vices, & vim Numinis Rudimenta nascentis Ecclesiæ lingva expoliebat, & calamo; æquè facundus, seu tacitus scriberet, seu lequeretur disertus sunt in pretio ipsa nunc scriptionis fragmenta, ut agnoscas à scribentis nõ manu.

manu, sed digito fundentem olim monstra Herculem, Ut exulent Româ Idola, ac superstitio, dum curat, trâns mare Ponticum ipse exultat Inter Euxini hiemes, ac tempestates, nihil illo serenius. Illò ductus ubi centena Christianorum millia secabant marmora. Quovis ille marmore durior, si pectus inspicias. Chersonæ solitudinem in hortorum amænitatem sui præsentia statim vertit. Nec defuêre ad delicias salientes aquæ, erumpentibus mox ad sitientium levamentum undis, visus nempe manâsse ab agni pede fons, verius, quam ab equi ungula. Gliscente vero Fide erupêre præ lætitia è Clementis oculis fontes; veluti & ipsa vellet abluere lacrima, qui ad Baptismum mortales confluerent. Quæ restingvere flammam, unda debuit, adauxit. Excadescente ad hæc Cæsare, jussit suspensa ad collum anchorâ Clementem mergi. Bonum factum, evasit in navigium anhorâ, hac ille in Cælum velificat felicissime. Quos pertimesceret fluctus, firmatus anchorâ, anchoram habet, securus Pelagi est. Quodsi mersit hæc anchora Clemete, sic mersisse, invexisse in portum fuit. Sed ecce tibi spectaculum plane jucundissimum, ad quandam veluti reverentiam, recedente Pelago, templum comperiunt cultum marmore, quod non dixeris fundatum in arena. In Templo Tumulus Clementem exce-

 perat

perat, conſepultum ſemel undâ & iterum urna. Prope aderat ſacra anchora, aderat nempe immersabili pignori, quod merſerat. Vides, addi pelagi monſtris portenta, vides congeminari Ionas, alter Templo exceptus, dū mergeretur, alter cætum in Templum mutat, dum orat. Uni pro urna fuit alvus belluæ, alteri urna pro alvo belluæ. At diu moratur Cherſonæ Clemens, ſuâ fortè detentus, anchorâ. Tandem ſeptingentis poſt annis Romam redit. Venientem tumulô condit, qui cunas dederat mons Cælius, hic anchoram jecit ſuam.

IOANNES PALATIUS
in Monarchia S. PETRI.

GRadum, ſi neſcis, Clemens dabit, Primus eſſe potuit, quia juſtus Quartus eſſe voluit, quia Clemens. Avorum gloria nobilis, nobilior ſua. In Cælio natus, Cælum nactus, Deerat Sanctis Fvangeliſta, ſupplet Cæleſtis Chirogogus Clemens, qui jus ſcribens nō ſcriptum, Synagogam docuit, quid de Eccleſia ſentirent Apoſtoli. Pretioſa adhuc ſuorum ſcriptorum reliquit fragmenta. ut ex digito metiri poſſis, quanta fuerit manus ſcribentis, quæ certare potuerit cum Lingva

loquentis

loquentis, Corpus in ſcholam aperiens, ferula virginitatis ſuæ libidinem corripuit alienam. A Pontificibus tandem Quartus, vel Quater Pontifex, quod quater Triregnum recuſavit. Prothonotarios excitavit exemplò, colligere Sangvinem Martyrum, & Sanctorum vitam sublatam ſcopulo, calamo commendare; Chriſti cauſam reputans ſuam. Et cum omnibus non ſit datum adire Corynthum, quamvis viveret Dei electus, & dilectus Ioannes, qui verbum, quod hauſerat ex ſinu DEI, novatores reſonaret in Græcos. Solus tamen Clemens Græcos pacavit, quod Solius Petri eſſet, de Evangeliſta Fidem facere, & Evangelio. Sic Petro commendatur Eccleſia, Maria Ioanni, Mater huic, ſponſa illi. Primus itaq; Clemens, qui Chriſti ſponſam ne nudam conſpiceret, pallio cooperuit, & in veſtitu deaurato circumdedit varietate. Sic Clemens omnibus, quia idolis inlemens. Ad dolanda marmora miſſus in Pontum (*centena Chriſtianorum millia ſecabant lapides.*) In lapicida Petram miræ profectionis excudit. Quem Petrum dicerem, ni lapideæ ſoliditati obſtaret Clementia. Agnus aquas, ut olim è latere, nunc emittebat ſub pede. Nec aliter ſperandum, de Trajano, qui ſine anagrammate Chriſtianus Tirannus erat. Volens ſpem cũ Fide perire, per anchoram Pontificem demergi juſſit,

ut

ut mari damnaretur amaro, qui dulce dederat. Alio mitti nō poterat, quam in *Pelagū*, ſudore madidus, Intravit æquanimꝰ aquarū profūda quod ſcivit inmedio aquarū poſitū firmamentū, Et alligatam ſalutis pignus collo geſtaret anchoram. Quid ultro procellas timetis nautæ habetis anchoram. Hæc ne fugiat, Sancti collo alligatur, Dulce naufragium, inter aquas mortis, ebullire ſangvinem vitæ. En novum prodigium, vomere exuvias mare noluit in littus, lapidem in Clemente agnoſcens pretioſū, quem reprobaverunt ædificantes, repoſuit in Caput Anguli: Receſſit mare, dum Clemens, exceſſit & *Pontificis* celebraturæ natalia aquæ, aqueo cæmenti ſtipantes delubrum, novum dedêre Mauſoleum Ubi Clemens undâ ſepelitur, & urnâ Angeli ſolidaverunt mare. Vel ambulanti *Pontifici* aſſurrexit reverens maris unda. Dic ab aquis honorari, qui in medias ipſas Eccleſiam protulerit, & Angelos *Piſcinâ* deſertâ deſcendiſſe in mare, ut cæcis, & claudis portum monſtraret ſalutis. Ni ſibi dicas Clementem extruxiſſe ſpolæum, cum in Latomiis ſaxa poliret, ſuis excitanda delubris Vivens cum precibus aquas è rupe manaſſe fecit mortuus eas ſiccavit annuatim in mari ut *Pharaoni* vadum aperiret ad vitam. Quam felix hic religionis gubernavit navim, dic mare, quod ſcopulos obtuliſti in aras. Ro-

mam tranſlatus, noluit Cælo, ſed Cælio concedere anchoram ſuam, quod eâ indigeret navicula Petri

GARMINA DE SANCTO CLEMENTE

Autchoris pii anonymi

I.

FElix Roma, tui nomen amabile,
Clementis memora, quem placido ſinu,
Fovisti genitrix, laudibus annuis
Sanctum Pontificem cole.
Viderunt Patrii, columina cælii,
Naſcentem Puerum ſugere candidos
Mores, & docilem Diſcipulum Petri
Tanto creſcere mumeri,
Hoc Doctore tenax pectore cereo
Primevæ Fidei dogmata combibit
Quæ late populis dividat, impiger
Pauli legiferi Comes.
Sudores pretium grande tuos manet
Christo namq; vagus, dum nova Principi
Quæris Regna, libro ſcriberis aureo,

Dignus

Dignus ſcandere ſidera.
Quem ſtellata poli jam Domus invidet
Terris, unanimes Chriſtiadæ petunt
Tutorem viduæ plebis, & alterum
Romanæ Cathedræ decus.
Sit rerum Domino maxima laus Patri,
Nato par ſit honor, parq; Flamini,
Paſtores vigiles qui legit, & ſui
Plenos numinis excitat.

II.

SUffectus aris Pontifex
Clemens, vices implet Petri,
Curaſq; Paſtor optimus,
Partitur in charum gregem.
Debetis illi plurimum,
Palmis revincti Martyres
Quo ſtat perennis vindice
Veſtri triumphi gloria.
Majora debes Præſuli
O! Roma cui vigil ſtudet,
Sanctis præ eſſe moribus,
Claraq; virtutis face.
Ab ore paſſim melleo
Fluenta doctrinæ ſcatent,

Quibus rigata germinat,
Floretq; Cælestis Fides.
Non sola servavit sibi
Rivos salubres Civitas,
Hinc inde manant jugiter
Orbisq; fæcundant plagas.
Haurimus & nos posteri
Largas opes scientiæ,
Chartæ fideli creditas,
Sæclis legendas ultimis.
Patrem canamus luminis,
Ortumq; tuum Filium,
Illisq; Spiritum parem,
Fons unde virtutum fluit.

III.

I, Fides quo te vocat asserenda
Iam sacris urbem satis imbuisti
Legibus pernox, aliis benignus
Consule terris.
Se tuis ingens oculis arandum
Explicat littus, vagate sequetur
Turba Pastorem pigra te vigebunt
Arva colono.
Exul huc tendit, patiens laborum

Hic pios pœnæ socios iniquæ.
Nactus, exemplo monet auctor æquam
Sumere mentem.
Æstuant illi rigidum secantes
Marmor, at nullus prope currit amnis,
Qui sitim pellat, gelidisq; fauces
temperet undis.
Fervius scandit juga sicca Præsul,
Inde victrici pede suscitati
Emicant fontes, pede quos amico
Indicat agnus.
Fit salus plenis, rediviva lymphis,
Territæ rerum novitate gentes
Barbaræ, Christi facilem dedêre
vocibus aurem
Nostra Te verax Deus, ora laudent,
Qui probas Sanctos subita malorum
Mole, virtutis nova mox probata
Signa daturus.

IV.

CUi cedit oranti Polus,
Cui terra paret, Præsulem
Trajane sorbendum putas

Maris profundo gurgite.
Demens Tiranne, falleris,
vix ille Ponto mergitur,
Uncâ gravatus anchorâ,
Retro pedem flectunt aquæ.
Mirum verendam Corporis,
Molem, fugaces sentiunt
Fluctus, & arcam littore
Siccò relinquunt integram.
Huc, huc frequentes occolæ
Adeste, vos Clemens vocat,
Hic sistit, hic amat coli,
Quem fletis, ereptus Solo.
Non ille præda piscium,
Non barbarâ nudus jacet
Ripâ, probatus numini,
Templo quiescit divite.
Nam leve marmor protinus
Aptavit Angelus Faber,
Marisq; fulgens alveo
Exurgit ara Martyri.
Cunctæ Deum lingvæ sonent,
Qui fidus excubat suis
Custos, & oppressis brevi
Rependit æternum decus.

MATHÆVS CARIOPHILUS

De S. CLEMNTE PAPA

ANchora fert nautæ certam ſpes jacta ſalutem,
At certam Clemens, fert tibi jacta necem
Non temere hoc factum, merſus ſis tu anchora, mergi
Qua nunquam poſſit navis Apoſtolica.
Fluctibus in mediis Clementi nobile Templum,
Et tumba Angelico ſtructa labore datur.
Et mare demerſo, quod Ionæ viſcera monſtri
Buſta dedit, cedit, Martyris obſequio.
Cur mare fugiſti? Pſaltes quærebat, & illud:
Condi, inquit Pelago Martyris oſſa nefas.
Arca jubente Deo conſtructa ad ſemina vitæ,
Quos tulit, hos vitæ reddidit incolumes.
Arca tibi Clemens ſub aquis ad funeris uſum,
Condidit invicti Martyris exuvias.
Illa ſalus miſeris, teſtis fuit illa triumphi,
Illa natans pulchrè, pulchrius iſta latens.
Anchora Pontificem Clementem merſit in undis,
Ne jactata undas, cymba Petri timeat.
Ajax diſperiit, quia ſalſas ebibit undas,
Ebibit & Clemens, ac ſuper aſtra volat.

Non etenim est animus pars lymphæ ut credit Homerus,
    Sacratis iterum sed veneratur aquis.

Lambertus *Gruterus* Venradius in *Præfat:* operū S CLEMENTIS.

IN Scriptoribus Ecclesiæ ego præcipuum & inter primos certè non postremum posui semper B. Clementem Romanum, cur non vocem illum Apostolum quem Divinum illud organum, Paulus, suum agnovit, adeoq; prædicavit adjutorem, & collegam: totum terrarum orbem instruxit, & veluti Sol quidam præstanti luce, scientiaq; Evangelii illustravit.

Iustus Saulet in anno sacro Poëtico

SAcrorum Antistes summus, cui nobilis album
    Infula ter gemino cinxit honore caput.
Euxini procul exul abit trans æquora ponti,
    Visus ubiq; sui nominis esse memor.
Nam nullus cum rura liquor, faucesq; rigaret,
    Arvaq; torreret Syrius ora siti.
Pronus humi geminas tendens ad sydera Palmas,
    Supplicat & riguæ munera poscit aquæ.

Vix

Vix bene ſupplicibus pulſaverat æthera votîs,
Finiêratq; ſuas vix bene lingva preces.
Ecce tibi inſolitum, & cunctis letabile monſtrum,
Effoſſam pedibus ſufficit agnus aquam.
Credula gens vatum, falliq; & fallere docta
Bellerophontæum quod celebratis equum,
Elicuit, volucri nullos equus ungve liquores,
Agnus erat, placidas qui pede fodit aquas.
Et ſitit, & famæ purgari aſpergine lymphæ,
Quæ te circumſtat plurima turba petit.
Ne deſint, quibus ora riges, & crimina luſtres,
Dat famulas geminis uſibus agnus aquas.
Prægravis innocuum cur deprimit anchora collum,
Alterius cervix digna monilis erat.
Quæ merſura ſuo tibi pondere viſa natantem,
Hæc erit in medias anchora ſubter aquas.
Non hac mole fides quatitur, quæ pendula collo
Martyris in medias æquoris ivit aquas,
Scilicet & feſſas firmat gravis anchora naves,
Anchora ſic ſolidam fulciit iſta fidem.

Carolus de Aquino Soc: IESU in Elogiis. SS.

FErrea curvato ſuſpenditur anchora collo
Ille perit tumidas obrutus inter aquas.

Qui

Qui fuerat pænæ locus, & fuit ille triumphi,
A tota dignus posteritate coli.
Numinis imperio turgens procul unda recessit.
Aruit & spatio scissa patente Thetis.
Ætheris alati artifices in valle profunda
Pastori tumulum, celsaq; Templa locant.
Ne quæras, quanto Ganges se dives in urnam
Aurifer, aut quanto fuderit amne Tagus.
Alligerum posuêre manus, post munera tanta
Serum est gemmiferi quærere Gangis opes.

S. METHODIUS in vita S. DIONYSII.

Interprete ex Græco in Latinum P. Petro Lansellio Soc: IESU

ANtequam B. Petrus victoriam Martyrii, & vitam, quæ in Regno Cælorum degitur, meritus esset, B. Clementi potestatem tribuit his verbis; ut à Domino meo IESU CHRISTO ligandi, atque solvendi mihi concessa est potestas, sic eandem potestatem in perpetuum tibi do, & tribuo, ut quodcunque in terra ligaveris, in Cælis ligatum sit. Tunc quoque B. Dionysius Crucis aratro ma-

re discindens, Athenis Romam è cælesti, Divinaq; volũtate, ut à Deo dilectus, per viam deductus venit. Ingressus, cum B. Clementem invenisset, qui Apostolicæ sedis potestatem habebat, ab eo cum digno honore statim, ut vires suppetebant, receptus est. Eoq; tempore cum B. Dionysius ad B. Clementis vestigia, & pedes accessit, Apostolicæq; Sanctitati se insinuavit, tũ ipse etiã Magister declaratus, & more Magistri dignissimi à S. Clemente honoratus, dignitatemq; ab eo, & aptissimum honorem, ut à Deo gratiam adeptus, reportavit. Tum etiam S Clemens Philippum quendamHispaniæ Episcopum præfecit, potestatem quoque, quam ipse Divinus Clemens à B. Petro acceperat, ei dedit his verbis: Proficiscere ad Partes Occidentales, illic prædica Evangelium Regni Cælorum, Tibiq; esto ligandi, atque soluendi potestas, ut Christi Evangelium à Te longe, lateq; diffundatur. Tũc S. Dionysius Marcellô missô in Hispaniam, ut ibi Ecclesiis Christi verbum proponeret, ipse Spiritus S. calore incensus, & Apostolicæ potestatis plenus, quæ à Spiritu S. cũ Clemente Divini verbi semi a spargendo, & ferendo gentibus, accepisset, omnibus partibus, quæ ad Occidentem pertinent; distribuit.



S. EPI-

S. EPIPHANIUS

Lib: 1 Tomo 2 contra hæresim 27

CLemens à Petro accepit impositionem manuum Episcopatûs & eô recusatô, remotus est. Dicit enim in una Epistola sua: Secedo ab eo, erigatur populus Dei. Possibile est autem postquam discessit, ac recusavit Clemens, rursus coactum esse ad suscipiendum Episcopatum. Nemo miretur, quod ante illum alii Episcopatum assumpserunt; cum sub Apostolis hic fuerit contemporaneus Petri, & Pauli, nam & illi cōtemporanei Apostolorum sunt. Clemens ipse per omnia redarguit in Epistolis, quas scripsit Enciclycis, quæ in Sanctis Ecclesiis leguntur. Alium habent characterem, Fides ipsius, & sermo ab his, quæ ab illis sub nomine ipsius in ciruitionibus corrupta sunt. Ipse enim virginitatem docet, & illi non admittunt. *Contra Hæreses lib: 1. Pag. 41.*

S GREGORIUS MAGNUS

Lib: 2 Historiæ Anglicanæ Cap: 4

IN quo & exemplum sequebatur primi Pastoris Ec

clesiæ, hoc est Beatissimi Apostolorum Principis Petri, qui fundatâ Romæ EcclesiaChristi, Clementem sibi Adjutorem Evangelizandi, simul & successorem cõsecrasse perhibetur.

V BEDA.

Clemens interpretatur ex hæbreo Ecclesiastes, vel Concionator Tom: 3 Pag: 402 IX Kalendas Decembris Natalis S. CLEMENTIS.

HIc quartus post Petrum Romæ Episcopus ordinatus est, hic septem Regiones divisit Notariis fidelibus, qui gesta Martyrum sollicitè perquirerent. Hic ex præcepto B. Petri Ecclesiæ suscepit Pontificatum. Linus, &Cletus, ideo ante eum scribuntur, quia ab ipso Principe Apostolorum ad Ministerium Sacerdotale, Episcopi sunt ordinati. Qui jubente Trajano missus est in exilium, trans pontum mare, in eremo, ubi multis ad Fidem vocatis, per miracula, & doctrinam ejus, præcipitatus est in mare, ligatâ, ad collum ejus anchorâ: sed recessit mare orantibus Discipulis per tria milliaria, & inve-

invenerunt Corpus in arca saxea, in marmoreo Templo, & anchoram juxta. Taliq; Martyriô Petri Discipulus coronatur. In Martyrologio Tom: 8. p. 351.

S. ANTONIUS *P*ATAVI*N*US.

COncordantiæ moralium *lib:* 5 *Parte 8*. pro Festo S. Clementis collegit accomodatos vitæ ejus ex Sacra Scriptura textus, qui sunt isti. *Iob: 28.* ℣ 9. Profunda fluviorum scrutatus est. *Psal: 45*. ℣ *5*. Fluminis impetus lætificat. 65 ℣ 6. In flumine pertransibunt pede. *Eccl.* 14 ℣ 22 Beatus Vir, qui in sapientia. *Isaiæ* 51. ℣ 20. Nunquid non tu siccâsti mare. *Ierem:* 40. ℣ 3. Dedit ei Magister militiæ.

TR*I*THEM*I*U*S* ABBAS.
De Scriptoribus Ecclesiasticis.

CLemens S. R. E quartus à B. Petro [ut quibusdam placet] ordinatus Episcopus, natione Romanus, Vir Sanctus, & Deo dilectus, morum quoque decore ornatus, cujus vita, & passio inscriptoribus Ecclesiasticis habentur. Sedit in Pontificatu annis 9. & mensibûs 10. in Exilium pro Christi Fide relegatus ani-

mô conſtanti obiit annô Trajani Cæſaris tertio, Domini autem 103. Hic Beatiſſimus Martyr nonnullas Fide, & eruditione plenas fertur in Perſona Romanæ Eccleſiæ ſcripſiſſe Epiſtolas. De quibus extat præcipua ad Eccleſiam Corynthiorum Epiſtola una. Ad Iacobum quoque Apoſtolum Epiſtolæ duæ. Præterea Itinerariũ vitæ ſuæ libri 10. Item Diſputationis Petri liber unus. Hæc autem duo ultima volumina inter apocripha cõputantur, ut patet 15. Diſt: Sancta Romana. Feruntur ejus & aliæ Epiſtolæ, ſed apocriphæ.

SIXTUS SENENSIS.

CLemens, de quo Apoſtolus ad Philippenſes ſcribens: *cum Clemente; &c.* Patria fuit Romanus, Fauſtini Filius de Regione Cœlii montis. Hic cũ primum Sardicæ factus eſſet Epiſcopus, & poſtea Cathedram Apoſtolicam, ſecundus, vel ut quibuſdam placet, quartus poſt Petrum, annis novem tenuiſſet, tandem poſt exilii relegationem, Martyrio coronatus occubuit Traiani Imperatoris anno tertio, hoc eſt, anno ab adventu Chriſti Servatoris noſtri 103. *In Bibliotheca Sancta Pag: 58.*

AN-

ANTONIUS POSSEVINUS Soc. IESU

CLemens I. qui Romanus, & Pontifex Maximus & Civis, Faustini verò Filius, ac deniq; Martyr annô 3. Trajani, cujus nomen esse scriptum cum aliis in libro vitæ; non sine causa scripsit Paulus. Et si multa edidisse dicitur, non tamen omnia, vel certam habent authoritatem, vel ad nostras manus hactenus pervenerunt. *In apparatu Sacro Tomo 1. Pag. 364.*

ONUPHRIUS PANVINUS.

CLemens Romanus ex Patre Faustino nobili, & generosa Familia ortus hic primꝰ post Petri Apostoli mortẽ Episcopus, maxima cum authoritate fuit. Paulò ante Petri mortem, ab eo destinatus, qui jussu B. Petri Apostoli post ejus mortem suscepit Ecclesiæ Romanæ Pontificatûs Cathedram. Beatus Petrus Beatum Clementem S. R. E. veterem Præsbyterum, Episcopum Romanum designatum in successorem suum consecravit. *In Epithome Pontificum Romanorum.*

Festivè, id est, sollenniter S. Clementis diem celebrat, à quo primum suum Apostolum accepit, S. Gratianum. *Hæc de illo in lectionibus Breviarii habet singularia*

CLemens Romæ Faustô, atque Mathidiâ nobilissimis Parentibûs natus, Tyberio primô Imperatore, Puer Athenas ad discendam Philosophiam missus est. Eum Virginitatem in vita coluisse Epistolâ ad Philippenses Beatus Martyr testatur Ignatius. Verbiq; doctores præsertim in Germaniam, atque Galliam mittendo, ut operâ, & procuratione sua maxima tum Romæ, tum aliis in locis ad Ecclesiam Christi facta sit fidelium accessio. Multis, & maximis à morte clarus miraculis.



TRÆCULPHUS EPISCOPUS.

Fidelissimè Apostolicam doctrinam Beatissimus Clemens est secutus. *In Chronico Tomo 2. lib: 2. Capite 13 Bibliothecæ PP: Tomo 9 Parte 2 Pag: 508*

CAPUT XX.

De Cultu, Honore, & Patrocinio S. CLEMENTIS PONTIFICIS.

TAm vetustam in Ecclesiasticis Martyrologiis, & officiis S. Clementis, Apostolici viri Festivitatem esse compertum est, quam antiqua sunt monumenta ipsa, quibus ulla alia Sancti alicujus memoria exprimitur, ut observat Solerius in notis Martyrologii Hieronymi. Cum enim Apostolus Paulus in libro vitæ nomen Clementis scriptum sciverat, quid mirum est, illud inscriptum esse omnibus antiquitatis monumentis. Natalem diem ejus vigesimam tertiam mensis Novembris

bris omnia Martyrologia celebrant. In Martyrologio vetustissimo, vulgo Hieronymi MSS. ex MSS. S. Germani Antisiodorensis vulgata 9. Kalendas Decembris natalis ejus recolitur. Id testantur & alia Martyrologia, ut Romanum, Carthaginense, Bedæ, Rabbani, Adonis, Usvardi, Morbacense, Corbeiense, Turonense, Lyrense, apud Marthene in Thesauro novo Anecdotorũ *Tomo 3. Pag:* 1550. Fuldense, Ottobonianum, Labbeanum, Palatino Vaticanum, Floriacense, Anglicanum, Stabulense, Verdunense. In Martyrologio Arabico Die 29. Novembris habetur: Certamen Sacrosancti, Magni Martyris Clementis, Papæ Romæ, sub Trajano Imperatore. In Canone universali Æthiopum sic celebratur: Per omnes Sanctos Martyres, qui in Fide IESU CHRISTI quieverunt, per Clementem, & per 72. Discipulos. Ut habetur in Bibliotheca Palatino Medicæa. Græci in suis Menæis insigne de illo celebrant officium. Ephemerides Moschorum Die 25. Novembris ejus insignem memoriam faciunt. Hinc Vandelbertus de illo:

Nonam Papa tenet Clemens certamine, & altis
Virtutum titulis, mortem qui passus in undis,
Reperit exstructum Divino munere Templum.

S. Ambrosius in missali suo, & S. Gregorius Magnus in Libro Sacramentorum, insignem prædicant martyrem.

In Missali Gottico, & in officio Mozarabico Toletano sacro hymno ejus gesta celebrantur. Stephanus Langlonius Archiepiscopus Antverpiensis in Concilio Oxoniensi dicit: Statuimus, quòd Festa subscripta sub omni veneratione serventur, ubi ponitur Festum S. Clementis. In Synodo Wigorniensi dicitur: Hæc sunt ferianda in omnibus, S. Clementis P. & M. Bonifatiuis VIII. statuit generali consvetudine, ut Clemens Papa haberet Festivitatem novem Lectionum. In Synodo Carnotensi, & Rhemensi, Dies S. Clementis ab omnibus operibus ruralibus, tam hominum, quàm equorum reverenter statuitur observari, & præcipitur observari, ut testatur Thiers de festorum Dierum celebratione. Inter celeberrimos dies, quibus coronationes Romanorum Pontificum fiebant, etiam S. Clementis solennitas annumeratur, ut testatur antiquus MSS. Codex Vaticanus conscriptus à Petro Mallio, Canonico Vaticano, tempore Alexandri Papæ III. A Consistoriis etiam Pontifices vacabant ejus sacra Die, ut legitur in ordine Romano *Pag. 386.* In Festo S. Clementis, non fit consistorium. Inter Festa Palatii, quibûs omnia Spiritualia consistoria vacant, celebris quoque adnotatur Dies S. Clementis. In litaniis Ordinis Prædicatorum post S. Stephanum invocatur S. Clemens. Huc spectant Basilicæ, In honorem

S. Clementis erectæ, inter quas primum locum obtinet templi formam referens saxeum illud Antrum, & arca marmorea ab Angelis S. Clementi in mari ædificata; de hoc Templo illud mirandum prodit antiquus Codex MSS. Ecclesiæ S. Audomari apud Bollandianos ad Diem nonam Martii, quod sepulchrum in mari relictũ, cum solo se supra mare erexit, & fuit facta Insula, ubi illius Regionis homines Basilicam construxerunt, & cõgregationem, extunc ad illam Ecclesiam navigio itur. Hoc retulit Iaroslaus Russiæ Princeps Rogerio Episcopo Catalaunensi, Legato Henrici Regis Francorum, qui ad Iaroslaum miserat pro nubenda Filia Annna nomine, Filio Regis. Alteram quoque Ecclesiam, in eo Insulæ loco, ubi fons Divinitus manaverat, ejus, nomine ædificatam testatur Romanum Breviarium. Roma quoque Sanctissimo Pontifici suo gratissima fuit, ideoq; à cultu Romæ ei exhibito incipio.

Cultus S. Clementis Romæ.

CElebris est Romæ Basilica in monte Cælio constructa, illustri in loco, in quo Paterna Domus & natalis S. Clementis fuisse creditur, antiquior ævô S. Hieronymi fuisse colligitur ex S. Hieronymo, dicente: *Nominis*

minis

minis ejus memoriam usque hodie Romæ exstructa Ecclesia custodit. Hujus Basilicæ antiquitatem, & nobilitatem expressit Clemens XI. Pontifex Maximus in inscriptione posita supra januam interiorem ejus, quæ est talis: Antiquissimā hanc Ecclesiā, quæ penè sola ævi damnis invicta, priscarum urbis Basilicarum formam adhuc servat, eo ipso in loco ædificatam, ac in titulum S. R. E. Præsbyteri Cardinalis erectam, ubi S. Clementis Papæ, & Martyris Paterna Domus fuisse creditur, à S. Gregorio Magno geminis hic habitis Homiliis, & sacra quadragesimali statione condecoratam, Clemens XI. Albanus, Pontifex Maximus ipsa annivesariæ celebritatis ejusdem S. Clementis die, ad Catholicæ Ecclesiæ regimen assumptus, in argumentum præcipui sui in Eum cultûs instauravit, ornavitq;, annô salutis 1715. Pontificatûs sui 15.

Antiquitatem hujus Basilicæ demonstrat marmoreū septum, formam habens oblongi Chori, ad humanam ferè staturam exstructum, omni ex parte integrum, hucusque conservatum. In ejus lateribus duo ambones, seu pulpita assurgunt, in uno, cui adstat longum candelabrum marmoreum, legebatur Evangelium, in altero legebatur Epistola. Deinde est ara maxima quatuor suffulta columnis, ubi Sacerdos celebrans conversam ad

populum faciem habet: ſub hac ara olim fuerunt iſta carmina exarata, quando quidem credebantur Corpora SS. Clementis, & Ignatii ibi recōdita, ſub figura S. Clementis hi verſus legebantur:

Impius in ſano Te merſit in æquore Cæſar,
His poſitis aris, nunc pia Roma colit.

Sub figura vero S. Ignatii Martyris hi verſus erant appoſiti.

Vicinum tibi probra tulit numeroſa theatrum,
Hic tibi delatus probra rependit honos.

Poſtea vèro anno 1725. dirutum fuit altare majus, & ibi in capſula plumbea reperta oſſa S. Flavii Clementis, quæ ſolemni ritu à Benedicto XIII. tranſlata, fuerunt in novo altari elegantiſſimè reſtaurato ab Annibale Albano S. R. E. Cardinali S. Clementis, repoſita cum his verbis exaratis: *Flavius Clemens Martyr hic feliciter eſt tumulatus.* Tota vero Eccleſia, relictis antiquitatis monumentîs, reſtaurata, & vario picturarum genere ornata, ex parte dextra quatuor imagines exprimentes hiſtoriam S. Clementis, ex parte ſiniſtra S. Ignatii, & S. Servuli geſta ſunt depicta, media vero Eccleſiæ ſuperficies S. Clementem in gloria, inferius mare cum Templo ab Angelis præparato, cum ſtemmate Familiæ Albanæ deaurato exhibet, denotans beneficentiſſimum hujus Baſili-

cæ

cæ Restauratorem Clementem, XI. In hac Ecclesia sunt quatuor capellæ, pulcherrimo marmore, & picturîs adornatæ. Pleniorem descriptionem hujus Basilicæ vulgavit Rondininus, integro libro conscripto de S. Clemente, & ejus Basilica in urbe Roma, ad quem avidum lectorē remitto. Brevitati enim studendo, imprimis ea, quæ in illa gesta fuerunt, deinde ejusdem Præsbyteros, Cardinales describam eâ, quâ decet brevitate. Celebravit Concilium in hac Basilica Zozimus Papa contra Cælestium Hæreticum, Paschalis II. in eadem electus fuit in summum Pontificem, binas homilias ad populum habuit, S. Gregorius Magnus, & stationem feria secunda post Dominicam secundam Quadragesimæ indixit, indulgentiam plenariam in festis SS. Clementis, & Ignatii concessit in perpetuum Innocentius XII. variis donis fuit ornata à summis Pontificibus. In ea celebrata fuêre parentalia annô 1733 solenni, & regio apparatu Serenissimi Augusti II. Regis Poloniarum, curâ, & impensis Vigilantissimi Protectoris Regni, Annibalis Albani S. R. E. Cardinalis S. Clementis, qui incredibili pietate colens S. Clementem, quotannis ejus anniversariam Festivitatem sumptuosissimè celebrabat, singularì munificentiâ eandem Basilicam decorans. Monasterium, & Basilica S. Clementis olim fuit sub Abbate S. Ambrosii ad Nemus, quo sublato,

to, Cardinali commendatum fuit. Deinde annô 1667. Franciſcus Cardinalis Maidalchinus annuente Innocentio X. Cænobium, & Baſilicam S Clementis Fratribus Prædicatoribus Provinciæ Hiberniæ eximia benignitate perpetuo conceſſit. In hac Baſilica reconditum fuit Corpus S. Clementis, ſed inde tranſlatum in Piſcariam, S. Ignatii quoque oſſa huc tranſlata fuêre, Pariter S. Cyrilli, & Methodii Corpora hic tumulata, quorum & ſacræ imagines ritu Græco veſtitæ depictæ exſtant. Corpus quoque S Servuli ſepultum hîc eſt, ſed locus ejus ignoratur hucuſquè.

Series S. R. E. Cardinalium Tituli S. CLEMENTIS.

I. Renatus prim9 reponitur in Epiſtola 70. S. Leonis Magni ad Flavianum Epiſcopum, quē S. Leo ad Conciliū Epheſinum ſecundum contra Euricheтem delegavit.

II. Petrus S. R. E. Cardinalis S. Clementis.

III. Urbicus S. R. E Cardinalis S Clementis.

IV. Servus Dei, hi tres ſimul interfuerunt Synodo Romanæ ſub Symmacho.

V.

V. Ioannes Mercurius S. Clementis Cardinalis; postea creatus summus Pontifex, Ioannes II. qui sedit annos duos, menses quatuor, & dies sex.

VI. Speciosus S. R. E. Cardinalis S. Clementis.

VII. Candidus, hi interfuerunt Synodo secundæ Romanæ, quos commendat S. Gregorius Magnus in suis Epistolis.

VIII. Gregorius Præsbyter Tituli S. Clementis, qui se subscripsit Concilio Romano sub Zacharia.

IX. Sergius Præsbyter S. Clementis sub Leone IV. interfuit Concilio Romano.

X. Ioannes Præsbyter S. Clementis, subscripsit Canonizationi S. Udalrici sub Ioanne XV. Papa.

XI. Sebestianus Præsbyter S. Clementis in Romana Synodo subscripsit decretum Wilchelmi Abbatis S. Benigni Fructuariensis sub Benedicto VII. dicto VIII.

XII. Hugo Candidus à S. Leone IX. creatus Cardinalis S. Clementis.

XIII. Romanus Præsbyter S. Clementis creatus ab Alexandro II.

XIV. Raynerius Abbas Cluniacensis à Gregorio VII. creatus, postea ad Pontificatum evectus, Pa-

schalis

ſchalis II. nominatus eſt.

XV. Robertus Capiſuccus nobiliſſimus Romanus ab Urbano II. creatus.

XVI. Anaſtaſius Romanus à Paſchali II. renunciatus.

XVII. Arnaldus ab edem Paſchali creatus, interfuit Concilio Vaſtallenſi.

XVIII. Raynaldus ſub Paſchali II. ſubſcripſit Lateranenſi Synodo.

XIX. Anaſtaſius junior ab eodem Pontifice creatus.

XX. Aloyſius Lucidus à Calixto II. creatus.

XXI. Rubeus de Lanfranchis Piſanus, ab Honorio II. renunciatus.

XXII. Lucius Boëtius Romanus Monachus Vallis Umbroſæ ab Innocentio II. declaratus.

XXIII Bernardus Canonicus Regularis Lateranenſis ab Eugenio III. creatus.

XXIV. Verarverius ab Alexandro III. Cardinalis S, Clementis creatus.

XXV. Hugo Romanus ab Alexandro III. Cardinalis S. Clementis creatus.

XXVI. Petrus Urſinus Romanus ab Urbano III. S. Clementis titulo inſignitus fuit.

XXVII. Gvilhelmus Glodæus Archiepiſcopus Dublinenſis, ac Doctor Oxonienſis, in Anglia, ex Ordine Sanctiſ-

Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, Præsbyter Cardinalis S. Clementis creatus à Gregorio X. annô 1276. fuit Vir magnarum virtutum, & peculiariter miſericors erga captivos, Devotiſſimus erga S. Clementem, qui ante ipſius Feſtum quotannis ſingulare quodpiam mortificationis genus exercebat, extraordinarias corporis faciendo caſtigationes in cultum S. Clementis, ut teſtatur Figveras Carpi à S. Roberto, in Chronico dicti ordinis, & Ioſephus à IESU MARIA in libro intitulato: Reſponſa Moralia Theologico juridica.

XXVIII. Petrus à Clemente III. creatus.

XXIX. Ioannes natione Longobardus ab eodem Clemente Petro ſuffectus eſt.

XXX. Gvilhelmus Ferrerius Hiſpanus à Cæleſtino V. creatus.

XXXI. Iacobus Anagninus Bonifacii VIII. Sororis Filius Ordinis Minorum S. Franciſci à Bonifacio VIII. creatus.

XXXII. Bernardus de Garva Gallus Clementis V. Conſobrinæ Filius à Ioanne XXI. renunciatus eſt.

XXXIII. Petrus de Chappes Gallus, Episcopus Atrebatensis ab eodem Pontifice creatus.

XXXIV. Petrus Annonensis Gallus Vir Clarissimus, & piissimus ab eodem sacrâ Purpurâ ornatus fuit.

XXXV. Gvilhelmus Iudicis Gallus Lemovicensis, Clementis VI. ex Sorore Nepos, ab Urbano V. Cardinalis S. Clementis renunciatus.

XXXVI. Ægidius Albernotius Hispanus Arhiepiscopus Toletanus à Clemente VI, Titulô S Clementis decoratus.

XXXVII. Petrus de Iudicia, Gallus Monachus Ord: S. Benedicti Gregorii XI. Consobrinus ab eodem assumptus.

XXXVIII. Geraldus de Podio, Gallus Monachus Cluniacensis à Gregorio XI. renuntiatus Cardinalis S. Clementis.

XXXIX. Poncellus, Ursinus Romanus, ab Urbano VI. creatus.

XL. Gabriel Condelmerius, Venetus Filius Bariolæ Corariæ, quæ Fratrem habuit Gregoriũ XII. Filium Eugenium IV. & nepotem Paulum II. creatus à Gregorio XII. Avunculo suo.

XLI. Branda Castellioneus à Ioanne XXII. relatus est inter Cardinales S. Clementis.

XLII. Hugo Lusignanus, Græcus Iacobi Regis Cypri Filius ab Eugenio IV. creatus

XLIII. Franciscus Condulmerius ab Eugenio IV.creatus.

XLIV. Henricus Scotus ab eodem Pontifice assumptus,

XLV. Ioannes Castellioneus à Calixto III. inter Purpuratos Patres. S. Clementis relatus est.

XLVI. Bartholomæus Roverella, Ferrariensis, à Pio II. assumptus,

XLVII. Antonius Venerius Recinetensis à Sixto IV. Cardinalis S. Clementis.

XLVIII. Dominicus de Ruvere ab eodem Pontifice Cardinalis creatus.

XLIX, Iacobus Serra Hispanus ab Alexândro VI. creatus.

L. Clemens de Ruvere Savonensis Sixti IV. sororis filius à Iulio. II. creatus est.

LI. Franciscus Argentinus Venetus ab eodem creatus.

LII. Laurentius Puccius Florentinus à Leone X. creatus.

LIII. Iulius Medices Florentinus Leonis X. Frater Patruelis, creatus à Leone X Summus Pōtifex, Clemens VII. dictus.

LIV. Dominicus Iacobatius Romanus creatus à Leone X.

LV. Aloysiꝰ de Rubeis creatꝰ ab eodē Leone X.

LVI. Andreas Palmerius Archiepiscopus Neapolitanus à Clemente VII. creatus.

LVII Hieronymus Ghinuccius Senensis creatus à Paulo III.

LVIII. Ioannes Petrus Caraffa Vir piissimus à Paulo III. creatus Cardinalis S Clementis, electus Summus Pontifex Paulus IV.

LIX. Rodulphus Pius Leonelli Carporum Comitis filius creatus à Paulo III.

LX. Ioannes Alvarez Hispanus ex antiquissima Toletana Prosapia Ord: Prædicatorum supplicante Carolo V. creatus à Paulo III. Cardinalis S Clementis.

LXI. Petrus Bembus, Venetus, vir eloquentissimus à Paulo III. creatus.

LXII. Ioannes Baptista Cicada à Iulio III. creatus.

LXIII. Ioannes Capisuccus Romanus creatus à Pio IV.

LXIV. Ioannes Sorbellonius creatus à Pio IV. à S. Pio V. Titulum S. Clementis obtinuit.

LXV. Stanislaus Hosius Polonus Vir immortalis famæ, cujus egregias dotes sepulchralis sequens inscriptio enarrat, à Pio IV. creatus Cardinalis S. Clementis: sepultus in Ecclesia S. Mariæ trans Tyberim cum hoc elogio:

D. O. M.
STANISLAO HOSIO
Polono,
S. R. E. Cardinali

VArmiensi Episcopo,
Majori Pænitentiario,
Vitæ Sanctitatis, eruditionis,
Et eloquentiæ gloriâ celeberrimo,
Catholicæ Fidei acerrimo Propugnatori,
Qui quum antiquæ probitatis,
& Episcopi vigilantiæ præstantiam,
In humilitate, Charitate, Castitate & beneficentia
expressisset,
Hæreticas sectas scriptis, & consiliis
Sapientissimè, & ferventer,
oppugnasset,

Mu-

Multos ab erroribus revocasset,
Gravissimisq; legationibus
pro pace Ecclesiæ Dei,
Quum apud Carolum V.
& Ferdinandum Cæsarem
Tum præcipuè
In Sacro Concilio Tridentino
Pii IV. Pontificis nomine,
felicissime perfunctus,
Christianæ Reipublicæ
plurimum profuisset,
Omnium virtutum laudibus, & exemplis
ad imitandum abundans,
Obdormivit in Domino nonis Augusti
Anno salutis M. D. L XXIX.
ætatis suæ LXXVI.
Stanislaus Hosius Patruo,
& Stanislaus Rescius Patrono beneficentissimo
Executores Testamenti
Posuère.

LXVI. Marcus Siticus Altempscius Germanus Pii IV. ex Sorore nepos à Pio IV. creatus.

LXVII. Prosper Sanctacrucius Romanus variis legationibus insignis creatus à S. Pio V.

LXVIII.

LXVIII. Vincentius Laureus nuntius in Regno Poloniæ creatus à Gregorio XIII.

LXIX. Flaminius Platus à Clemente VIII. creatus.

LXX. Ioannes Franciſcus ex Comitibus S. Gregorii à Clemente VIII. creatus.

LXXI. Carolus de Comitibus Romanus à Clemente VIII. obtinuit Titulum S. Clementis.

LXXII. Ioannes Baptiſta Bonſius Senator Florentinus creatus Cardinalis S. Clementis à Paulo II.

LXXIII. Deſiderius Scalia Cremonenſis Ordinis Prædicatorum Commiſſarius Sancti officii â Gregorio XV. creatus, ſepultus in Eccleſia S. Caroli cũm hoc Elogio:

D. O. M.
Deſiderii ſcaliæ
ex Prædicatorum Familia
Cardinalis,

Vita dum deſideratur eripitur
& quod de eo condi potuit,
ſub marmore jacet,
Cæterùm eximiæ ejus virtutes
Per ora volant

Fra-

Frater Deo datus Scalia
Epiſcopus Alexandrinus,
Avunculo beneficentiſſimo
Grati animi exiguum argumentum
Poſuit anno Salutis M. D. C. L. III.

LXXIV. Ioannes Dominicus Spinula creatus ab Urbano VIII.

LXXV. Marcus Antonius Franciottus creatus ab eodem Pontifice.

LXXVI Vincentius Maculanus Ord: Prædicatorū, Inquiſior Apoſtolicus, Procurator, & Vicarius Generalis, Sancti officii Commiſſarius, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, ab Urbano VIII. creatus eſt Cardinalis S. Clementis.

LXXVII. Innicus Caracciolus creatus à Clemente IX. Cardinalis S. Clementis.

LXXVIII. Ferdinandus de Abdua creatus ab Alexandro VIII.

LXXIX. Thomas Maria Ferrarius Manduriensis, Vir eruditiſſimus, ac Magiſter Sacri Palatii Apoſtolici, & Concionator Apoſtolicus, creatus ab Innocentio XII Cardinalis S. Clementis.

LXXX. Annibal Albanus Clemetis XI fratris filius, eruditione, pietate & benevolētia Clariſſ.mus, creatus

atus à Smo Patruo ſuo Clemente XI. primùm Diaconus Cardinalis, poſtea Præsbyter S. Clementis, Camerarius S. R. E. & Protector Regni Poloniæ, Epiſcopus Portuenſis, ſingulariſſimus S. Clementis cultor, cujus beneficentiæ, & inſignis in me benevolentiæ ſi non meminero, adhæreat lingva mea faucibus meis.

LXXXI. Eminentiſſimus Imperialis creatus nuper à Sanctiſſimo D. Benedicto XIV. Pontifice, Maximo, Cardinalis Præsbyter S. Clementis. Ex his Octuaginta uno Cardinalibus aſſumpti fuerunt ad ſummum Pontificatum, quatuor, Ioannes II. Paſchalis II. Paulus IV, & Clemens VII. In tota hac Baſilica illud eſt ſingularis notæ monumentum, nempe manogramma Longobardico, & abraſo charactere in marmore axaratum, quod teſtatur Corpus S. Clementis fuiſſe reconditum in eadem Eccleſia:

Hàc jacet Eccleſiâ Clemens Sanctiſſimus, æquor
Quem diu celavit, nunc ego corde precor.

Publicè teſtari voluit Clemens XI. hujus Baſilicæ Inſtaurator, præcipuum ſuum in eum cultum, quia eodē anno, quô inſtaurata fuit hæc Baſilica, excudi juſſit argenteam monetam, vulgò Piaſtra, in qua aſpectus ejuſdem Baſilicæ cum his verbis expreſſus fuit: *Templo S. Clementis inſtaurato.*

De S.Servulo Paralityco hæc habet S. Gregorius Magnus

Homilia 15 super Evangelia, in Basilica S. Pauli dicta: In ea porticu, qua euntibus ad Ecclesiam B. Clementis est pervia, fuit quidam Servulus nomine, qui quidem pauper rebus, sed meritis dives, quem longa ægritudo dissolverat. Nam ex quo illum scire potuimus usque ad finem vitæ paralyticus jacebat. Quid dicam, quia stare non poterat, qui nunquam in lecto surgere vel ad sedendum valebat, nunquam manum suam ad os ducere, nunquam se potuit ad latus aliud declinare? Huic ad serviendum Mater cum fratre aderat, & quidquid ex eleemosina potuisset accipere, hoc eorum manibus paperib9 erogabat. Nequaquā literas noverat, sed Scripturæ Sacræ sibimet codices emerat, & religiosos quosque in hospitalitatem suscipiens, hos coram se studiosê legere faciebat, factumq; est, ut juxta modum suum plenè sacram Scripturam disceret, quum, sicut dixi, literas funditus ignoraret. Studebat semper in dolore gratias agere hymnis Dei, & laudibus diebus, ac noctibus vacare. Sed quum tempus esset, ut tanta ejus patientia remunerari debuisset, membrorum dolor ad vitalia rediit; quumq; jam se morti proximum agnovisset, peregrinos viros, atque in hospitalitatem susceptos admonuit, ut surgerent, & cum eo psalmos pro expectatione sui exitus decantarent, quum que cum eis & ipse moriens

ens psalleret, voces psallentium repentè compescuit cum terrore magni clamoris dicens: tacete, nunquid non auditis, quantæ resonent laudes in cælo; & dum ad easdem laudes, quas intus audierat, aurem cordis intenderet, Sancta illa anima carne soluta est, quâ scilicet exeunte. tanta illic fragrantia odoris aspersa est, ut omnes qui illic aderant, inæstimabili suavitate replerentur: ita ut per hoc patenter cognoscerent, quod eam laudes in Cælo suscepissent Cui rei Monachus noster interfuit, qui nunc usque vivit, & cum magno fletu attestari solet, quia quousque Corpus ejus sepulturæ traderent, ab eorum naribus odoris illius fragrantia non recessit. Hæc ille. Ejus memoria extat in Martyrologio Romano, Bedæ, Usuardi, Adonis, ejusdē cultū, officiū cū lectionibus pro Fratribus Ord: *Prædicatorum* Provinciæ Hyberniæ ad S. Clementem Romæ pro die 23. Decembris celebrandū approbavit sacra Rituûm Congregatio anno 1702. *die nona Decembris.*

ClemensVIII ædes Vaticanas Pontificias ornavit, aulam maximam excellenti picturarum, & marmorum opere decoravit, vocavitq; aulam Clementinam, quam in honorem S Clementis erexit, & illi dedicavit, nam in pariete dextro, hæc verba leguntur: *Memoriæ S. Clemētis Papæ, Christi Martyris fortissimi, Clemens Papa*

 VIII.

VIII. aulam sacris picturis ornatam dicavit. annô M. D. C. II. In hac aula excellenti arte depicta est historia submersionis S. Clementis, in superficie autem expressa est Sanctissima Trinitas coronans S. Clementem, juxta quem Angelus tenens anchoram, in parietinis autem pretioso marmore adornatis, varia videntur Symbola virtutum cum stemmate Clementis VIII. In oratorio quoque S. Pancratii, seu in sacrario Basilicæ Lateranensis idem piissimus Pontifex inventionem aquæ per agnum S. Clementi apparentem, & ejusdem submersionem miro picturarum opere jussit exprimi. In horto suo Aldobrandino ædificavit Sacellum S. Clementi, de quo egregiè cecinit Cariophilus:

Anchora Te Clemens medias detrusit in Undas,
Et Romanus ager dat nova Templa Tibi.
An Clementis amor salsis Te traxit ab undis,
Et primum octavo Pontificem sociat.
Clementes igitur capit ædes unica binos,
Si non Mârtyrio, sed pietate pares.

Ex quo perspectum est, quanto in pretio, & honore habuerit S. Clementis memoriam hic Sanctissimus Pontifex In Capella etiam Aldobrandina in Ecclesia S. Mariæ super Minervam Ord: Prædicatorum mirificè exornata, ubi Piissimorum Parentum ejus visuntur Mausolæa,

ad

ad dextram Altaris Venerabilis Sacramenti, extat marmorea Statua S. Clementis anchoram tenens.

In Sacrario quoque Basilicæ Vaticanæ, olim Templū S. Mariæ de Febribus, & priscis temporibus Templum Martis vocato, in dextera parte ingressûs, est sacellum cum altari, olim ignotum, cui Sancto dedicatum, at anno 1723 ara ibi instaurata, & S. Clementi primo Papæ, & Martyri dedicata est, cujus mediam tabulam, & duas utrinque positas ejusdem Sancti Pontificis Martyrium exprimentes, Eques Petrus Leo Ghesius Romanus præclare pinxit, annò circiter 1725. anno verò 1726 12 Kalendas Ianuarii jussu Benedicti XIII. P. M. ipsum Altare fuit Sacro Chrismatis Oleo, solemni ritu delibutum, à Carolo Majello Archiepiscopo Emisseno, & Basilicæ Vaticanæ Canonico, qui SS. Martyrum, Maximi, & Severini, Reliquias ibi posuit, ac Indulgentias de more concessit, ut testatur liber de Altaribus Basilicæ Vaticanæ.

Prothonotarii Apostolici Participantes nuncupati, recognoscunt S. Clementem suum Fundatorem, & venerantur Patronum, ut testatur sigillum Doctoralis Diplomatis.



Cultus

Cultus S. Clementis Veletri.

VEliternum est civitas Latii in via Appia, Romà distans viginti milliaribus, Octaviæ gentis origine nobilitata, primaria Ecclesia S. Clementi P & M dicata est, nobilis structuræ, pietate Episcoporum Veliternensium exornata. Antea erat Templum Martis, Ecclesia est in tres naves divisa, duodecem columnis ex marmore, & porphiride lapide innixa. Celebratur ibi Tutelaris S. Clemens, pro cujus Festo Sixtus IV. indulsit, ut fideles pænitentes absolvi possent ab omnibus casibus reservatis Ditata est Corporibus SS. Eleutherii, & Pontiani Pontificum, Romanorum. Episcopus Veliternus est Decanus Sacri Cardinalium Collegii, qui pallio utitur, & electú Pontificem coronat. Eugenius III. ob defectum incolarum, Ecclesiam Ostiensem univit Veliternensi, nunc autem idem est Episcopus Ostiensis, & Veliternensis, ut observat Ughellus Tomo 1. Italiæ sacræ. Summus proinde honor S. Clementis colligitur vel inde, quod ejus Veliternensis Basilica primum se habere Episcopum, Cardinalem glorietur.

In Sardinia.

CAlaris fuit olim Metropolis Sardiniæ, cujus Eccle-

siæ, Archiepiscopus est Primas Sardiniæ, In hac Archiepiscopali Basilica S. Saturnini, majus Altare est dedicatum SS. Clementi, & Saturnino, ubi reperitur pervetusta effigies S. Clementis. Die sacra S. Clementi Archiepiscopus cum Clero processionaliter incedit ad Ecclesiam S. Saturnini, ibique fit Summum Sacrum, & cū solemnitate Concionis, ritûs, cantorumq; modulatione, celebratur. Ad cujus Festivitatis, atq; Processionis celebrationem quotannis agendam, quidam census, & redditus opitulatur, & cogit, ut testatur Salvâtor Vitalis in annalibus Sardiniæ, *Parte 1. Pag. 29.*

In Francia, Parisiis.

Andreas *Du Saussai*, Clarissimus Scriptor, de mysticis Galliæ Scriptoribus, testatur in magna esse veneratione Parisiis S. Clementem, cujus insignis pars Reliquiarum, forte ex ejus Brachio in Ecclesia Illidiana conservato divisa, in suburbana antiquissima S. Clementis Basilica, in qua antea Episcopi Parisienses sepeliebantur, nunc autem est S Marcelli Episcopi, cujus corpus in crypta ejusdem Ecclesiæ reconditum, miraculis claruit. Loquor verbis clarissimi Scriptoris: Honoratur Parisiis solemni cultu S. Clemens non modo ex titulo antiquæ patrocinationis, sed etiam, quod majus est, ex fausto opi-

tulationis

tulationis jure. Hic enim magna pars ejus Reliquiarum beneficiô Romanæ Ecclesiæ acceptarum, in lypsano dochio Religiose servatur, & magna incolarum devotione frequentatur, quoties publicum imminet, vel præmit incommodum. Tunc enim convocatîs inferioribus huic Collegiatæ Basilicæ subjunctis Ecclesiis, celebri triumpho Capsa illa B Clementis ad Arhipræsbyteralem S. Severini Ecclesiam, quæ primarium colit etiam ipsum S. Clementem Tutelarem, transvehitur, persolutisq; hic sacræ ejus memoriæ præconiis, hinc ad Basilicam S. Victoris, quæ Abbatiali decore fulget, eadem pompa defertur, ubi Divina fit Liturgia, hincq; peractis Sacris, pretiosa pignora propriam ad sedem referuntur, nō sine præsentis opitulationis S. Clementis, quem primum Patronum colunt supplices incolæ, experientia. Cæterûm autem quid causæ existimamus, ut frementibus adhuc persecutionum procellis, Parisienses Episcopi, sedē in crypta priscæ ædis S.Clementis jam haberent, nisi quod sub ejus auspiciis tradita illic à S. Dionysio, quem miserat Lutetiam, Christiani, Fidei primordia recordabantur. Ideoq; magnum sibi honorem accedere censebant, si sub tam insigni, ac fortunato patrocinio, sub quo cunabula sua Parisiensis Ecclesia accepit, sepeliri promererentur. A Theologis Parisiensibus annuali solet ad illud conventu honorari.

In Hispania.

ALphonſus Caſtellæ, & Legionis Rex piiſſimus, & & Victorioſiſſimus, gratulationis literam ſcribens ad Clementem IV. ejus aſſumpto nomini congaudens, exprimit ſè natum fuiſſe die S. Clementis, ejuſque annua ſolemnitate magnis beneficiis fuiſſe cumulatum, cui reſcribens Clemens, IV. ejus pietatem egregio celebrat elogio, Epiſtolam Clementis hic opponimus *ex Tomo 2. anecdotorum apud Martene Pag: 193. Epiſtola Clementis eſt* C. XLI.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum DEI.

Chariſſimo in Chriſto Filio, Alphonſo Regi Caſtellæ & Legionis Illuſtri.

LÆta nobis tuæ lætitiæ præſentavit nuper indicia magnæ tuæ devotionis, & Fidei teſtis Epiſtola, quam miſiſti, magnum illud gaudium exprimens, quod ex noſtræ promotionis rumoribus, prout ſcribere tibi placuit, concepiſti. Non mediocriter nihilominus noſtro nomini congaudens, pro B. Clementis Martyris debita reverentia, Tuis dulciter inſonans auribus, in cujus Feſto

ſto

sto Te, prout asseris, olim uterus maternus effudit, & annis pluribus revolutis recensita Sancti Festivitas Te, & recordationis inclytæ Patrem tuum, multis, ac magnis successibus honoravit &c: *Datum Assisii VIII. Idus Septembris, annô 1.*

In Bohemia.

PLurimæ exstant nobilis structuræ Ecclesiæ S. Clementi dedicatæ in variis Bohemiæ civitatibus, uti Litomisslii, & celeberrima Ecclesia Pragæ, quam primo fundavit cum Monasterio in proprio solo B. Ceslaus Odrovązius S Hyacinthi germanus Frater, quæ Ecclesia multis annis sub cura Patrum Prædicatorum mansit, ubi studium generale floruit, & Comitia generalia celebrata fuerunt, multi Viri Sancti, & Martyres prodierunt ex hoc Monasterio, trucidati, submersi in fluvio Moldava pro Fide Catholica ab Hussitis hæreticis, devastata denique per incendium illorum Ecclesia, & Monasterio, tandem transiit ad manus Patrum Societatis IESU cū concessione Regis Bohemiæ, & summi Pontificis. Insignis est S. Clementis Ecclesia, pulcherrimis ornata picturis, ubi germanico idiomate Conciones, & Confessiones fiunt, sunt in eodem Collegio, & aliæ Ecclesiæ pro diversis na-

tionibus

tionibus, Collegium est nobilissimum, & vastissimum Imperatorum, & Regum munificentiâ exornatum, celeberrima quoque universitas, & Museum Mathematicum, ubi omnia experimenta Mathematica mihi visitanti illud Collegiũ Doctissim9 & humanissim9 Professor demõstravit. Sed inter omnes Ecclesias, illa est meritò in veneratione habenda, quam Borzywojus primus Christianus Dux in Castello *Hradecz*, seu Reginæ Hradicii circa annum Domini 864. primam in tota Bohemia erexit in honorem S. Clementis Papæ, cujus Sacra Ossa aliquot annis ibi requieverunt, allata in Bohemiam à S.S. Apostolis Cyrillo, & Methodio, in qua Paulus Kaichus Præsbyter SS. Cyrilli, & Methodii Discipulus, primum Missæ Sacrificium celebravit. Ita namque testatur Christanus primus Bohemiæ Scriptor in vita S. Ludmillæ: *Mane facto, ipsum Ducem Borzywoium Methodius cum suis triginta, qui advenerant, cathebizans. peractis jejuniorum ex more solemniis, Sacrosancto Baptismatis fonte renovavit, pleniterq́; eum de Fide instruens, tribuens ei Venerabilis vitæ Sacerdotẽ nomine Kaich, qui reversi in sua, in Castello, cui vocabulum inerat Hradecz, supradictum Sacerdotem statuunt, fundantes Ecclesiam in honrem B. Clementis Papæ, & Martyris populum Christo Domino acquirentes.* Hæc ille. Ad hanc sacram ædem, quæ ad septemtrionem

versa est, post plura sæcula Patres Ordinis S. Dominici habuêre Cænobium, at hoc S. Dominici habitaculũ Hussiadum turbîs exustum à Senatu Hussitico in Ciuram cõversum fuit. Hanc sacram Capellam, quæ merito inter sacrosancta Bohemiæ loca numeranda est, post multiplices Hussitarum, tum Svecorum ruinas è Cineribus annô 1715. levavit, ac consecravit, Ioannes Adamus Comes Vratislaviensis, Episcopus sextus Reginæ Hradecensis, qui annô 1714. ad Impetrandum cælitus patrocinium in fatali pestilentiæ lue, S. Clementis Papæ Diẽ festam Hradecii sub ritu duplici primæ Classis, & Festo fori, Chori verò per Diæcesim Reginæ Hradecensem perpetuis temporibus celebrandam honoravit, & opem S. Clementis civitate præservatâ sensit, ut testatur Berhaber de S. Ioanne Nepomuceno *Pag: 172.*
Idem piissimus Dux Borzywoius in Castro Wyszehradensi anno 870. ædificavit quoque Ecclesiam S. Clementis, instituit ibi cætum, qui sacris operaretur; Annô verò 1068. Wratislaus primus Rex Bohemiæ Præpositũ Decanum, & Capitulum Canonicorum sedi Apostolicæ immediate subjectum fundavit. Wyszehradensem S. Clementis Ecclesiam, quam Borzywoius in totius Bohemiæ Cathedralem destinaverat, nisi mors B. Methodii intervenisset, Wratislaus primus Rex diruit, & novam in honorem

honorem SS. Apostolorum Petri, & Pauli nec non S. Clementis magnis sumptibus ædificavit, in summam Dei, SS. Apostolorum, & S. Clementis venerationem, duodecem cophinos lapidum ad fundamenta suis humeris, Constantinum magnum imitatus, mirante Bohemia, deportavit. Capitulum Infulis ornavit, Præpositum Principem, ac Cancellarium totius Regni fecit' additis Sũmis redditibus.

In Polonia.

COmplures reperiuntur Ecclesiæ memoriæ S.Clemẽtis erectæ, à variis Viris Illustribus, quas recensere singulas non est mei assumpti laboris. Singularis tamen pietas erga S.Clementẽ habetur in civitate Wieliczka, prope Cracoviam, ubi Festivitas S. Clementis ritu solemni sub præcepto celebratur. Incolæ autem ejus, qui eruendo sali dant operam, in illis montibus reperto, insigni miraculo B. Cunegundis Reginæ Poloniæ, quæ ob, tentum salem à Belo Rege Hungariæ Patre suo transtulit in Poloniam, projectumq; annulum in montibus Hũgariæ, reperit cum Sale in Polonia. In illis profundissimis subterraneis salis fodinis pii incolæ erexerunt insignem Capellam de frustis salis, ubi in altari exstat præ-

grandis

grandis ſtatua S. Clementis cum anchora ex ſale affabre facta, in ſignum inventi dulcis fontis emanantis è ſalſis montibus per interceſſionem, & invocationem S. Clementis, quem ideo uti ſingularem Patronum venerantur illi ſalis foſſores, quotannis enim die S. Clementis demittuntur in illam immenſam profunditatem homines, cum uno Sacerdote ex ordine S. Franciſci, qui poſtquam in altari S. Clementis Sacrificium celebraverit, ſermonem habet ad populum in laudem S. Tutelaris. *Hæc accepi ex relatis teſtium illorum, qui ibidem fuerunt, & viderunt cuncta, quæ à me narrata ſunt.*

In Ruſſia,

ILluſtre beneficium S. Clementis expertum eſt celeberrimum Monaſterium S Ordinis Prædicatorum Provinciæ Ruſſiæ in confiniis Wolhyniæ in alta rupe ſitum, olim Conventus ſublapidenſis, nunc Sanctiſſimi Roſarii nuncupatum, à civitate autem cognomen habet: *Podkamień*, ubi eſt inſignis ſtructuræ ornatiſſima Eccleſia, in qua frequentiſſimo confluentium populorum concurſu colitur Thaumaturga Imago B. Virginis Mariæ, miraculis clariſſima, à Sanctiſſimo D. N. Benedicto XIII. Pontifice Maximo coronata, in cujus coronatio-

nis die apparuit mirabiliter in cælo supra ipsam Ecclesiam Corona lucidissima. De beneficio autem S. Clementis, transmissa habui monumenta authentica ex libro manuscripto Archivii ejusdem Conventûs subscripto manibus Prioris, & Patrum quoque fide dignorum, ut testatur Clarissimus Vir, & Patronus meus Henricus Russyan S. T. Magister protunc Provincialis Provinciæ S. Hyacynthi in Russia ejusdem Ordinis, hæc autē monumenta & gratissimum animum debeo eruditissimo Reipublicæ literariæ viro ejusdem instituti alumno, de pietate, eruditione, literarum amore, optimè merito, Innocentio Zatwardziałowicz, S. T. Magistro. Testatur imprimis Religiosissimus Vir Michael Mascibrodzki Prædicator Generalis, natus anno 1683. his verbis: *Testor me eo tempore fuisse in Conventu montis Smi Rosarii Provinciæ Russiæ Ord Prædicatorum, novicium nondū Professum, quo in annò Domini 1708. Die 2. Februarii in puteo istius Montis, & Conventûs profundissimo ingentibus sumptibus, multorum annorum laboribus in rupe durissima subinde silici simillima eruto sive excavato, erupit fons sive rivus aquæ saluberrimæ Tam ante, quam post inventionem hujus aquæ pluribus annis quotidie post officium Divinum, mane, & vespere in hoc Conventu totus Chorus implorabat opem S.Clementis Papæ, & Martyris*

tyris

tyris, recitatione devota Reſponſorii: *oremus omnes ad Dominum IESVM CHRISTVM* &c: *& orante S. Clemente* &c: ac orationis propriæ de eodem S. Pontifice. Neſcio autem quo anno, poſt meum primum receſſum ex hoc Conventu, ceſſaverit hæc Devotio. Audivi vero ab omnibus Religioſis hic de illo meæ manſionis tempore ſuperſtitibus, quod jam ſæviente hyemali frigore harum Regionum, dum iſte Puteus inhoabatur, advolaverit mirabiliter ciconia avis Polonicè dicta *Bocian*, & tam ſuo volatu, quam roſtro in conſpectu omnium in loco putei fecerit circulum, ſuisq; vocibus, & clamoribus pluribus in eodem loco emiſſis, inſublimè avolaverit, ac ab omnium oculis evanuerit. In memoriam hujus Prodigii in una facie muri circumdantis hunc puteum finito ipſo ſtatim illo anno depictum eſt colloquium Chriſti cum muliere Samaritana hauriente aquam ex puteo, deſcriptum in Evangelio S. Ioannis Cap. 4. ac depicta eſt ciconia ſtans ſuper columnam ejuſdem putei; ſub hac verò imagine etiam nunc leguntur verſus ſequentes:

Limpida lympha ſuos non Ceſſat ducere curſus
Elicit hanc vivus fons ſalientis aquæ.

* *
*

Super

Super ciconiam autem legitur inſcriptio hæc
23. *Novembris*

Advolat extra ſpem demiſſa ciconia Cælò,
Credere ſic faſ eſt, nam fuit acris hyems.
Ter fodiens roſtro, latitantes indicat undas,
Cæleſtes potus, ut ſacer ordo bibat.

Idem teſtatur doctiſſimus Vir Sacræ Theologiæ Magiſter Innocentius Zatwardziałowicz his verbis:

Ego quoque infra ſcriptus, natus 24. Febr: 1690. teſtor me in Anno Domini 1712. Die 22 7bris indutum habitum Ord: Prædicatorum in Conventu memorati Montis inveniſſe hic antiquam conſvetudinem, juxta quam bis quotidie ab omnibus Religioſis in Choro genu flexis devotè recitabantur duo præfata in ſuperiori teſtimonio Reſponſoria cum verſu: *ora pro nobis B. Clemens* &c: & collecta propria de S. Clemente P. & M, primum Reſponſorium recitabatur poſt ſextam, ſecundum verò poſt completorium, & hoc obſervavi nũquam omiſſum toto tempore meæ illius manſionis in hoc Conventu. Poſtea manens pluribus annis in diverſis Conventibus noſtris, & reverſus ad hunc Conventũ inveni talem Devotionem eſſe ſublatam, ſed neſcio quo annô, & à quo Priore. Audivi autem ſtatim in meo ngreſſu Religionis à pluribus ſenibus Religioſis adhuc

eo tempore ſuperſtitibus, ſed nunc jam pridem omnibus mortuis, qui fuerunt præſentes in illa functione, in qua inchoabatur in hoc Conventu puteus in ſuperiori teſtimonio deſcriptus, quod omnibus Patribus anxiis, & dubitantibus, ubi poſſet in altiſſimo monte hoc, & in ſolida rupe inveniri aqua, advolaverit Ciconia, & deſignaverit aptum locum pro Puteo, ex quo nunc hauritur aqua in abundantiſſima copia. Ita quo ad omnia teſtor, in quorum fidem in eodem Conventu ſubſcribo 11. 7bris 1751. *Fr: Innocentius Zatwardzialowicz Sacræ Theologiæ Magiſter mpp.*

Excerptum ex libro autographo manuſcripto præferente Titulum: *Sacrum Diarium Sancti Montis Rosariâni.* Annus Domini 1743. Menſis Martius, Dies 6. Pag: 80.

Poſitio Sancti Montis Roſariani, ubi poſt deſcriptionem loci, hæc ſequuntur, quæ ſpectant ad Miraculum S. Clementis.

In Feſto S. Clementis P. & M. poſt ſolemnem celebratam Miſſam, & abſolutas ferventes ſupplicationes, ac in conſpectu omnium Ciconia ex ſylvis advolante, atque deambulante in loco nunc exiſtentis Putei, & pro ipſo aptum locum mirabiliter deſignante, & fodiente, ſeu percutiente ſuo roſtro [peracto autem tali officiô,] hæc

hæc avolavit, & evanuit avis, cum omnis ſpecies talium avium jam dudum ſtatim in initio authumni, tunc avolaverat, ex univerſis Poloniæ Regionibus frigidis, ad exoticas terras meridionales, callidas inchoatus hic eſt Puteus, finitus autem poſt octodecem integros annos in Feſto Purificationis Deiparæ (eodem Die, Leopoli fuit electus in Provincialem Sanctus Vir, Prior iſtius Conventus, Magiſter Thomas Kruſzewſki] dum tali die in iſto Puteo fons vivus emanavit, totumq; Conventum lætificavit. *Huc uſq; MSS. Diarium.*

Hic beneficentiſſimus Patronus, Sanctiſſimus Pontifex Clemens, renovavit antiquum ſuum miraculum in Prædicatorum Ordinem Clementiſſimus, & qui olim indició agni fontem impetraverat, nunc prodigioſo Ciconiæ, hyemali tempore advolantis, indicio, ſuam opem implorantibus fontem deſignavit ſuâ die anniverſariâ, Deipara autem Virgo ibi miraculoſiſſima deſignatum fontem à Clemente, ſuæ Purificationis Feſto patefecit.

Nuper verò deſideriis meis morem gerens A. R. P. Henricus Ruſſian Ioſephi Potocki, Caſtellani Cracovienſis, & Supremi Ducis exercituũ Regni, Theolog9 Emeritiſſimus, cum Definitorem ageret in Generalibus Comitiis Romæ, obtinuit à Sanctiſſimo D. Benedicto XIV. extenſionem Officii S. Clementis pro Roſariana Eccleſia, cujus decretum ſubiiçio:

Decretum Luceorienſe

Cúm Pater Fr. Henricus Ruſſian, Ordinis Prædicatorũ, Ex provincialis Provinciæ Ruſſiæ, & Prior Conventûs Sancti Montis Roſariani, Diæceſis Luceorienſis, Sanctiſſimo Domino noſtro, Benedicto XIV. humillimè expoſuerit, in Eccleſia dicti Conventus, maximâ devotione coli, tam â populo, quàm à Religioſis ejuſdem S Clementem Pontificem, & Martyrem, cujus ope, ac intercesſione, in eorum neceſſitatibus gaudere ſolent, proinde enixe eidẽ Sm̃o Dnõ N. Supplicaverit, ut iiſdem Religioſis concedere dignaretur facultatem celebrandi memoriam ejuſdem S. Pontificis, ſub Ritu Totius Duplicis cum Octava; Sanctitas ſua, ad relationem mei Secretarii, petitis benignè annuit. Die 14. Iulii, Annô 1756.

D. F. Cardinalis Tamburinus Præfectus



M. Mareſuſcus S. Rituum Congregationis Secretarius.

PIE-

Pietas in S. Clementem

Ex Missali Gothico nongentorum annorum apud Cardinalem Thomasinum, habenrur sequentes orationes.

CHriste Omnipotens Deus, qui B. Clementem Antistitem propter nomen tuum in altitudinem maris Paganorum tempestate demersum, ut in certamine probâsti bellorum, ita post bellum, patefactis arenis educis gloriosum, quæsumus pietatem Tuam, ut nos à concupiscentiæ procellis erutos, paternæ gloriæ repræsentes in noxios Salvator mundi.

Diem hunc gloriosæ Passionis Sancti, ac venerabilis Clementis Episcopi, per quem superstitiosa gentilitas corruit Iudæorum, & Fides Catholica in corda hominum radiavit, revoluto anni circulo, debito veneremur obsequio.

S. Isidorus in Breviario antiquissimo Mozarabico Toletano, sequentem habet pietatem.

ORATIO

OMnipotens Deus, qui Beatissimum Clementem Episcopum, & Martyrem passionem stimulis, quasi minantium fluctuum cumulis probari, non obrui permisisti

ſiſti, cum dimicantem nec pæna ſuperaret, nec immerſum unda ſuppreſſerat, quia ei & illic adfuiſti, ne cruciatibus vinceretur, & tunc præſtitiſti, ut contra naturam, fluctîbus portaretur, miraculis tantis fidem præſta, ut quod à celebrantibus devotiſſimè creditur, credentibus impenſiſſimè conferatur.

Reſponſorium. *Chriſtus Dominus Bm̃um Clementem Epiſcopum nec infixum in limo profundi, nec marinorũ fluctuũm fecit lege teneri, ipſe nos à noſtris carnoſæ voluptatis eripiat colluvionibus, & qui in altitudinem maris corpus Martyris ex ſcopulis non permiſit teneri, à cunctis nos tentationibus liberet, & à profũdo flagitiorum eripiat.*

ORATIO

DEus qui conſecratum tibi Corpus Clementis M. infixum in limo profundi ad ſuperos revocâſti, ut cujus mens tibi placita devotione inhæſerat, ejus corpori marina famularentur obſequia, Te quæſumus, ut meritis hujus Martyris nulla nos tentationum aqua operiat, nulla etiam tempeſtas in peccatorum profundo demergat, ſed levi manûs tuæ remigio ſuſtentati, ad littus mereamur pervenire Iuſtitiæ liberi, Amen.

ORATIO

DEus qui Beatiſſimum Clementem M. Tuum de malignorum Conſilio liberas, eruens illum de aquis multis, & Victorem efficiens in paſſionibus, libera nos de manu filiorum elienorum, ut inſidiantibus inimicis vita noſtra lædenda non pateat, nec illorum proceritas ſæva de ruinæ noſtræ caſibus hilareſcat, ſed gladio verbi Tui accincti, & hic adverſa ſuperemus in trepidi & poſt ad te mereamur pervenire illæſi, ac beati, amen.

ORATIO.

DOmine Deus, qui Beatiſſimum Clementem, Martyrii coronâ decoraſti, ut Sanctificatus inter Collegas, coronatus inter cælicolas, præfulgeret, ſit nunc Te annuente plebi tuæ præcipuus Patronus, qui magnus extitit inter electos, & quia non ſperavit in homine, ſed Te poſuit in adjutorium, ejus ſuffragio firmetur ſpes aucta credentium Amen.

ORATIO

CHriſte Domine, qui es Eccleſiæ Tuæ Caput, præſta, ut Clemens Beatiſſimus M. Caput in Corpore Eccleſiæ conſtitutus, qui tunc membra pro Capite dedit,

dedit, nunc Caput pro membris audire non cesset, sed Capiti proximum regat totum & protegat Corpus, ac impendens liberius, quod se exultat obtinuisse felicius, Amen.

Summis laudibus celebratur ab Ecclesia Sclavonica S. Clemens, quas ex prægrandi libro, cui vocabulum, *Trefolion*, ex Sclavonico latinè reddidimus.

Cantica de S. Clemente.

1 Vitis vineæ cælestis fuisti Pater summe Pontifex, venustos proferens ramos Spiritu mandatorum tuorum sapientissimè, stillans semper salutiferum vinum Divini intellectûs, & lætificans omnium piorum corda Castitatis cultorum, Divino Spiritu plenè omnino Beate.

2 Petri Supremi Discipulus Pater fuisti, in ejus Petra ædificâsti tanquam lapidem pretiosum Te ipsum admodum gloriosè, soliditate verborum tuorum omnem deposuisti structuram idololatriæ, Domos erexisti Divinas in cultum Trinitatis, pro qua decertâsti Beate, & coronam Confessionis obtinuisti.

3 Veluti Sol splendidus illuxisti Pater ab Occidente illuminans terram lumine mandatorum Tuorum, & vul-

neri-

neribus splendide, pervenisti ad oras orientales terbeate, occasum mortis subiisti, & illuxisti o! Clemens ad Christum, & ibi præsentibus radiis abundanter, incessanter propter Divinam participationem illuminaris.

PROSA.

De S. Clemente S. Theophanis.

A Petro Divinissimo edoctus Apostolorum Principe, & ab illo asvetus Divino intellectui o! Pater, Idololatriæ fraudes redarguisti.

Ramum à Deo plantatum in terra fructus virtuosos doctrinarum piarum Christus te proposuit, revera florescentem vineam.

In omnem terram diffusa revera Divinorum præceptorum enarratio tua Clemens Sapientissime, & omnes edocuit Trinitatem confiteri in unitate Deitatis.

Abundanter super infusa gratia Spiritus S. in labia tua o Prudentissime, quâ omnia illuminâsti divinoloqua tua instructione, & Christo adduxisti.

Freno temperantiæ tuæ motus Passionum coarctâsti, & & habitaculum Divini Spiritûs Te effecisti o! strenue, Prudens Pater.

Altum probitatis ascendisti, & nube intelligentiæ ob-

volutus conſpexiſti inenarrrabile lumen ſpirituale in puriſſima anima Tua,

Ab Occidente veniſti Beate ad Orientém Petro aſſociatus Apoſtolo, ut ejus Divina illuminatione, & inſtructione illuſtratus, cum ipſo prædicans, ſalutare verbum Occidentem integrum peragrâſti.

Alter Moyſes o! Clemens fuiſti, præcepta Divina omnibus exponens, ſacram ſcribens inſtructionem, & Eccleſiaſticam omnem ordinans impletionem, unde legiſlatorem, & Doctorem Te omnes fideliter colimus.

Religioſis ſudoribus emundatus ſacer Antiſtes declaratus es Beate, ad piam Religionem Chriſtianam omnes inducendo Divinoloqua Tua explanatione, Martyrium autem paſſus piè congruentem coronam comparâſti ſemper memorande.

In luce Divinorum mandatorum ambulans, hujuſce Filius factus es o! Beate non degener.

Omnem in terris abnegâſti affectum o! Pontifex, ut futuram gloriam aſſequaris, & lumen gloriæ Chriſti.

Martyrum condecoratus fulgoribus, cum Angelis modo adſtas Domino pro laudantibus Te intercedens.

Zelò amoris Dei accenſus idololatriæ fraudes redarguiſti fortiter rationalibus, & miris declarationibus, o! ſemper colende.

In ſo-

In ſomnem cuſtodiſti oculum, cordis tui, contra pravitatem nunquam dormitans o! glorioſe, piis aſcenſionibus ordinando virtuoſos ad ſumma.

Uti Epiſcopus honorandus ligare, & ſolvere peccata poteſtatem accepiſti à Salvatore Chriſto, multos enim peccatores à reatu abſolviſti erigens ad pænitentiam.

Diſcipulus fuiſti Petri Divinos ejus mores imitando o! Clemens Athleta, unde & Cathedræ ſuſceptor reverâ inventus es illuminans omnem creaturam.

Omnes Salvos fieri volens Deus, Tuis præcibus visũ tribuit Syſinio, & animæ, & Corporis oculos aperuit o! Pater, unde illuſtratur Divino lavacro.

Rivos ſanitatis effundis de Sancta Tua urna o! Clemens glorioſe, à malis eff ctionibus multos ſalvas ſẽper recurrentes ad Te, & canentes: Benedictus Deus Patrum noſtrorum.

Quaſi aurora exortus es illuminando omnes fines terræ, & noctem tetram propulſans Divinoloque idololatriæ, dicens: *Benedictus Deus Patrum noſtrorum.*

Myſticè rubricâſti labia calice ſapientiæ o! Clemens, eructâſti Divinæ inſtructionis barathrum ſubmergens dæmonica ſpectra, propter animas autem humanas ſcatuřiens ſalutem.

Tanquam perhonorificum ornamentum Ecclesia habens Divinas Tuas legis positiones, de Te gloriatur, & omnia movet Tuam memoriam celebrare in omnia sæcula.

Cursu consumato multis certaminibus, & perfectè Fide Christi servata justitiæ corona redimitus es.

Sicut conservâsti puerum quendam detentum Pelago annua circuitione, o! Martyr Christi, ita a Barathro peccatorum libera me.

Pietate colentes Te o! Clemens Martyr, à tribulatione & periculis, & afflictionibus libera intercedens apud Creatorem Christum.

ORATIO
De S. Clemente, Græcè;
TROPARION

QUi à Deo miraculis gloriosissime rapis in admirationem universum o! Sancte Martyr ultra naturam compages maris facis dividi tempore honorandæ Festivitatis tuæ, venientibus semper propenso animo in divinitus conditam Ecclesiam ad miraculosas Reliquias, & post popularem egressum maris fluctus in unum componis miraculosè, o! Clemens admirande, ora Christum Deum salvas fieri animas nostras. Compo-

Composui etiam novum officium de S. Clemente cum Hymnis, Responsoriis,& Lectionibus propriis, quod cũ instantialibus literis Serenissimæ Reginæ Poloniæ, Celsissimi Primatis Regni, Adami Komorowski, & Illustrissimi D. Ioannis, Clementis, Branicki, Palatini Cracoviensis, supremi Ducis Exercituum, remissum Eminentissimo Cardinali Albano, S Clementis, Protectori, ut à Sede Apostolica approbaretur, sed tamen ingentem difficultatem intellexi ex Epistola Eminentissimi Cardinalis, Ioannis Francisci Albani, Cardinalis & Protectoris Regni, quam in testimonium benevolentiæ tanti Principis appono:

Molto Reverendo Padre

RIconosco per effetti della Costante amorevolezza di V. P. Cosi verso dime, che della mia Casa L' espressioni Cordiali, ch' ella si è Contentata di farmi a motivo della perdita fattasi del fu Sigr Cardinal S. Clemente mio Zio, e La ringrazio ben vivamente, di questa obligante attenzione da lei usatami essendosi degnata La Clemenza di sua Maestà, di destinarmi in lugo del difonto predetto Protettore, di Coresto suo Regno. La P. V. púo Credere, ch' io non lasciarei di contribuere alle di lei premure, irca L' offizio di S. Clemente, Se queste affare non fosse di quella difficile nascita, che

che piu volte ho inteso Cio non ostante, dovunque io possa impiegarmi a compiacerla, Si persvada, ch' ora pui, che mai La farò Sempre Volontieri; e di Cuore per fine resto

Urbino 5 Feb: 1752. Di V. P.

GIOVAN, *affezzionatissimo di Cuore*
FRANCESCO CARDINAL DI S. CESAREO

CAPUT XXI.

De Hæredibus nominis, & Sanctitatis.

S. CLEMENTIS
CLEMENTES.
Sanctitate, Martyriò, insiniq; virtute
ILLUSTRES,
Clementem Papam, Antesignanum suum nomine & vita sequentes.

CLEMENTIS nomen præclaro illustrat elogiô S. Ioannes Chrisostomus dicens: Deus prætereа pi-

os, & Clementes non eos ſolum, qui egenum pecuniis juverint, verum & qui animò fuerint ad commiſerationem facili, extollit, ac beat. Ut pote qui ſit bonorum omniū theſaurum conſecutus, mentem ſcilicet Clementem, ac piam, è qua ſcaturire omnia conſtet, quæ ad proximi faciant utilitatem, ita, ut in poſterum ſit præmia à Deo præparata habiturus. *Tomo* 5. *Pag.* 325. Exaltatos, & Beatos Clementes jam coronatos ab illo, qui eſt Clementiſſimus, brevi calamo hic deſcriptos exhibeo, qua in re facem mihi prætulit Auguſtinus Oldoinus è Soc. IESU, librum de Clementibus nuncupans Clementi X. Romano Pontifici, illi tamen majorem addere lucem cenſui, cum undecim Romanos Pontifices Clementes, aliosq; inſignes exhibebo. Illuſtravit Apollodoros ſuos, Apollodorus Grammaticus Græcus. Andreas *du Sauſay* Gallus celebravit Sanctos Andreas, Antonius Sanderus Gandavenſis Antonios, Iacobus à S. Carolo Canonicus, SS. Iacobos, Thomas Dempſterus, Scotus, tres Thomas, Philippus Labbe Philippos, Theophilus Raynandus, Theophiloſ, Leo Allatius Georgios, Simeones, & ſex Methodios, Horum æmulatus Zelum, & pietatem, Clementes, hæredes nominis, & virtutis, primi Sanctitate Clementis Romani celebrandos aggredior, Clementes inquàm Sanctos, Clementes Beatos, & Clementes venerabiles propono.

I. S.

I. S. Clemens natione Græcus, primus ex Græcis; Sicut S. Clemens Papa primus ex Latinis in Christu credidit, Quinquagesimus secundus, Christi Discipulus ex numero septûaginta duorum Discipulorum, ab Apostolo Paulo in Insula Cretæ, Caniæ ordinatus Episcopus, sive Sardicæ, ut scribit Franciscus Samarinus Parte quarta Thesauri Sacerdotalis Cap. 3 Pag: 7. ubi loco Sardicæ dicitur Sardiniæ Episcopus In maxima rerum, ac temporum difficultate præsedit, cum atrocissima Neronis Imperatoris persecutione universus terrarum Orbis concuteretur. Incertum est, an per Martyrium, an tranquillo fine quieverit, non ambigo tamen multas perpesum fuisse ærumnas pro Christi nomine, persecutionis præcipuè procella superurgente.

II. S. Clemens Romanus Vir consularis S Clementis Papæ Patruus, Apostolorum Discipulus, Galliæ Belgicæ Apostolus, una cum Sanctis Episcopis, Fusciano, Victoriano; Piatone, aliisq; sociis Galliam Belgorum Fidei Christianæ lumine illustravit, pedibus peragrando Ditiones omnes, quæ sunt ultra, citraq; Rhenum, nec non Hannoniam, Nosriciam, Morinos, ac Spirenses, morum integritate, doctrinæq; præstantiâ ad Christi signa traducendo; colitur eadem die 23 Novembris, qua S Clemens Papa, in Martyrologio Gallicano. Aliqui confundunt illum cum alio Cle-

mente

mente Episcopo Metensi, Nam hic Galliæ Belgicæ Apostolus, ille Episcopus Metensis, Metis est urbs ad Mosellam fluvium in Lotharingia, adeoq; inter urbes, nō Belgicæ, sed Celticæ Galliæ famosa, & inclita semper habita est.

III. S. Clemens Romanus, Vir Senatorius Apostolus, Metensis in Lotharingia, virtutibus Clarissimus, incredibili Sanctitate omnium virtutum decore ornatus, quē Petrus Apostolus ab Urbe Roma direxit, utq; Pontificali dignitate præesset iis, quos Christo subjugaret, ordinavit. Advenit itaq; Metim, quæ à Metio Iulii Cæsaris Equite nomen desumpsit, quinto Claudii annô, sedit in Episcopatu viginti quinque annis, & mensibus quatuor hoc est sûb Claudio, & Nerone, obiit tempore Vespasiani, post passionem B. Petri, & mortem Neronis, ut testatur Chronicon Episcoporum Metensium Tomo 6. Acherii Pag: 644. De illo prodit memoriæ S. Antoninus in Chronico Pag: 440 quòd cum pervenisset ad civitatem Metensem, ab hospite susceptus, hæc ab illo audivit. Est hic arenarium ab Octaviano Imperatore nobiliter constructum, & in Amphitheatrum decenter formatum, in quo Draco incredibilis magnitudinis cum sua prole inhabitat pestifera, quorum flatus ipsum aërem circumquaque corrumpens, etiam aves, quas supra

volitare contigit, perimit; si ergo est aliqua virtus Dei vestri, ecce evidens ostium prædicandi, & paratissimus aditus in Deum vestrum credendi, si tanta vis pessimæ necis extingvatur, & morbidis sanitas restituatur. Hæc Sanctus audiens præ gaudio lachrimans, annuit. Illo annunciante toti urbi, occurrit multitudo virorum illustriũ, & populus infectus illa lue, quos S. Clemens baptizans, illico sanavit, incipiens à suo hospite. Sequenti die celebrata MissâPontificaliter cum Psalmis processit ad locũ Cavernæ, sequente omni populo, cui in posito amplo theatro jussit stare, & videre scenam grandem, deinde stans supra locum, adjuravit Draconem in nomine Domini, ut Caput elevaret, mox caput elevatum, stolâ suâ per collum cingens traxit post se, & sequi jussit, sequebatur illud horrendum animal cum infinita prole sua, ipso visu horribili, & ducens ad vicinum flumen, omnes jussit præcipitari. Sicq; locus mundatus est ut vix parvus vermiculus modò reperiatur. *Hæc ille.* Hoc amphitheatrum in Ecclesiam mutatum fuit, in quod quarta nonas Maii, translatum est Corpus S. Clementis primi illius Civitatis Episcopi, à Domino Herimanno venerabili Episcopo ejusdem urbis, qui tanti Cælitis cadaver exhumatum, ad venerationem perpetuam in Basilica S. Felicis multa cum honorificentia invexit, quæ sacra ædes

postea

postea ob miros splendores B. sui Hospitis ampliorem in structuram provecta, S. ipsius Clementis nomine cæpit insigniri In *Martyrologio Gallico Andreæ Du Sass:*

IV. S. Flavius Clemens Vir Consularis, & Martyr, hujus nobilitas apparet ex Stemmate Familiæ Flaviæ, quod hic propono, illustratum ab Edmundo de Witry Soc. IESU in Tumulo illustrato ejusdem Flavii Clementis, impresso Urbini annô 1727. sub Benedicto XIII.

STEMMA FAMILIÆ FLAVIÆ

1. VEspasius Pollio. 2 Vespasia Polla, uxor T. Flavii Sabini n. 8.	3. Fl. Liberalis. 4. Flavia Domitilla. Vespasiani Imp. uxor n. 10.	5. Domitius Corbulo 6. Domitia Longina uxor Domitiani Imperatoris n. 13.

7. T. FL. Petronius. Uxor Tertulla.
8. T. FL. Sabinus. Uxor Vespasia Polla n. 2.

9. T. FL. Sabinus. 10. T. Fl Vespasianus. Uxor FL. Domicilla n. 4.

9. T. FL. Sabinus		9. T. FL. Sabinus	10. T. Fl Vespasianus		
17. T. F. Sabinus Uxor Iulia Imp. Titi filia. n. 12.	18. Plautilla. 19. Fl. Domitilla Virgo & Martyr	20. T. FL. CLEMENS. Uxor FL Domitilla n. 16.	11. Titus. 12. Iulia Augusta Flav: Sab. uxor n. 17.	13. Domitianus Imp Uxor Domitia Longina n. 6.	15. Domitilla 16. FL. Domitilla uxor T. F. L. A.

21. Filii duo, quorum alter Vespasianus, alter Domitianus appellatus est, post Domitiani Cæsaris mortem.	n. 17.	14. Domitianus Cæsar qui puero obiit.	Fl. CLEMENTIS n. 20.

1. Vespasius Pollio, ter Tribunus militum, Præfectusq; castrorum fuit, ut docet Svetonius, [a] qui & Vespasiæ gentis splendorem commendat his verbis: *Locus etiam nunc ad sextum milliarium à Norsia Spoletum euntibus, in monte summo appellatur Vespasia, ubi Vespasiorum cõplura monimenta exstant, magnum indicium splendoris Familiæ, & vetustatis.*

2. Vespasia Polla Vespasii Pollionis Filia, mortuo sine liberis, ut suspicari pronum est, fratre, quem fuisse Senatorem prætoriæ dignitatis Svetonius (b) affirmat, Vespasiæ Domus sola hæres fuit, atq; ideo ab ejus nomine filius Imperator, Vespasianus cognomen accepit, ut T. Flavius à Patre, Vespasianus à Matris, nomine diceretur; de ea nihil admodum Historici narrant, nisi quod Vespasianum filium ad Capessendos Magistratus reluctan-

tem

[a] In Vesp. Cap. 1. [b] In Vesp. C. 2.

tem impulit, Is enim, ut narrat idem Svetonius, [c] sumpta toga virili Latum clavum, quamquam Fratre adepto, diu aversatus est, nec ut tandem appeteret, compelli, nisi à matre potuit. Ea demum exudit magis convicio, quam precibus vel auctoritate, dum eum identidem per contumeliam ante ambulonem fratris appellat.

3. Flavius Liberalis Ferentini genitus, nec quidquam amplius quàm quæstorius scriba fuit. [d]

4. Flavia Domicilla Flavii Liberalis Filia, [e] Statilii Capellæ equitis Romani Provincialis, nempe Sabratensis ex Africa olim delicata, mox ubi ingenua & civis Romana recuperatorio judicio pronunciata est, Vespasiani uxor fuit. Neque verò Flaviam eam dictam fuisse quisquam putat, quod Flavii Vespasiani uxor foret, sed quod Flavii Liberalis Filia. Hæc autem prima est ex quatuor illis fœminis, quæ nomen idem hac ætate gesserunt, obiitq; antequam Vespasianus Imperium adipisceretur, relictis ex eo liberis Tito, & Domitiano, qui postea Imperatores fuêre & Flavia Domitilla, quam pariter Vespasianus [f] adhuc privatus amisit. Matrem consecravit Titus consulato suo VIII. eodem ultimo, ut veteres nummi docent; reliquarum ejusdem nominis fœminarum in nummis quidem veteribus nulla exstat memoria.

5 Do-

[c] Ibid. c. 2. [d] Ibid. c. 3. [e] Ibid [f] Ibid.

5. Domitius Corbulo Vir fuit bellô strenuus, & disciplinæ militaris asper etiam usque ad severitatis famam exactor, cujus res in Belgio, Syria, & Armenia præclarè, fortiterq; gestas Dio [g] Tacitusq; [h] narrant. Is Neronis jussu è Syria evocatus in Græciam, & interemptus est, cum illum omnes quibusvis præmiis dignum arbitrarentur, ipse dignum se morte fateretur, qui se inermem obtulisset Tyranno.

6. Domitia Longina Domitii Corbulonis filia nupsit Ælio Lamiæ, quem Dio [i] L. Lamiam Æmilianam vocat, ac deinde [k] à Domitiano in matrimonium abducta est, postea demissa, mox revocata. Filium habuit Domitianum Cæsarem, & DIVI CAESARIS MATER in nummis appellatur.

7. Flavius Petronius Municeps Reatinus, bello civili Pompejanarum partium centurio dicitur à Svetonio, [l] & uxorem habuisse Tertullam, quæ nepotem Vespasianum educavit in prædiis Cosanis. [m] Ille Aviæ memoriam tantopere dilexit, ut solemnibus, ac festis diebus poculo quoque ejus argenteo potare perseveraverit. Tertullam idem Svetonius intelligit cum refert, [n] nato Vespasiano Patrem Sabinum haruspicio insuper confirmatum renunciasse Matri,, nepotem ei Cæsarem genitum

nec

[g] Hist l. 60. p. 685 E & l. 62. p 710, A. & c. [h] Annal. l, 11. & 13. Hist. l 2. c. 75. [i] l. 66 p. 746. A. [k] Suet. in Domit. c. 1. & Dio l. 67. p. 759. E. [l] In Vesp. c. 1. [m] Ibid. c. 2. [n] Ibid. c: 6.

nec illam quidquam aliud, quàm cachinasse, mirantem quod, adhuc se mentis compote delıraret jam filius suus.

8. T. Flavium Sabinum T. Flavii Petronii filium, publicanum & expertem militiæ fuisse Svetonius (o) tradit, quippe, qui publicum quadragesimæ in Asia egerit, exactor nimirum seu redemptor vectigalis ac portorii illius, quod à Galba deinde remissum esse veteres nummi testantur hac Epigraphe: QUADRAGENS. REMISSE & REMISSAE XXXX, & XL. R. Titus TI Sabinus uxorem duxit Vespasiam Pollam, de qua jam diximus, [p] Vespasii Pollionis filiam, ex qua liberos suscepit T. Flavium Sabinum, & T. Flavium Vespasianum Imperatorem.

9. T. Flavius Sabinus T. Fl. Sabini, & Vespasiæ Pollæ filius, T. FL. Sabini, de quo agemus postea, [q] Plautillæ, & nostri T. FL. CLEMENTIS pater, dum Vitellio Romanam rem tenente Præfectus Urbis, ut scribit Tacitus [r] Vespasiani Fratris absentis partes Romæ tuetur, compulsus in Templum Iovis Capitolini & eo succenso à Vitellianis oppressus est, [s] idem videtur hoc ipso annô V C. 822. CHRISTI LXIX. Consul fuisse suffectus Kalendis Maiis, quibus, ut alibi diximus; fasti Pighiani (t) docent suffectos Consules, fuisse Cælum Sabinum & Titum Flaviúm, Titi filium, Titi nepotem Sabinum. Fuisse illum Vespasi-

[o] In Vesp. c 1. [p] Num 2, [q] N. 17. [r) Hist. l. 3. Cap. 64. (s) Sueton. in Vitell. c. 15. [t) Editi a Grævio tom. XI. Antiq. Rom. ad ann. V. C. 822.

Veſpaſiani Fratrem natū grandiorem apparet, tum ex eo, quod Svetonius [*u*] narrat de quibuſdam oſtentis in ejus, ac veſpaſiani ortu; tum quia ipſe patris, Veſpaſianus à matre derivatum cognomen accepit, quemadmodum ferme Veſpeſiani filii duo, major Titus Veſpeſianus à Patris nomine, minor ab uxoris Dimitiæ nomine Domitianus poſtea dictus eſt; tum deniq, quia latum clavum diu ante fratrē geſſit, ut ſupra auctore Suetonio [*x*] diximus.

10. Titus Flavius Veſpaſianus Imperator, alter T. Flavii Sabini, & Veſpaſiæ Pollæ filius, natus eſt, ut Suetonius [*y*] perhibet, XV. Kal Decembris, Q. ſulpitio Camerino, Poppæo Sabino Coſſ. nimirum anno V.C. 762. Chriſti IX. exeunte, [*z*] quinquennio antequam Auguſtus excederet. Quare annum expleverat ætatis LIX. agebatq; ſexageſimum, cum imperare cæpit anno V. C. 822. CHRISTI LXIX. ipſis Kalendis Iulus, ut vulgo affirmanti Dioni creditur, ſeu V nonas Iulii, ut numerant Euſebius in Chronico, Caſſiodorus, Clemens Alexandrinus, & Theophilus Antiochenus à Pagio [*a*] memorati. Imperavit Veſpaſianus annos ferè decem, vixit annos LXIX menſes ſeptē diesq; pariter ſeptem. Nam extinctus eſt, ut ſcribit Svetonius [*b*] VII. Kal Iulii annū gerens ætatis ſexageſimum ac nonum, ſuperq; menſem, ac diem ſeptimum, nimirum

ab

[*u*] In Veſp. c. 5. (*x*) In Veſp. c, 2, [*y*] Ibid. [*z*] Petav. de Doctr. temp. l. XI. c. 16. p. 326. [*a*] Crit, in ann. Baron, ad ann. Chr. 79. p. 71. [*b*] In Veſp. c. 24.

à die XVII. Novembris anni V.C.762. Christi IX. ad dié Iunii XXIV. VC 832. Christi LXXIX. Itaq;ad annos Imperii decem absolvendos defuerunt dies sex, si cum Dione imperii ejus initium referimus ad Kalendas Iulias, septé, si ad V nonas Iulias cum Eusebio aliisq; imperare eum cæpisse dicimus, octo, si quod multi faciunt, eum diem, quo vivere desiit, non annumeramus.

11. Titus vivo etiamnum Patre Vespasiano ascitus est in aliquam Imperii partem, scilicet postquam expugnata Hierosolima victor Romam rediit; [c] neque ex eo destitit participem, atq; etiam tutorem Imperii agere. Triumphavit cum Patre, censuramq; gessit unà. Eidem collega, & in Tribunitia potestate, & in septem consulatibus fuit.

12. Iuliam Titi Augusti filiam, ipsamq; Augustam nũmi prædicant. Matrem ejus Suetonius [d] docet fuisse Marciam Furvillam, splendidi generis fæminam, quam Titus duxerat post Arricidiæ prioris uxoris mortem, & cum qua, sublatà filia, divortium fecit.

13. Domitianus Imperator, alter Imperatoris Vespasiani filius, natus est, inquit Svetonius [e] IX. Kal. Novembris, patre Consule designato, inituroq; mense in sequenti honorem, scilicet anno V. C 804. Christi LI. quo-

 Vespasi-

[c] Suet in Tito c. 8. [d] In Tito c. 4. (e) In Domit. cap. 1.

Vespasianus primum consulatum gessit. Consul suffectus ad duos postremos anni menses.

14. Domitianus Cæsar Domitiani Imperatoris, & Domitiæ Longinæ filius obiît adhuc puer, quippe natus imperante jam patre, & ante XII. ejus Imperii annum mortuus.

15. Flavia Domitilla Vespasiani Imperatoris, & Flaviæ Domitillæ Filia [f] obiît antequam pater Imperiũ obtineret. Cui nupserit, scriptores non prodidêre, verũ dubitari non potest, quin alterius Flaviæ Domitillæ Mater fuerit, quam Domitianus T. FLAVIO CLEMENTI, de quo jam disputamus, in matrimonium collocaverit, ut mox dicemus.

16 Flauia Domitilla illius, quam modo appellavimus, Flaviæ Domitillæ Filia, prioris Flaviæ Domitillæ & Vespasiani neptis, ipsa est, quam T. FLAVIUS CLEMENS duxit uxorem, & quæ post viri necem in Pandatariam insulam deportata est.

17. Titus Flavius T. Flavii Filius Sabinus, alter ex Domitiani patruelibus, [g] ut eum Svetonius appellat, nostri T. FLAVII CLEMENTIS frater, & quidem major, ut censet Tillemontius (h) Imperatoris Domitiani jussu occisus est, quod eum comitiorum Consula-

rium

[f] Sueton In Vesp. c. 3. [g] In Domit. c. 10. (h) Tom. 2. part. 1. mem. Eccl. edit. Brux. ann. 1695. p. 214.

rium die destinatum, perperam præco non Consulem ad populum, sed Imperatorem pronunciasset.

18. Plautila T. Flavii Sabini filia, Titi Flavii Sabini & & nostri T. FLAVII CLEMENTIS soror, Flaviæ Domitillæ Christianæ Virginis, & Martyris Mater fuit. Eam ab Apostolo Petro fuisse Christianæ Fidei præceptis imbutã, & baptizatã, & anno post S. Petri mortẽ nõdũ expleto, die XX. Maii, quo die memoriam ejus Sacri Fasti celebrant, in pace vivere desiisse colligitur ex iis actis, quæ Bollandistæ referunt [i] ad diem XX. Maii.

19 Flavia Domitila Virgo, & Martyr, Plautillæ, quæ FLAVII nostri CLEMENTIS soror erat, filia, ut scribit Eusebius [k] ab Apostolo Petro Christianis sacris initiata, & cum matre simul baptizata est. Hujus memoriam jam ab annis admodum mille agit Ecclesia Romana die XII. Maii, tanquam Sanctæ Virginis, ac Martyris. Primum enim in Insulam Pontiam relegata anno Domitiani XV. ut ex veterum scriptorum, etiam è religione Christiana alienorum monumentis descripsit Eusebius: [l] deinde Trajano Imperante mortem pro Christi Fide subiit. Exilii in Pontiam Insulam à Domitiano imperati, & Cellularum, in quibus Sancta Virgo longum Martyrium duxerat, meminit S. Hieronimus [m] Epistola illa ad Eu-

(i) Tom 5. Maii p. 172 [k] Hist. l. 3. c. olim 14, jam 18. [l] Ibid. [m] Tomo 1. Ep. 27. p. 103. A. edit. Rom. ann. 1595.

ſtochium, qua epitaphium Paulæ matris continetur.

20. Devenimus tandem ad T. FLAVIUM CLEMENTEM T. Flavii Sabini filium, T. Flavii Sabini nepotem, atq; adeo Veſpaſiani Imperatoris Fratris filium, Titi, & Domitiani Patruelem, qui poſt geſtum cum Domitiano Conſulatum pro Chriſti fide, & quod Romanorum Deos colere nollet, à Domitiano mori juſſus eſt, ejus cõjuge Flavia Domitilla pariter Chriſtianâ in Inſulam Pandatariam, ſeu Pandariam, quæ in ſinu Puteolano ſita eſt, deportatâ.

21. T. FLAVII. CLEMENTIS Martyris, & Flaviæ Domitillæ filii illi duo ſunt, quorum alterum, ut ſcribit Svetonius [n] Veſpaſianum, alterum Domitianum appellari Domitianus juſſerat, & ſucceſſores palam deſtinaverat, tradideratq; Fabio Quintiliano erudiendos, & educandos, quod ipſe teſtatur his verbis: [o] cum verò mihi Domitianus Auguſtus ſororis ſuæ nepotum delegaverit curam, Scribebat hæc Quintilianus poſt abſolutos tres priores operis ſui libros, atque adeo ætatis ſuæ anno primo, & quinquageſimo, imperantis Domitiani XII. & XIII. V. C. 846. Chriſti XCIII. ut colligitur ex Annalibus Quintilianeis (p) quos eruditè digeſſit Henricus Dodvellus. Quid illis deinde factum fuerit, Scriptores non docent, Chriſti-

namq;

[n] In Domit. c. 15. [o] In ſtit. l. 4. prol [p] Pag. 117, § XXI. &c.

anamq; fidem amplexi ſint, adhortantibus, & exemplo præeuntibus, patre, & matre, merito dubium eſt. Quod enim ſcribit Ludovicus Aurelius Peruſinus in Epitome Annalium Baronii, [q] de Domitiano: Flavium Clementem Patruelem Excõſulem, & ut quidam tradunt, duos inſuper ejus filios, quos jam Cæſares deſtinaverat, ob Chriſti fidem mactari jubet: à quibus id tradatur, neſcio; à veteribus ſcriptoribus, qui FLAVII CLEMENTIS meminerunt, ipſoq; Baronio non tradi ſcio.

De FLAVII CLEMENTIS morte, ac Martyrio quid Suetonius, [r] & Dio [s] quid deinde Euſebius, Chriſtianiq; Scriptores referant, tam diligenter,tam erudité Baronius exſcripſit, ut Antonius Pagius nihil reperit, quod vel adjungi poſſet, vel deberet emendari (t) Svetonius quidem hæc pauca prodidit: (u) Denique FLAVIUM CLEMENTEM patruelem ſuum, contemptiſſimæ inertiæ, cujus filios etiamnum parvulos ſucceſſores palam deſtinaverat, & abolito priore nomine, alterum Veſpaſianum, appellari juſſerat, alterum Domitianum, repente ex tenuiſſima ſuſpicione tantum non ipſo ejus conſulato interemit. Quo maximè facto maturavit ſibi exitum. Quod Svetonius CLEMENTEM contemptiſſimæ inertiæ accuſat, ideo facit, ut egregie Baronius [x] ad-

q) ad ann. 98 p. 94. [r) In Domit. Cap. 15. (s] l.67. p. 766. A. [t] ad ann. Chri. 96. Baronii. 98. (u] In Domit. Cap. 15. [x] ad ann. n. 1. Chri. 98.

vertit, quod Chriſtiani tranquillioris vitæ cupidi, ac proinde pacifici, urbanos ſtrepitus, ac Palatii, ac curiarum tumultus vitare ſolerent. Vetus enim, ac frequens hæc erat in gentilium ore in Chriſtianos ſolita jactari contumelia, nimirum, quód eſſent inertes; quam quidem refellens Tertulianus hæc ait: (y) ſed alio quoque injuriarum titulo poſtulamur, & infructuoſi in negotiis dicimur. Sed in pravis operibus Chriſtianos omnino frigidos, inerteſq; ſe habere, in bonis autem ſtudioſos, ac ſedulos eſſe, pluribus monſtrat. Quam obrem quod erat ſummæ virtutis ſpecimen in CLEMENTE, quod, cum filios Imperatores poſſet habere, dummodo eadem, quæ Domitianus numina coleret, prætuliſſet his omnibus ignominiam Crucis, Svetonius contemptiſſimæ adſcribit inertiæ.

Dio vero Caſſius FLAVII CLEMENTIS mortem, mortiſq; cauſam breviter ita narrat: (z) eodem anno, ſcilicet Domitiani XV. Domitianus cum alios multos, tū vero FLAVIUM CLEMENTEM Conſulem, & ſi patruelis ejus erat, ac Flaviam Domitillam, & ipſam Domitiani conſangvineam uxorem habebat, morte affecit, illato ambobus crimine impietatis. Quo crimine plures etiam alii Iudaicos ad ritus exorbitantes damnati fuerunt: quorum

(y) In Apol. c. 42. (z) T. 67.

rum pars occisa est, pars spoliata facultatibus. Domitilla in Pandatariam relegata est.

At quoniam aliquot Martyrologia vetera, imprimis illud quod S. Hieronymo tribuitur, editum à Francisco Maria Florentino, [a] & alterum cujus fragmentum editum est ab Egidio Bucherio, [b] præter cætera, quæ Florentinius [c] recenset duos Clementes Martyres ponunt Novembri mense, alterum ad IX non VII. ut scribunt [e] quidam, Novembris diem, [f] alterum ad tertium, & vicessimum [g] facile adducor, ut suspicer T. FLAVIUM CLEMENTEM virum consularem illum esse, qui nono Novembris die passus esse dicitur cum Simprono, vel ut in Martyrologii fragmento Bucheriano [h) dicitur, Semproniano, vel quemadmodum R. P. Ioannes Baptista Solerius edit inter auctaria, ad Martyrologium Usuardi (i) Simphroniano, Nam is, cujus memoria recolitur Romæ die Novembris XXIII. & quem pleraque Martyrologia Episcopum & Martyrem vocant, alius esse non potest à S. Clemente Papa ejus nominis primo. (k) Nostrum vero FLAVIUM CLEMENTEM, & Romæ vitam pro Christi fide posuisse certum est, & omnino dignum fuisse, cujus nomen

[a] Lucæ ann 1668. [b] De Doctr temp. p 269. [c] Pag. 960. [d] Sive V. Idus Novembris [e] Tillem to n. 2 part. 1, Pag. 226 edit. Brux quamvis alibi IX, scripserit, & alii (f) Romæ natalis SS, Clementis, & Simproni, [g] Romæ natalis S. Clementis Ep. & Mar. [h) Pag. 269. [i) Tom. VII. Iunii p. 663 [k] Vide Soler, Ibid. Pag 694.

nomen in albo Sanctorum adſcriberetur, in quod Plautillæ ſororis, & Domitillæ ſororis filiæ nomina relata ſunt; & adſcriptum ſi fuit ad aliquem anni exeuntis diem aſcribi oportuit; & nullus eſt ſub anni finem dies præter diem Novembris nonum, ad quem probabilius dici poſſit FLAVII CLEMENTIS VIRI Conſularis, & Martyris nomen aſcriptum fuiſſe.

Singulari Dei Pròvidentia factum eſt, quod Eminentiſſimus Annibal Albanus tunc S. R. E. Camerarius, Epiſcopus Portuenſis, Cardinalis S. Clementis, Clementis XI. Pontificis maximi Fratris filius, Annô Domini 1725. qui erat annus magni jubilæi, Die 22 Ianuarii, ſedente Sanctiſſimo Domino noſtro Benedicto XIII. Ordinis Prædicatorum, Altare majus Baſilicæ S. Clementis ſubrui juſſit, ut reperta ibi Sanctorum Clementis & Ignatii Corpora, quæ inibi recondita eſſe hucuſque credebantur, prætioſiſſimis includenda thecis, publicæ fidelium proponeret venerationi, at præter opinionem reperta eſt Capſula plumbea oſſa continens Titi Flavii Clementis, cineres ſacro Cruore concretos, vas vitreum effractum, urceum fictilem, Crucem geminam ligneam, & æneam, imaginem cæream duplicem, quæ agni formam utrinque referebat, Capſulæ impoſita erat tabula marmorea, quæ talem continebat inſcriptionem.

FA:

FLAVS CLĒMMR
HC F LICT ET V
LEO · I · DOCT · X 13 · CŌ VI · ASP · EG

Primus versus facile legi poterat ita:
Flavius Clemens Martyr, hic feliciter est Tumulatus
Secundum versum interprætandum suscepit Edmundus de Witry Soc: IESU, cujus singulas conjecturales interprætationes hic recenseo.
Leo 1mus Doctor Christianitatis annò CDXL assumptus Pontifex Ecclesiæ. Sed hæc explicatio est ridicula, cum illi multa opponi possent. Alius eam sic legebat:
Leo 1. Doctor, Xistus Martyr, VItus à Sancto Petro Ecclesiæ Rector. Sed hæc minus vera, cum Xixtus non fu-

ſextus à Petro.
P. Edmundus de Witry ſic eam legendam ſtatuit:
Leo 1. Doctor Xiſti, ſeu Chriſti, concilium VI. tùm, auctoritate S. Petri egit.
Sed hæc veritati non cohæret, cum ſextum concilium à S. Leone non fuerat celebratum.
Cenſores actorum eruditorum Lipſiæ hæc rectitus ſic legi poſſe arbitrantur, codice 1728. *Pag.* 275. in Bibl: Caſſanatenſi: *Leo Idibus Octobris, Chriſti Martyris Reliquias poſuit Eccleſiæ Gremio.*
Demum Rmus P. Ioſephus, Auguſtinus Orſius Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, Vir de Romana Eccleſia Meritiſſimus, morem gerens deſideriis Eminentiſſimi Principis Albani, ſinceram & genuinam interpraetationem obtulit hanc.
Leo Idibus Octobris, Chriſto conſecravi, Aſtirio, Prothogene Conſulibus.
Hanc explicationem Doctiſſimus Vir illuſtrat Diſſertatione ſua Italicè ſcripta, quam mihi ſumma benevolentia communicatam, ſincere appono nunc primum impreſſam typis. Quod autem anno 449. Aſtirius, & Prothogenes fuerint conſules ex pluribus Epiſtolis S. Leonis oſtenditur, hoc conſulatu ſignatis. Nec obſtat illa interpolatio poſt literam 1. Doctor, quia in ſimilibus antiquis

tiquis inſcriptionibus, minoris eſſe conſiderationis, demõſtrat P. Lupi Nec id ſimiliter obeſt, quod litera E forma circulari non fuerit in uſu, quinto ſæculo, niſi tempore Iuſtiniani Imperatoris recepta apud Latinos fuerit, ut obſervat P. Witry Pag. 25 multis enim exemplis evincit P. Lupi hoc fuiſſe in uſu antiquius. Nec ſimiliter, quod illæ complicationes literarum non ſunt antiquæ, undæ priorem lineam arbitratur antiquiorem eſſe ſecundâ, ſed minus probabiliter dicitur, cum etiam prima linea minutioribus literis non careat.

DISSERTATIONE

Del Reverendiſſimo P. Gioſeppe, Augoſtino Orſi, Maeſtro del Sacro Palazio Apoſtolico, ſcritta all' Em̃o e Rm̃o ANNIBALE *ALBANO, Cardinale di* S. Clemente.

EMINENTISSIMO PRINCIPE

CIò, che ſogliono fare communemente quei, che imprendono ad illuſtrare i Libri degli Antichi ſcrittori, Graci o Latini, cioé di far pompa della loro erudizione, ove non fà di meſtieri, e abbandonarci nei poſti più dif-

 ficili

ficili, e oscuri: sembrami, aver fatto il dotto P. Witry nella sua erudita dissertazione, Sul Tumulo del Santo Martyre Flavio Clemente. Tutta, o almeno la principale difficultá consisteva in interpretarci la terza linea della Inscrizione incisa sul marmo, che chiudeva la Cassa, ove furone trovate le ossa, le Ceneri del Santo Martyre; allorchè vostra Eminenza, cercardo altre Reliquie, fece disfare l' antico altare della Basilica di S. Clemente; per fabricarne nuovo, degno della sua pietà, Religione, e magnificenza.

Questa e la mentova Inscrizione. e cosa facile leggere le due, primè lineè, non tanto molto difficile achi, e alquanto versato nella profana ed Ecclesiastica Istoria, raccolgere, le notizie, spettanti a Flavio Clemente, il quale lo stesso anno, in cui fu Consule con Domitiano, fu da lui fatto morire in odio della Cristiana Religione, è cosi otenne, la corona del Martyrio sicchè tutta, o almeno la principale difficolta si riducerà intendere la terza linea, della quale nō dimeno principalmente dipende l' intelligenza della inscrizione. Lo scopo di queste brevi memorie suol essere l' indicarci semplicemente. 1mo di chi sieno le ossa, o le ceneri chiuse in quell' urna, 2do da chi furono collocate, 3tio in qual tempo vi furono collocate Di queste tre cose, solamente la prima ci mettono sotto gli occhi, le due prime linee.

ee Le altre dⁱ e si contengono nella terza. Onde se non ɡ.. riva ad averne l intelligenza intorno a due terzi, per cosi dire, della inscrizione, restiamo affatto all' oscuro. Giá dunque doveva insistere principalmente chi intraprese per ordine di vostra Eminenza ad illustrarla.

Mà egli ingenuamente confessa essergli molto piu facile il dimostrare, in qual modo non debba leggersi e convincere di falsità, le altrui Interpretazioni, che l'additarci in qual modo debba essere letta e proporcene la vera spiegazione. Nulla certamente piu facile, che il dimonstrare l' assurdità di quelle, che sono da lui riportate, come suggeritegli, o communicategli da altri soggeti, dei quali altro altamente commenda l' erudizione, e in dissipare tali enigmi la sagacità, e la perizia. Basta leggerle, per rigettarle, tanto elle sono ridicole, ed inventate a Cappricci. Cio Saremo tentati di credere non averle per altro fine pubblicate, che per esporne gliautori alla publica derisione.

Segvendo il corso dei miei studi, mi è accaduto didover fare qualche ricerca intorno al Santo Martyre Flavio Clemente, Celebratissimo supra quanti furono trucidati per Cristo nella persecutione di Domiziano. In tale occasione ho veduto perla prima volta la inscrizione trovata nel discoprimento del suo sepolcro, è ho letto l'erudita Dissertazione composta per illustrarlo. Nulla in esso trovâ-

do

do che fosse di qualche momento, o che cotesto in alcunmodo cõtribuire, o facilitare l' intelligenza di quella terza linea, che non dimeno molto mi era a cuore d' intendere, mi fù suggerito averne detto qualche cosa l' eruditissimo P. Lupi nella sua nobilissima Dissertazione, sul Epitafio di Santo Severo. Sperai non senza ragione, cheun uomo, il quale in quella sua opera badato tanti saggi della sua abilità in questo genere d' erudizione, e della sodezza del suo giudizio L'avrebbe dato certamente nel segno, o che almeno mi avrebbe somministrato alcun lume, onde potesse fare colla sua scorta qualche passavanti tra queste tenebre. Non fù vana la mia speranza, avendomi egli, se male non mi lusingo aperta la strada a interderne il vero significato.
Osserva egli adunquu Pag. 26. che non avendosi riguardo C. Come in mille altre simiglianti Inscrizioni Convengono gli eruditi, antiquari non dovervisi avere] allà inetta è irregolare interpunzione, Cõtenersi, in quel verso le note Cronologiche dell' anno in cui fu posto quell' epitaffio. Ma nõ perquesto si applaudisse di averne fatto penetrato il vero senso per essersi trovato arrestato nella spiegazione di alcuni caratteri. Ha non dimeno voluto proporci cio, che gli era caduto in pensiero; sperando che forsse potrebero contribuire ad intendere quelle note, Qua, dice egli, Crucem hactenus fixêre interpraetari volentibus. E a ha creduto leggere

gere

gere in questo modo.

Leo (Papa hoc nomine primus.) Idibus Octobris X. [Decima] Indictione, sub consulatu uiri in lustris Astirii Posuit, Et Consecravit aut etiam: Patritii & Consulis.

Tutto, soggiunge il dotto scrittore, sarebbe tollerabile, se le congeture non fossero dissipate dalla enunziata Indizione; la quale sotto il consolato di asturio, und è notato l' anno 449 non debbe essere la decima, ma la seconda. Al che creando avrebbe potuto aggiungere, che circo la mettà del secolo quinto, non erano ancora in uso le Indizioni ne con esse si votavano i publici monumenti. Percio, aggiunge, che cadendo il consolato di Flavio Asturio nell anno decimo del Pontificato di S. Leone. potrebbe forse taluno sospettare, denotare quelle due lettere, o note XI. l' anno decimo del suo Vescovado, o della sua consecrazione. X. Initiationis, *mà neppur questa spiegazione gli quadra; si per essere troppo violenta l' applicazione della nota, o lettera L. o denotare l, Episcopato, e poco usitata nella chiesa la voce d'* iniziazione. *si ancora per potersi con ragione dubitare, se in quel secolo si fosse introdotta appresso Romani Pontefici l' uso dinotare nelle pubbliche memorie gli anni del loro Pontificato Obbandonata per tanto questa piegazione, ne propone un' altra della quale non occorre, qui far parola, confessando egli stesso ingenuamente Dopo di averla esposta* De his o-

mnibus

mnibus nè somniasse quidem eum, qui lapidem scripsit. *Mà se il Chiarissimo âutore non ha trovato una spiegazione, onde potesse restar soddisfatto, io però seguendo le sue bracce; ne ho trovate una, odue, le quali da me lette ad alcune Persone erudite, hanno avuta la sorte d' incontrare la loro soddisfazione. Ho creduto adunque potersi leggere quella linea in una delle seguenti maniere.*

LeoIDibus OCTobris *XIS* [Christo] COnsecravi Viro Illustri Astirio, Patritio, & Consule.

Oppure:

Leo a. Consecra VI Astirio Protogen E Consulibus.

Sono questi i Consoli dell' anno 449 e col loro Consolato si trovano segnate più lettere del Pontefice S. Leone Che nelle Antiche Inscrizioni non debba spese volte tenersi Conto delle interpunzioni, le dimostra con molti esempi nel § X, della stessa Dissertazione il Chiarissimo P. Lupi. Onde non credo potersi alcuno mostrar difficile in amettere, che quelle lettere I. Doct: non ostante quel punto dopo l' I. possano significare Idibus Octobris. *Che le tre lettere seguenti XIS possano Contenere il nome di Christo, vedo essere sentimento Comune di quei, che appresso il P. Vitry hanno presso a interpretar questo verso; e molto bene lo prova lo stesso autore alla Pag. 7. ne credo possa in cio essere alcuna*

na

na difficoltà. Le due seguenti CO *possono ugualmente essere le prime lettere del verbo* Consecravi *e del nome* Consulatu. *E finalmente quelle, che vengono appresso, non essendo se, non lettere iniziali, amettono ugualmente La desinenza del genitivo e dell' ablativo, è tanto possono leggersi:* Viri in lustris, Astirii, Patritii, & Consulis, *Come le legge il P. Lupi, o, come, io pretendo, che debbano esser lette.* Viro illustri, Astirio, Patritio, & Consule.

Segvendo poi l' accennata regola di non tener conto delle Interpunzioni, possiamo allora unire quelle due lettere CO *colle due seguenti VI e formarne una sola parola:* Consecravi *E similmente tras curando il punto interposto tra il* P. *e l'* E *possono quete prendersi per le due lettere iniziali, è finale del nome* ProtogenE, *Che fù il Collega di Asturio nel consolato: Onde abbiamo; avere a Christo Consecrato questa memoria il gran Pontefice S. Leone nel Consolato di Asturio, edi Protogene l' anno 449. Solo una cosi vedo potersi operre aquesta interpretazione, ed e, non poter essere questa lapida di una tale antichitá, e ciò per due motivi, imo, per essere nelle due prime linee l'* E. *formata in questa guisa:* E. *la qual forma, secondo, che oserva il P.* Witry Pag. 25, *non cominciò adessere in uso nei monumenti Latini, prima dei tempi di Guistiniano, o di Giustino Imperadori, Onde giudica, non prima del sesto, o del settimo secolo poter essere stata scritta questa memoria.*

Il secondo argumento, di cui si vole lo stesso autore, per assignare a questa inscrizione la stessa etá, gli è somministrato da quelle complicazioni di littere nei due nomi EAVS CLM. *Osservando similmente, simili Congiunzioni di lettere, non essere*

Nnn   stare

ſtate in uſo appreſſo i Latini nelle Monete, o Medaglie o molto, meno nelle inſcrizioni, prima del ſettimo ſeſto a ſecolo

Ma quanto ſia lontana dal vero la prima Oſſervazione intorno alla forma della lettera E, lo dimoſtra di propoſito, e lo prova ad evidenza con molti eſempi lo ſpeſe volte lodato P. Lupi, nel § XV. della ſovente mentovata Diſſertazione, ove adduce molte inſcrizioni Latine, non ſolo molto più Antiche dei tempi di Giuſtiniano, o di Giuſtino Imperadori, ma di quelli, eziandio di S. Leone, e ſpettanti indubitatamente al quarto, e terzo, o ſecondo ſecolo dellaChieſa, nelle quali indifferente mente ſi trova la ſeconda vocale, o in figura quadra E, o in forma di ſemicircolo.

Di maggior peſo e la ſeconda difficoltà, per incontrarſi molto piu ſodo della ſeconda vocale in forma lunare quelle complicazioni di lettere negli Antichi monumenti. Ma benchè non così frequenti ſi trovano non dimeno ſimili Monogrammi nelle lapidi eſtratte dai cimeteri. Come appreſſo il P. Lupi alla Pag. 66. altro intricatiſſimo Monogramma ſitrova ruova in fronte del Calendario publicato dal Bucherio, che tutti convengono eſſere di un autore il quale fioriva circa la metà del ſecolo quarto ſotto il Pontificato di Liberio, & impero di Coſtanzo. Altri ancora ſene potrebbono aggiungere. ma gli adotti per ora baſtano; poiche eſſendo certamente piu antichi del ſettimo, e anco del ſeſto ſecolo, fanno abbaſtanza vedere, non eſſere così certe, che per un tal motivo non poſſa la noſtra Inſcrizione eſſere così certa, che per un tal motivo non poſſa la noſtra Inſcrizione eſſere dei tempi di S. Leone.

Ma finalmente quando ancora tutto ciò non foſſe giudi

cato

cato bastante a soddisfar pienamente alla opposta difficoltà; potrebbe dirsi, non essere della medesima età la scrittura delle due prime linee, e della terza. Ha dicio sospettato lo stesso P. Witry Pag. 5.

Concíosiachè dice egli, la terza linea e scritta con piu minuto Carattere, vi sará forse chi sospetterà esser ella scritta in diverso tempo dalle altre due, particolarmente essendone la forma delle lettere alquanto diversa, Come per essempio del l· E, nella terza linea, del l· E nelle due prime linee. Sono altresi nelle stesse due prime linee molte lettere fradi loro connesse, e unite, una coll· altra, ache nulla di simile si osserva nella terza. Et quia minutiori charactere (tertia linea) scripta est, erit fortasse, qui suspicetur, aliò tempore scriptam eam esse, præsertim, cum & literarũ forma non nihil diversa sit, vg. E in linea tertia, E in prioribus lineis duabus, & litterarum nexu, & implicationes multæ sunt in prioribus, lineis, in tertia nullæ. Nulla v'e adunq, per Confessione dello stesso P. Witry, in questa terza linea che ci obblighi a credere, esser ella piú recente del Pontificato di S Leone.

Avendo questi miei pensieri communicato fragli altri, a un vostro collega, mi ha egli stimolato, a mettergli sotto gli occhi e sotto la censura di vostra Eminenza, assicurandomi, che lei avrei fatto cosa grata; má molto piu

grato sarà á me quando abbia la sorte di ottenerne l' a pro-vazione, o almeno con benigno gradimento. Comunque ciò sia, non sarò almeno privo della consolazione, di avere a-vuto questa occasione di testificarle quelli alla stima, che è in me, del fino giudizio, & dell' acuto discernimento di V. Eminenza; siccome in tutte le altre cose, Così ancora in questo genere d' erudizione.

Illud ergo Sacrum Corpus anno 449. tumulatum fuit in Basilica S. Clementis a S. Leone Papa Idibus Octobris sub consulatu Astirii,& Prothogenis, atque altare consecratum Christo impositis Sacris Ossibus Flavii Clementis. Deinde Die 22. Iunii anno 1727. solemni pompâ propriis humeris hoc sacrum Corpus gestatum à Sanctissimo D. Benedicto XIII. processionaliter, in eodem altari elegantius instaurato reconditum fuit, cum hac manifesta inscriptione: *Flavius Clemens Martyr, hic feliciter est tumulatus* Hæc dies translationis apposita est in Romano Martyrologio ad diem 22. Iunii: *Romæ translatio S. Flavii Clementis Viri consularis, & Martyris à Domitiano Imperatore pro Christi fide interempti, cujus corpus in Basilica S. Clementis Papæ nuper inventum, ibidē solemni pompa reconditum est.* Testantur hanc Translationem tum numismata Benedicti XIII. cum hac inscriptione: *Corpore S. Flavii Clementis Excōsulis, & Martyris transla-*

transflato anno 1727. Tum etiam officium pro eadem die approbatum cum lectionibus sequentibus & oratione.

Die 22 Iunii

Festum

Translationis Corporis S. Flavii Clementis, viri Consularis, & Martyris.

ORATIO

DEUS, cujus nutu per diversa terrarum loca SS. Corpora disponuntur, tribue quæsumus, ut qui B. Flavii Clementis Martyris tui Translationem colimus, ipsi etiã à pravitate nostra, ad pie vivendi rectitudinem transferamur Per Dominum &c:

Lectiones

Titus Flavius Clemens, Titi Flavii Sabini urbis Præfecti Filius, ac Senioris Titi Flavii Sabini nepos, Vespasiani Imperatoris Fratris Filius fuit. Itemq; Titi & Vespasiani Imperatorum Patruelis S. Plautillam, quæ inclytæ Virginis, & Martyris Flaviæ Domitillæ Genitrix extitit, sororem habuit, genere, opibus, & Clientelis longè clarissimus. Cum autem Christianæ Religionis, veriq; Dei cultui nomen dedisset, quod falsos Romanorum Deos colere nollet, post gestũ aliquot menses Domitiano consulatũ, ab eo-

dem

dem interemptus est. Ejus vero uxor Flavia Domitilla, & ipsa Domitiani Augusti consanguinea, susceptæ Christianæ Fidei pariter accusata, cum propositum mutare, atque alteras post mariti obitum, ab iniquo Principe oblatas nuptias invicta constantia recusasset, in Insulam Pandatariam deportatur. Flagrātissimus utriusq; conjugis in Deum amor inde etiam eluxit, quod Filiis duobus, quorum alterum Vespasianum, alterum Domitianum Cæsar Domitianus appellari jusserat, & Imperii Successores palam delinaverat, assequendi Romani Orbis Principatum professione Christiani cultûs spem omnem præciderint, caducis ac fluxis præferentes æterna. Corpus Flavii Clementis post Martyrium à Christi fidelibus sepulturæ mandatum, insecuto tempore in Romanam B. Clementis Papæ Basilicā translatum est. Ibi cum diu latuisset, tandem annò ab ortu Salvatoris 1725. Iunuario mense detegitur. Curante verò Hannibale Albano Cardinale S. Clementis post biennium à Benedicto XIII. Pontifice maximo, 10 Kal: Iulias solemni Pompâ in altare majus infertur, atque honorifice conditur.

V. S. CLEMENS Alexandrinus Patriâ Atheniensis, cognomento, Flavius, Titus Clemens Alexandrinus Panthæni Discipulus, Origenis Magister, iisdem cum Tertulliano temporibus Severi, & Antonini, ejus Filii, non mo-

do doctrtna, sed & Sanctitate claruit. Peragratis plurimorum Disertissimorum virorum scholis, quievit Alexandriæ. Petrus de natalibus lib. 1. C. 28 dicit obiisse Die 2. Decembris, voce, & Calamo Catholicam fidem defendit, scripsitq; stromatum libros 8. Unde stromathæus à Cassiodoro dicitur. Hippothiposeon 8. adversus gentes 10. Pedagogi 3. de Paschate 1 de Iejunio, de obtrectatione 1. de Canonibus Ecclesiæ, de Resurrectione, de continentia &c:

VI. S. CLEMENS Ancyranus Episcopus, & Martyr de quo Martyrologium Romanum ad diem 23. Ianuarii dicit: Ancyræ in Galatia S. Clementis Episcopi, qui sæpius cruciatus, tandem sub Diocletiano Martyrium cõsumavit. Vita ejus prolixè descripta haberi potest ubiq;, ideo solum ejus appono elogium ex Aloysio Iuglare Niciensi Soc: IESU, Pag. 182.

Clemente Ancyrano

NUllum virtus defendit æquius
Nullum exercuit durius.
à Sophia Matre,
Sanctiori Philosophiæ genitus.
Quandoquidem à deteriori utero
Venire non poterat tanta constantia,

Nulla

Nulla in se admitens peccata
omnia puniens.
Martyr videri potuit, antequam esset.
Nondum adolescens,
Iam tamen Pauperum pater.
Omnibus melior, omnibus præfici meruit.
Nunquam demissior cæteris,
Nisi cum esse potuisset elatior
Diocletiani furiis interceptus.
Octavum supra vigesimum annum
exegit in pænis,
Cogente Deo,
Ut quando erat in mundo feritas,
Quæ omnium infligeret mala,
Esset & charitas, quæ omnia toleraret.
Sæpè in frusta concisus, nunquam non integer,
cum per nulla vulnera
Nimium ingens animus posset exire.
Tandem suis redditus,
Ut hostiam Deo daret,
Dei hostia factus.
Gemina victima,
Sacrificium una cum vita conclusit.



VII S. CLEMENS CLAUDIUS Die 20. Martii, natione Hibernus, Professione Monachus, Ven: Bedæ Discipulus in sacris literis, & disciplinarum omnium genere doctus supra modum, sanctis moribus, una cum Ioanne Monacho ex Hibernia in Galliam venit, ad Fidē Christi, scientiasq; propagandas per plateas clamans: *si quis sapientiæ cupidus est, veniat.* Cumq; de his fama ad Carolum Regem pervenisset, Rex se cupidum sapientiæ esse dixit, si venalem haberet, cui respondit Clemens: venalem habere sapientiam, sed iis, quibus non est pecunia, gratis dare. Fundavit igitur Rex per Clementē Academiam Parisiensem circa annum 780 quam feliciter complures annos rexit, in senectute tandem, extrema evectus est in Episcopatū Antisiodorensem in Thracia paulo ante mortem Caroli Magni. Inter Discipulos Clemētis S. Brunonem numerant aliqui, nec non Modestū Candidum, Einardum Monachos, doctrina sanctisq; moribus, scriptisq; claros, quos ad eum politioris literaturæ causa misit Rogerius Abbas Fuldensis Obiit Clemens in Regimine sui Episcopatus post annum duodevigesimum sæculi noni, 13. Kal: Aprilis, & sepultus in Ecclesia S. Amatoris. Libros plurimos scripsit. Colitur B. Clemens cultu Divis debito apud Hibernos, ut patet ex Colgano, qui illum inter ejusdem Insulæ Sanctos recen-

ſuit. à Clemente Claudio initium habuit Academia Pariſienſis, quæ alias Europæas ſi non antiquitate Originis, ſaltem honoris prærogativa antecellit.

VIII. S. CLEMENS Epiſcopus & Martyr. Hunc S. Urſula in ſui, ſociarumq; ſolamen elegit Paſtorem, ſociũ & Magiſtrum. Ejus hortatu, & Urſulæ ſvaſionibus illud agmen Virginum, potius vitæ, quam Virginitatis, & Fidei ſubiit jacturam. Cum Urſula occiſus quoque eſt & Clemens, cujus Reliquiæ 1587. menſe Octobris allatæ ſunt Ulyſſyponem, & collocatæ in Eccleſia S. Rochi ſub cura PP. Soc: IESU, Cujus loci fuerit Epiſcopus, non explicant auctores, Anglicæ alicujus ciuitatis illum judicat Oldoinus, quem Urſula Magiſtrum ſibi elegit. Eidem Eccleſiæ Sixtus V. Pontifex Maximus Iubilæũ perpetuum conceſſit, ubi Caput S. Clementis, Die 21. Octobris quotannis publicæ venerationi exponitur. Bollandus *Tom. 2. Ianuarii.*

IX. S. CLEMENS Willibrordus, Epiſcopus Trajectenſis, hujus Mater grauida, intempeſta noctis quiete vidit quaſi novam in Cælo oriri lunam uſque ad plenum creſcentem, quæ repentino curſu prolapſa eſt in os ejus, quâ devoratâ, ejus intima ſplendore perfuſa ſunt. Cui ſomnium quidam Religioſus interprætabatur. Luna, inquit, quam ex modica vidiſti in magnam creviſſe, filius

eſt, quem ea nocte concepiſti. Natus filius propheticam viſionem implevit illuſtri virtute. Nam factus Monachus, cum veniſſet Romam, à Papa Divinitus admonito de illo ad S. Petrum conſecratus Epiſcopus, ac ordinato impoſitum eſt nomen Clemens, miſſuſq; eſt Trajetum, ubi cum in villa nomine Uvalachrum dæmonem ex Idolo fugâſſet, Cuſtos idoli furore correptus, gladiô caput S. Clementis percuſſit, ſed minimè læſit. Cum pateretur ſitim effoſſo loculo, ubi flexus orabat, fontem dulcem elicuit. Vas vacuum immiſſo baculo ſuo, implevit vinò. Caroli Francorum Ducis Filio Pipino, quem baptizavit, prædixit *ſcito e*, inquit *quod* iſte infans ſublimis erit valdè, & glorioſus, & erit omnium Francorum Ducibûs major. Obiit die 7. Novembris, ſepultus in Monaſterio Efternaco. Cum ſarcophagum eſſet brevius corpore, marmoreum vas illud crevit in longitudinem Corporis, Odoris fragrantiâ, ac miniſterio Angelorum honorificavit eum Dominus in morte. Miraculis clariſſimus poſt mortem. Mutationem nominis fecit Sergius Papa, quia antiquum Willibrordi durum, ac novum Romanis apparebat.

X. S CLEMENS Syracuſanns Abbas, Monaſterii S. Luciæ non longè à Syracuſis Præfectus, vixit circa annum 800. ſub regula S. Benedicti, ut ait Ferarius. O-

ctavius vero Cajetanns in Martyrologio Syracusano hæc habet: Syracusis S. Clementis Abbatis, & Cõfesso-ris, cujus Corpus Georgio Maniaco Constantinopolim delatum est, Ejus fortè Caput furtô sublatum, Cluniaci servatur, licet putetur esse caput S: Clementis Papæ, & Mart yris.

XI: S. CLEMENS Præsbyter, & Iustus Frater ex Africa in persecutione Vandalica ejecti, cum Octavia-no Præsbytero in Etruriam S. Regulum Episcopum secuti navigaverunt. Cumq; Regulus, & Cerbonius Populoniæ constitissent, Clemens, Iustus, & Octavianus Vollaterras adventantes extra urbem aliquamdiu in sylva commorati, Vollaterranos paulatim ad Fidem prædicatione, & miraculis traxêre & miræ magnitudinis serpenté, qui homines, & pecora devorabat, inde fugarunt. Cũ autem Totila Rege urbem Gothi obsidione valde præmerent, Clemens benedictum à se panem in hostes pro jaculis proiici jubet, quô mox mane degustatô, ægrotantes, moriq; sperantes obsidionem solvere coacti sunt Deinde morbos insanabiles curans, dæmones ab obsessis pellens, sancto fine quievit cumu Iusto, & si non eodem die, quieverunt, tamen eodem die, hoc est, nonis Iunii in Vollaterranæ urbis Ecclesia coluntur, simulq; Corpora eorum venerantur. Ferrarius sub die 5. Iunii.

XII.

XII. S. CLEMENS Laudensis Præsbyter, & Confessor, Sanctitate florebat, cum S. Bassianus Episcopus Laudem venit, cui cum urbs esset sine Episcopo, Divinitus revelatum est, Bassianum Episcopum Ravennæ agentem à Deo præordinatum esse, & Populum ut eo mitteret, qui eum Laudem deducerent, admonuit. Cumq; Bassianus ad S. Ambrosium visendum pergeret Mediolanum, Clementem Comitem sibi adhibuit, abiit in Cælum 16. *Kal. Novembris.*

XIII. S CLEMENS Lugdunensis Præsbyter, qui B. Irenæi Episcopi, & Martyris Discipulus, ab eo ob insignia scientiæ, & pietatis merita, Præsbyterii honore exornatus, Sacerdotalis officii munia subiens, pleno Spiritûs, Apostolici vigore obiit. Illo autem sub Severo diro Cæsare ob pietatis assertionem, & gregis tutelam obtrūcato, cum in ipsius Irenæi Antistitis, sociorumq; Martyrum colligendis, sepeliendisq; corporibus, tum confirmandis perterritis ea ex procella fidelibus sedulam operam adhibuit. Deniq; post quam Christi Gloriam insigni zelo, & fortitudine propugnâsset, Martyr potiùs meritô, quam titulò æternos ad triumphos evolavit 13. Kal. Februarii in Martyrologio Gallico.

XIV. S. CLEMENS, Theodoretus, Gaudentius, Cyriacus atque Innocentius, cùm ad B. Martinum Turonen-

ronensis urbis Episcopum propinqui ipsius profecti essēt, & una cum eo viverent, Cumq; in Monachali habitu diu cum eo mansissent, vigesimo quinto anno post Martini obitum, Richardo Abbati morituros se prædixerunt, nec multo post nullo corporis languore affecti, Christiana Commûnione refecti, ante ipsum Abbatem genibus innixi, animam egerunt, & quia corpora illorum viventibus per similia videbantur, Dormientes appellati fuerunt. In Turonibus magno honore sepulti Quorum nos sepulchra religiose conspeximus, inquit *Fulgentius lib. 9. cap* 12

XV. S. CLEMENTIA Comitissa, Treviris primæ Belgicæ Metropoli, Migratio B. Clementiæ Comitissæ, quæ spretis mundi delitiis, & pompâ Christi obsequiis sese in Horreo Monasterio consecravit, ubi habitu Sanctimoniali assumpto, in omni pietate, & humilitate, vitæ cursum, feliciter consumavit 12. *Kalendas Aprilis.*

XVI. S. CLEMENTIA Regina ex Sodalibus S. Ursulæ, cujus caput Coloniæ in Ecclesia S Crucis Ordinis Prædicatorum colitur, In Theatro vitæ humanæ.

XVII. S. CLEMENS Martyr ob IESU CHRISTI Fidem una cum Saturnino ad Gemellas Africæ urbem passus est Martyrium, incertum, quo anno, quove sub Præside. Ex veteribus Martyrologiis occidentalis Ecclesiæ sub die 22. Ianuarii.

XVIII. S. CLEMENS Martyr in Græco Menologio sub die 23. Februarii ita consignata ejus memoria: eodem die S. Clementis Martyris gladio percussi. Deinde Clemens palmes rationalis vitis; novum dat mustum, dum sangvinem percussus, effudit. Maximus Cythræus de eodem ait sed in pace obiisse affirmat.

XIX. S. CLEMENS Martyr, Alexandriæ sub Diocletiano vitam pro Christi Fide dedit. Ferrarius in notis Cathalogi ad diem 30. Aprilis.

XX. S. CLEMENS Martyr Aquilejæ innocentia candidatus, cum Cantiano, & Cantiana Martyrii palmâ exornatus. Incertum est, quo anno, vel Præside. Meminit ejus S. Hieronymus sub die 15. Iunii in veteri occidentalis Ecclesiæ Martyrologio.

XXI. S. CLEMENS Martyr Cordubæ in Hispania cum Miliano, Primitivo, Eugenio, Novatiano &c: Martyrii Palmam meruit, sub die 27. Ianuarii.

XXII. S. CLEMENS Martyr una cum Simphorosæ filiis, qui sub Adriano Principe via Lavicana octavo, aut nono ab Urbe Lapide, Tibure, diverso mortis exitu Martyrium compleverunt. Inter quos unus est Clemens nomine, Frater ex Patre, non autem ex Matre filiorum Simphorosæ, sub die 18. Iulii

XXIII. S. CLEMENS Martyr sub Sterconio Duce cũ a-

liis ſeptem ſub die 25. Iulii.

XXIV. S. CLEMENS Martyr cum Apellio, ac Luca Græci, paſſi. Die 10. Septembris Martyrologium Rom:

XXV. S. CLEMENS Martyr S. Hieronymus ſic de illo: Romæ natalis S. Clementis. & Simpronii die nona Novembris.

XXVI S. CLEMENS, & CLEMENTINUS Martyres. in Heraclæa natalis SS. Clementis, Clementini Theodulæ, Philonomi, & aliorum multorum, Martyrologiũ Corbeienſe die 17. Nouembris.

XXVII. S. CLEMENS Martyr una cum Celſo variis ſpretis tormentis, necem feliciter tolleravit. Die 21. Novembris. Corpùs ejus ſub Urbano VIII. tranſlatum jacet Madriti in oratorio Comitis Caſtri Roderici. Martyrologium Romanum.

XXVIII. S CLEMENS Martyr cum Primo, & aliis Die 7. Decembris Martyrologium Corbeienſe.

XXIX. S. CLEMENS Martyr. Alexandria Eccleſia 3 Kal. Ianuarii, hōc eſt Die 30. Decembris celebrat memoriam S. Clementis Martyris, qui cum aliis pro Chriſti Fide Sangvinem fudit in eadem urbe.

XXX. S. CLEMENS Martyr anno 1674 ſub Clemente X. è Cæmeterio Sancti Calliſti Corpus Martyris cum Vaſculo, Sangvine aſperſo extractum eſt, recognitũ

per Eminentissimum Gasparum Carpinetum Cardinalem Vicarium Urbis, in Capsula ad instar urnæ ex hebano fabrefactà, sigillisq; munitâ inclusum sub nomine Clementis, dono est datum Capitulo Ecclesiæ Collegiatæ S. Gordiani in Picæno.

XXXI. Beatus CLEMENS primus Abbas Monasterii S. Salvatoris de Placa in Sicilia in oppido Francavilla: ubi immanis, vastæque magnitudinis attollitur rupes, unde quoque prærupta uno tantum aditu ab occidente, patet. Arduam hanc rupem ab omni cultu humano, Clemens sibi domicilium elegit. Cum Rogerius Comes Victor Saracenorum, penes eam rupem transiret, obviam ei exivit S. Clemens gratulaturus victoriam, volens munercula aliqua offerre, in Dei nomine varias feras è sylva ad se venire jussit, & congregata multitudine animalium B. Clemens ad Rogerium venit, ei offerens ea animalia. Cum vero Comes adduci non posset, ut ea ferocia animalia acceptaret, Clemens ad animalia conversus, dixit: Quando vos Rogerius donum dedignatur, abite hinc, liberaq; vivendi ratione, utimini. simulq; illis benedixit Vir Sanctus. Mox pristina loca animalia petivêre Comes hæc videns ex equo ad pedes Clementis prosiliens, veniam petiìt. Deinde in ea rupe Monasterium ædificavit. Aliqui ejus filii degeneres Sanctum Senem ex rupe proje-

cerunt, ubi primum pede ſuo lapidem tetigit, veſtigium impreſſit, huc uſque ſpectatu admirabili. Labentem verò profundius Angeli manibus ſuis exceptum ad ſummũ erexêre. Intrans Monaſterium Vir mitiſſimus, nihil commotus, ſed fuſte lignorum cõpacto, & in humeros impoſito, venit, cunctis mirantibus, ac pænitentibus indulſit, ac in gratiam priſtinam recepit. Moriturus ad gradus Monaſterii juſſit ſepeliri Corpus ſuum, at dum depoſitum eſt, aquæ fons è terræ gremio ſcaturiit, & hodie uſque ſcaturit, cujus aquam, quartana laborantes, cum bibunt, liberantur à febri. Caput ejus ſummo cultu ſervatum, 8 Idus Auguſti in ara Maxima colitur expoſitũ,

XXXII. B. CLEMENS Archiepiſcopus Dublinenſis Scotus, S. P. Dominici ſocius cum aliis ſeptem circa annum 1219 ad præces Alexandri Regis, Chriſti Fidem in in ſua Inſula prædicans, octo ſui ordinis ibi ædificavit Monâſteria. Clemens hic ab ipſo S. Dominico veſte Prædicatorum indutus celebratur cum titulo Sancti à Camerario in Menologio Scotico.

XXXIII. B. CLEMENS de Auxino, Prior Generalis S. Auguſtini, miraculis clariſſimus, odore poſt mortem ſvaviſſimus, Sacrum Corpus juſſu Nicolai IV. per plures hebdomadas inhumatum, mira patrabat.

XXXIV. B. CLEMENS Florentinus ex nobiliſſima

Capo-

Caponum Familia genitus, B. Thomæ à Scorlingo Discipulus Ordinis Minorum, Professione Laicus, sæpe ab Angelis, & à Sanctissima Deipara, & à Christo Domino visitatus, Divinisq; consolationibus ex eorum conspectibus repletus, obiit annô 1478 sepultusq; in sui Ordinis Ecclesia S. Francisci mõtis Fesularum propè Florentiam.

XXXV. B. CLEMENS Galloys Ordinis Minorum variis tormentis ab hæreticis exagitatus, valedixit mũdo, pro Fide coronatus. Pequetus de illo.

XXXVI B. CLEMENS Claræ Vallis Monachus, innocentia, puritate, victoriis de hoste animæ, Divinis revelationibus conspicuu,s Die 22. Maii obiit. Sæpius gloriosa Beatorum merita, in exstasim raptus comitante S. Augustino contemplatus est Christum Dominum in forma speciosissimi Pueri videre meruit, integritaté corporis ad vitæ obitum illæsam servavit. Angelus. Manriquez in annal. Cisterciensium

XXXVII. B. CLEMENS miræ perfectionis, & Sanctitatis Religiosus inter Minores magni nominis, maxima ejus patientia enituit, adversus dæmonum insultus, nam antiquus hostis hujus generis, eum variis, & terribilibus diversorum serpentum, atque animalium assumptis formis vexare non destitit, quæ omnia vir Dei animo sufferebat victor. Obiit 5. Die Augusti, 1216. annô.

XXXVIII. B. CLEMENS Scotus, socius B. Mariani Scoti Abbatis Ratisbonensis, ardentissimus Christi & peregrinationis ejus amator, sepulchrum Christi visitans ibi mortuus est piè circa finem sæculi undecimi. Ioannes Colganus in actis SS. Hiberniæ.

XXXIX. B. CLEMENS Anglus Monasterium Sanctissimæ Trinitatis ingressus, quod dicitur Fiscianus, inter alias virtutes, quibus ornatus erat, humilitate adeô enituit, quâ se tam abjectum, & vilem asserebat, ut cum Sacerdotii gradu fungeretur, nunquam in omni vita sua, nisi semel ad Divinum Ministerium accedere præsumpserit. Petrus Roverius in historia ejusdem Monasterii.

CLEMENTES SUMMI PONTIFICES

CLEMENS Romanus primus cum munere claudit
A Christo sæclum Martyr, sed mergitur undis,
Tertia Trajani sævit quando impia strages,
Nominis at primus Romana in sede reliquit
Undenos Patrum Patres, hucusq; Beatos.

XL. CLEMENS II. Svidgerus, natione saxo, Episcopus Bambergensis, communi cõsilio eligitur in Romanum Pontificem ipsa die natalis Domini intronizatus, centesimus quinquagesimus post S. Petrum Pontifex, anno 1046.

quia ut testatur Henricus, in Romana Ecclesia non erat tunc talis reperta Persona, quæ dignè posset ad tanti honorem sufficere Sacerdotii. Ipsa die suæ coronationis coronavit Henricum Imperatorem & conjugem ejus Agnetem, anno sequenti celebravit Concilium Romæ contra Simoniacos, S. Wiboradam Virginem, & Martyrem, quæ anno 925. ab Hungaris cæsa fuit, in Sanctorum numerũ retulit. Obiit die nona Octobris, cúm sedisset mensibus novem, & diebus quindecim. Corpus ejus translatum Bambergam, ibidem sepultum est cum hoc epitaphio: Rèverendissimus in Christo Pater, & Dominus Svidgerus à Mayendorf Saxo, secundus Episcopus Bambergensis, postea summus Pontifex, Clemens II. dictus, obiit Romæ 10. Octobris anno 1047.

XLI CLEMENS III. Romanus antea dictus Paulus Scholaris, Episcopus Prænestinus, & Cardinalis, die 19. Decembris anni 1187. electus est Pisis, & sequenti die coronatus. Pro recuperanda Terra Sancta Indulgentiam concessit omnibus, qui ob eam Crucem susciperent. Discordiam Senatûs, Populiq; Romani propter quam multi antecessores Pontifices exulare ab urbe debuerunt, Clemens novem conditionibus factis, & juramentô firmatis, extinxit, ac cum summa lætitia omnium statuum ingressus est urbem. Otthonem Bambergensem Episcopum Pomerano-

merânorum Apoſtolum dictum, & Stephanum de Mureto Ordinis Grandimontenſis Fundatorem, Sanctorum faſtis adscripſit. Inter Reges Franciæ, & Angliæ turbatam pacem conciliavit. Clauſtrum S. Laurentii extra muros ædificavit, Laterani ædes non mediocri impenſa rèſtituit, Templumq; vermiculato opere ac muſſivo exornavit. Mortuus eſt anno tertio Pontificatûs, menſe quinto, in Baſilica Lateranenſi ſepultus, ducta ingenti funeris pompâ

XLII. CLEMENS IV. Gvido, natione Gallus ex oppido S. Ægidii, ad Rhodani ripam in Provincia Narbonenſi Nobili Familia Groſſa, Patre Fulcodio, Matre Germana natus eſt. Pater ejus poſt mortem uxoris ingreſſus eſt ordinem Carthuſienſium, tanta in eo Sanctimonia vitæ fuit, ut etiam Divinis viſionibus illuſtraretur, Ipſe vero Gvido peritiſſimus fuit juris conſultûs, proinde à Durando Lumen juris appellatur, à S Ludovico Rege Franciæ nono, in Sanctius Concilium allectus, omnibus admirationi, & amori fuit. Uxore autem mortua, primum Anicienſis Archidiaconus, poſt Archiepiſcopus Narbonenſis, deinde ab Urbano IV. Cardinalis, tandem electus eſt ſũmus Pontifex, & Viterbii coronatus eſt die 22. Februarii, anno 1265. Clementis nomen ſumpſit eò, quod in die Feſto S. Clementis Papæ, & Martyris natus fuiſſet ut aſ-

ſerit

ſerit Alphonſus Caſtellæ Rex in literis gratulatoriis ad eum ſcriptis; quarum meminit Raynaudus ad annum 1265. numero nonoDuas habuit filias ante Pontificatum, quarum uni in Monaſterio collocatæ, triginta libras Turonenſium monetarum dedit, alteri autem nuptæ trecentas libras dotis nomine numerari juſſit. Habuit & nepotē Clericum habentem, tres præbendas, cui unam reliquit, duas ademit, dicens: *ſe Deo, non autem carni & Sangvini acquieturum.* Hedvigem, Poloniæ Duci junctam Matrimonio, miraculis claram Sanctis aſcripſit. S. Thomæ Aquinati Archiepiſcopaliū Neapolitanum obtulit, ſed illum S. Thomas non recepit. Claudius Clemens Soc. IESU vitam Clementis IV. Lugdini impreſſit 1624. fuit vir ſummæ virtutis, de quo Ptolomeus Lucenſis dicit: *Hic quanto plus crevit in dignitate, tanto plus floruit in Sanctitate.* Fuit Iuriſta ſummus, Prædicator eggregius, Cantor pulcherrimus, ſine pari, carnes diu non comedit, aſperrimo lecto eſt uſus, nec veſtibus lineis ad carnem utebatur, ſibi auſterus, cæteris pius, nec invenitur exaltâſſe parentes, Deo dicatus, ad petitionem S. Ludovici Francorum Regis trium annorum indulgentiam hæc verba dicentibus conceſſit: Benedictum ſit dulce nomen D. N. IESU CHRISTI, & Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, Matris ejus in æternū & ultra. Amen. Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria,

Amen

Amen: Obiit Viterbii, ut ait Bernardus Gvigo, vir totius prudentiæ præ cunctis generosis hominibus, in Vigilia S. Andreæ Apostoli, sepultus in Ecclesia Fratrum Prædicatorum, anno 1268. sicut ipse vivens disposuit.

XLIII. CLEMENS V. Bertrandus de Gotho, filius Beraldi nobilis Aquitani Vasconis, Domini de Gillandrado, Diecæsis Burdegalensis, Archiepiscopus ejusdem, absens electus Pontifex, cōvocavit Regem Franciæ, Angliæ & Arroganiæ, & Cardinales, ut adessent ejus coronationi Lugduni, Clementis assumpto nomine. Basilicam Lateranensem incendio combustam pænitus, propriis impēsis pristino restituit ornamento. Avenione collocavit residentiam suam in Domo Fratrum Prædicatorum ejusdem loci. Viennæ Allobrogum concilium generale Æcumenicum celebravit, cui interfuit Philippus Rex Franciæ cum Fratribus, Carolo Valésio, & Ludovico Rege Navarræ, hujus Cōcilii indicti quatuor fuerunt causæ, Tēplariorum ordo, qui gravissimorum criminum infamiâ laborabat; Causa Fidei variis erroribus lacessitæ; Vexillū Terræ Sanctæ; Restauratio Ecclesiasticæ disciplinæ. Extinctus est hic ordo à Clemente in Concilio, damnati sūt errores Beguardi, & Beguini, novæ constitutiones à Concilio approbatæ, in Corpus juris redactæ vocatæ Clementinæ. Petrum de Murrone, Cælestinum V. dictum, canoni-

nonizavit. Henricum Imperatorem coronavit per duos Cardinales. Obiit apud Rupem Mauram super Rhodanum, 12. Kalendas Maii, cum sedisset annis Octo, mensibus decem, diebus quindecim sepultus est in Vasconia in Ecclesia B Mariæ de Usosta, Diecæsis Vasatensis. Scripsit Clemens sermones ad populum habitos, Epistolarum librum unum, librum Cõstitutionum Clementinarum, hymnos sacri officii de Compassione B. Virginis scripsit, teste Oldoino.

XLIV. CLEMENS VI. Petrus Rogerius, Gvilhelmi Rogerii Lemovicensis, à principio suæ juventutis puerilis, Deum habuit in memoria, puer decem annorum Religionem S. Benedicti ingressus est, studiorum causâ missus Parisios, anno trigesimo primo ætatis Doctor est Laureatus, postea Abbas Attrebatensis, & Rothomagensis Episcopus. à Benedicto XII. creatus est Cardinalis. Cum adhuc Monachus esset; & rediisset Parisiis ad Monasterium Casæ Dei, in via spoliatus fuit à latronibus, vestitus autem à quodam Stephano Aldebrando, cum interrogasset; & quando acceptum beneficium referre ego potero: responsum ab eo accepit: Tunc, cùm eris Papa. Creatus igitur Papa, vocavit Aldebrandum, quẽ Archiepiscopum Toloslanum creavit, memor beneficii accepti. Electus die 19. Maii in Festo Pentecostes, in Ec-

clesia Fratrum Prædicatorum cùm maximâ solemnitate coronatus est, nomen Clementis assumpsit, ob innatam Clementiam, & humanitatem. Creavit Cardinales decem, inter quos Geraldum de Guarelia Magistrum Generalē Ordinis Prædicatorū consangvineū suum. Annū Iubilæi annô quinquagesimo celebrari concessit, quia antea à centesimo, in centesimum celebrari à Bonifacio VIII. statutū fuit. Regibus Franciæ communionem sub utraque specie sumendam concessit, quâ utuntur tantū die coronationis suæ, & in Articulo mortis. Ivonem Hallori Britannum Præsbyterum Tertii Ordinis S. Francisci, advocatum Pauperum solemni ritu canonizavit. Ioanna Siciliæ Regina vendidit Clementi civitatem suam Avenionem cum omnibus ejus juribus pretiô 80. millium Florenorum auri de Florentia. Sæviente gravissima pestilentiâ, Clemens officia pietatis exercuit, emit unum campum magnum, in quo Cimeterium fecit consecrari, ubi omnes possent sepeliri, fuitq; ei nomen impositum, campus floridus, in quo modo est Ecclesia S. Rochi. Hæreticorum Flagellantium sectam damnavit. Creavit iterū duodecem Cardinales, inter quos Ioannem de Molendino Generalem Ordinis Prædicatorū assumpsit ad Purpuram. Piè obiit die sexta Decembris, cùm sedisset annis X. mensibus VI. diebus XVIII. Celebratis exequiis in Ec-

clesia Avenionensi, corpus ejus translatum est ad Monasterium Casæ Dei in Alvernia, ubi veneraur Brachium S. Clementis Papæ. Fuit Clemens, ut vitæ tertiæ auctor scribit, Clementiæ speculum, charitatis hospes, misericordiæ Pater, pietatis alumnus, liberalitatis minister, justitiæ pugil, æquitatis athleta, concordiæ sator, & pacis amator, modestiæ norma, Religionis exemplar, amicitiæ fomes, anchora spei, Fidei Basis, complacentiæ mos, eloquentiæ flos, honor generis,& Patriæ decus. Sex rosas in clipeo suæ generationis assumpsit, sed vere nihil aliud Rosarum numerus voluit indicare, nisi quod sicut per arithmeticos Ipse perfectior haberetur, & quod sextum erat summi Pontificis fastigium inter Clementes Pontifices obtenturus. Franciscus Petrarcha lib. 8. Clementē appellat, Literatissimum Pontificem. Nangius in Chronico Tomo: XI. Spicilegii Dacheriani Pag. 739 eum vocat virum summæ memoriæ, & ultra modum communē eloquentem Thomas Walsighamus vocat eum virum insignis literaturæ. Aymericus Abbas Moysiacensis vocat eum maximum sermocinatorem verbi Dei. Alius apud Baluzium, asserit eum, sermones, & collationes excellentissimè, & sæpe fecisse, multa opera erudita reliquit, in Bibliotheca Archiepiscopi Rhemensis, reperitur codex cōtinens sermones diversos Festorum Dei, B. Mariæ, & a-

 liquorū

liquorum Sanctorum, & alia facta per D. Clementem Papam sextum temporibûs Archiepiscopatus, Cardinalatûs, & Papatûs prædicatorum diversis temporibus. Librum quartum sententiarum publicè interpratatus est in Academia Parisiensi. Reliquit librum Epistolarum, Canonizationis S. Iuonis librum unum, & alia.

XLV. CLEMENS VII. Iulius Medices, Iuliani Medices, filius, ex nobilissima tot Principum, & Pontificũ familia natus, singularis vividique animi specimen præferebat, unde optimis, qui tunc Florentiæ erant, præceptoribus usus, animum ita composuit, ut literarum cognitioni, maximam morum elegantiam adjunxerit. Qué Leo X. Archiepiscopum Florentinum designatum, priùs Diaconum S. Mariæ in Dominica, postea Præsbyterum Cardinalem Tituli S. Clementis creavit. Hic XIII. Kal: Decembris 1523. electus est summus Pontifex, Clemens septimus dictus, confirmavit Institutum Clericorum Regularium, nuncupatorum Theatinorum in die exaltationis S. Crucis, approbans regulam S. Cajetani Thienæi Patriarchæ Clericorum. Cæsar Carolus V. Romani Imperii diadema de Põtificis Clementis manibus majorum more accepit, & incredibili apparatu, magnificentissimaq; pompâ Augustus ipso natalis sui die sexto Kalendas Martii, anno 1530 appellatus est. Postremo cum Cardinales triginta

ginta tres creâsset, res domesticas optimè, disposuisset, in adversa, prosperaq; fortuna semper costans, Romæ in Vaticano VII Kal. Octobris, rebus humanis excessit, anno salutis supra diem septimum. Corpus ejus translatum est cum Corpore Leonis X. ad Ecclesiam S. Mariæ super Minervam, & in Marmoreo Mausolæo in Choro collocatum est.

XLVI. CLEMENS VIII. Hippolithus Aldobrandinus, Florentinus, filius Sylvestri Aldobrandini, priùs Auditor Rotæ, & Datarius sub Sixto V. Cardinalis creatus, legatione summi Pontificis in Polonia summa dexteritate functus est, in qua hoc singulare contigit, uti legi in Bibliotheca Barberina Romæ in Oratione Oratoris Poloni salutantis Cardinalem Aldobrandinum, quòd cum ingrederetur Cracoviam summa pompâ, & plâusu Regis, circa meridiem grande sydus illuxit super arcem Regiam, unde Orator ex apparitione syderis salutavit eggregia oratione Legatum Cardinalem. Romam reversus, ex Cardinali S. Pancratii, & summo Pænitentiario, creatus est summus Pontifex, Clemens VIII. Die 30 Ianuarii, coronatus die secunda Februarii 1592. Eluxit in eo vitæ integritas, & judicii bonitas, magnitudo doctrinæ, certavit cum rerum gerendarum felicitate, & experientia. Fuit plenus

15:4. ætatis suæ 56. mense quarto, Pontificatus anno X. Mense decimo supr diem septimum.

plenus Spiritu consilii, pietatis, & fortitudinis Fuit pronus ad lachrymas, cùm enim Orator Gallus eum videret orando, pro populo in Ecclesia S. Pauli flentem, monuit ipsum, ne ob frequentes lachrymas damnum oculorũ incurreret, cui respondit Clemens: *Sustine Domine Orator, non alio medio Dei ira extingvitur, & multitudinis ingenia capiuntur.* Singularis in eo enituit pietas erga Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ, cum primus quadraginta horarum Devotionem instituit Romæ. Invenit Corpus S. Ceciliæ Virginis nobiliss.mæ & Martyris integrum adhuc, & pretiosa veste ornatum, in qua mortua fuerat, quo religiose venerato, miraculosè, sanatus est Clemens à pedagra, quâ diu, graviterq; laboraverat. S.Clementis Papæ præcipuus cultor fuit, & Imitator, nam ut dicit noster doctissimus Alphonsus Ciaconius, S. Clemens Pontifex Martyrio coronatus, septem notarios ad res gestas in Ecclesia conscribendas delegerat, Clemens VIII. illius vestigiis insistens, insigne annalium Ecclesiasticorum opus jam cæptum, Pontificia munificentiâ urgere non desistebat. Ædes Vaticani Pontificias ornavit, ut superius à me dictum est. Aulam S. Clementis Imagine nobilitatam, & Clementinam dictam, splendenti marmore, signisq; pulcherrimis expolivit. Clemente Ferrariâ reverso Romam, Tyberis ipso natalis Domini per vigilio anno 1604 extra
ripam

ripam diffluens, ad eam altitudinem stagnavit, ut homines sibi navigia non parva remis agerent, tunc Clemens activa naviculâ vectus per urbem, diffundebat in populos miseros aurum. Cujus memoriæ exstant versûs in muro arcis S. Angeli.

Annô salutis MDCIV. Die 24. Decembris:

Eridani Imperio Clemens, & pace per Orbem
Aurea reddiderat sæcula. Roma tibi.
Cum subito Tyberis assurgens huc extulit undas,
Et te penè suis contumulavit aquis.
Scilicet extollant animos, ne gaudia nostros
Temperat adversis prospera quæ ut Deus.

Ioannes Franciscus Aldobrandinus arcis hujus & S.R.E. Copiarum Generalis Præfectus posuit.

Collegium Romæ *instituit à Clemenie Clementinum dictum pro Iuvenibus Illiricis, uti testatur inscriptio sub Imagine ejus in Collegio posita.*

CLEMENS VIII. Pontifex optimus maximus, Ut lectissima juventus bonis moribus, ac scientiis in urbe totius Christiani Orbis Magistra; erudiretur, Collegiū hoc ab ejus nomine Clementinum nuncupatum, fundavit, & Patribus Congregationis è Somascha, præclarissimo in eos fiduciæ, ac benevolentiæ argumento, perpetuò addixit annô M.D.C.IV.

Ex hoc Collegio nobilissima juventus ad summas dignitates erudita est, inter illustres Personas est Clarissimus, hujus Collegii alumnus, Sanctissimus D. N. Benedictus XIV. P. O. M. sicut ipsemet testatus est in Decreto Beatificationis B. Hieronymi Æmiliani Congregat: Somaschæ Fundatoris. Solemni pompâ celebratum est primũ sæculum finitum suæ fundationis in hoc Collegio, cum elogio Clementis VIII. Fundatoris sui, Reperi hoc elogiũ in Miscellaneis Bibliothecæ Cassanatensis *Tomo 439.*

Roma parens mundi Octavo Clemente superba
Semper oves, caelisq; feras venientibus amplam
Materiem laudis. Iuvenum spectabilis; omen
Ista cohors, tibi fausta dabit, servate juventam
Hanc superi faciles; sacri queat illa parentes
Assidua gaudere die - - - - - - - - -
Clementis fulgeat ædes
Invicta splendore virum pietatis avitæ
In melius revocantur opes, post sæcula prima,
Sæcula jam rutilant, afflato lumine Roma,
Gloria cælesti longum durare triumphos
splendet adorato post hoc Clemente serenum
scandit iter.

Celebravit Clemens Congregationem de auxiliis gratiæ Divinæ, cui præsidebat, agitatam inter Patres Ordinis

Prædicatorum, & Societatis IESU, sed sententiam potius Prædicatorum tuebatur, Beatos, Hyacinthum Polonũ, & Raymundum de Pennafort Hispanum ejusdem Ordinis Prædicatorum solemni pompâ Canonizavit. Ambrosium Sansedonium Martyrologio Romano adscripsit, Agnetem de Monte Politiano Beatam declaravit. Sacrorum Bibliorum editionem recognovit. Regularem Disciplinam restauravit, Varias sacras Confraternitates instituit, Ecclesias in honorem B. Virginis ædificavit, Decreto expresso prohibuit, ne in Ecclesiis, vel supplicationibus, aliæ cantarentur litaniæ, quam omnium Sanctorum, & B. Virginis Lauretanæ. Litanias autem de Nomine IESU speciali privilegio concessit Congregationi Oratorii S. Philippi Nerei, Anno 1600. solemnissimum celebravit Iubilæum, in quo insignia præbuit pietatis, & liberalitatis exempla, & tanquam Ianus finem præcedentis, & principium sequentis sæculi conspexit. Migravit in Cælũ quinto nonas Martii, anno 1605. sedit in Pontificatu annis XIII. diebus 33 annos ætatis suæ habuit sexaginta novem. Corpus ejus honorifico Mausolæo exceptum, & conditum est in capella S. Mariæ Majoris, in qua colitur miraculosa B. Virginis Imago.

XLVII. CLEMENS IX. Iulius Rospigliosus, Patria Pistoriensis ex nobilissima Rospigliosorum ejusdem urbis o-

riundus Familia. Cardinalis Præsbyter S. Sixti creatus ab Alexandro VII. Electus est in summum Pontificem Die 20. Iunii anno 1667. unanimi consensione, & die 26. coronatus est, voluit appellari Clemens IX. ad ingenii sui indolē & innatam animi lenitatem profitendam; ut ait Ciaconius. Ipsi applicata fuit Prophetia S. Malachiæ Hiberni:

Verè hIC est sIDUs oLorUM.

Sive istud quoque Chronographicum:

SteLLa breVI regnans, spatIo fuit iste DoLorUM.

Quod melius exprimitur carmine:

Cur Papam hūc dicat Malachias Sydus olorum,
Cum vixit, potuit dicere nemo bene.
Sed mors explicuit, cum Candia perdita Papæ,
Elicuit gemitum, nonne olor ipse fuit?
Vt moriens modulatur olor, sic Candia eidem
Non moduli, at gemitus, causaq; mortis erat.
Sic Hierosolymam lugens, Vrbanus obivit,
Constantinopolim sic Nicolae gemis.
Lucius Edessam sic luxerat ante secundus
Planxisti amissam sic Adriane Rhodum
Nescio, cur fuerit vivens hic sydus olorum,
Hoc scio, quod moriens Stella doloris erat,

Confessionem fidelium publicè audiebat in Tribunali Pænitentiæ sedens in Vaticano, Nosocomia sæpius invisebat, ægro-

ægrotis propriis manibus miniſtrabat, Peregrinis duodecē ad menſam Palatio ſuo accūbentibus ipſe inſerviebat. Propenſo corde fuit in Prædicatorū Ordinē, cellam S P. Dominici in Monaſterio S. Sabinæ pretioſo marmore exornavit, Roſam Limanam Beatorum Cathalogo annumeravit. Petrum de Alcantara, & Magdalenam de Pazzis canonizavit. Sub eo amiſſa eſt Candia, ex cujus amiſſione afflictus, eodem anno nona Decembris, Pontificatus ſui anno II menſe quinto, obiit anno 1669 Noluit in honorifico ſepeliri monumento, ſed humili loco, Succeſſor tamen ejus Clemens X in Baſilica S. Mariæ Majoris ſepulchrum ei cum Statua erexit, in qua Zelum & Charitatem ejus, perenni, grataeq; memoriæ commendavit.

XLVIII. CLEMENS X. Æmilius Alterius ex Illuſtriſſima Alteriorum Romana Familia oriundus, Die 29. Aprilis, Anno 1670. Octogenariús aſſumptus eſt ad ſupremam in terris dignitatem, coronatus eſt die 21. Maii celebravit anno 1675. Iubilæum ordinarium decimum quartum, cum extraordinarium conceſſit pro rebus in Polonia turbatis anno 1673. anno autem 1671. Cajetanum Thienæum, Clericorum Regularū Inſtitutorem quos Theatinos appellant, Franciſcum Borgiam è Soc, IESU, Ludovicum Bertrandū, Roſam Limanam ex Ordine Prædicatorum, Philippum Benitium Ordinis Servorum B.V. in Sanctorū Albū retulit, Piū V. Pontificē

ximum, Albertum magnum Episcopum Ratisbonensem Ordinis Prædicatorum, Ioannem à Cruce Carmelitam Discalceatum, Franciscum Solanum, Ludovicam Albertoniam viduam in Ordine S Francisci Beatorū illustravit radiis. Restaurationem Basilicæ S. Mariæ Majoris à Clemente IX. cæptam absolvit. Cujus rei in perennem memoriam nummos cudi jussit, in quibus illa Basilica impressa conspicitur cum hac Epigraphe: *Deus fundavit eam.* Vincentium Ursinum & Hovardum ex Ducibus Norfolciæ Anglū ex Ordine Prædicatorum assumpsit ad Sacram Purpuram, quorum primus postea electus fuit in summum Pontificem sub nomine Benedicti XIII. Tot rebus in Ecclesiam clarissimus, obiit die 22. Iulii, anno 1681. ætatis suæ 86. Pōtificatûs sui anno 7. sepultus est in Basilica Vaticana.

XLIX. CLEMENS XI. Ioannes Franciscus antea dictus, natus est Urbini die XXIII. Iulii anno MDCX.LIX. ex Clarissima Albanorum Familia, Patrem habuit Carolum, & unicum Fratrem Horatium nomine, natu minorē Matrem Helenam Moscam Pisaurensem Matronam nobilissimam, quam triennis amisit. Liberalibus Disciplinis, eloquentiæ præsertim, mox Philosophiæ, ac Theologiæ, ac juris utriusq; studiis adeo excellenter operam dedit, ut Doctorali laurea insigniri mereretur. Græcas literas ita didicit, ut non minus Græcè, quam latinè doctissimus

habere-

haberetur Egregia ejus indoles, & virtus summo in pretio fuit apud Franciscum Barberinum Cardinalem, Sacri Collegii Decanum, & apud Christinam Alexandram Svecorum, Gothorum, Vandalorumq; Reginam, quæ illi supremam Ecclesiæ dignitatem non semel clare prædixit. Ab Innocentio XI. in Ordinem Prælatorum, quos utriusq; Signaturæ Referendarios vocant, ac inter Consultores Sacræ Cogregationis Rebus Consistorialibus præpositæ cooptatus. Deinde secretarius Brevium, & Canonicus Vaticanus institutus fuit, ab Alexandro VIII. creatus est S. R. E Cardinalis Præsbyter Tituli S. Sylvestri in Capite. Innocentio XII. tandem vita functo, omnium Cardinalium insveta, & summa consensione electus est summus Pontifex, ipsa die festa S. Clementis Papæ, & Martyris, quam dignitatem per triduum recusavit, Virorum tamen piorum adductus consiliis, illam admisit, ac in honorem S. Clementis Papæ, Clementis XI. nomen assumpsit; anno ætatis suæ quinquagesimo primo, à Cardinali Bullionio Episcopo Ostiensi, Sacriq; Collegii Decano, Episcopus consecratus, solemni ritu die octava Decembris coronatus est. In memoriam electionis suæ argenteam monetam cudi jussit, in qua ex una partê Pontificis effigies cum literis: *Clemens* XI. P. M. *annô* II. altera ex parte S. Clemens Papa in nubibus sedens; expressus

expressus fuit cum hac Epigraphe: *Dominus elegit te hodie*. In ea dignitate constitutus, Religioni propagandæ totus intentus fuit, Patriarcham Antiochenum, & Alexandrinum ad Sinarum Imperatorem allegavit, in alias quoque Orbis plagas misit Evangelii præcones, & Pastores, quorum laboribus vel à superstitione, vel à Schismate ad Ecclesiam Catholicam multi revocati sunt. Antonium Ulricum Ducem Brusvicensem, ac Luneburgensem, & Fridericum Augustum Electoralem Saxoniæ Principem, à Lutheranis erroribus abduxit. Controversiam de Sinicis Ritibus diremit gravissima constitutione In Solemnioribus Festis sacras Homilias habuit summâ eloquentiâ. Paschasii Qvesnellii Præsbyteri Galli centum, & unam propositiones damnavit edita constitutione: Unigenitus. Festum Conceptionis B. V. Immaculatæ de præcepto colendum, & celebrandum præcepit Solemnitatē Sanctissimi Rosarii B. V. Mariæ ad universam Ecclesiam extendit sub Ritu primæ Classis celebrandum. Lateranensem, & Vaticanam Ecclesiam, ac plures alias, præcipuè S. Clementis, insignibus auxit ornamentis. Pium V. P. M Ordinis Prædicatorum, Andream Avellinū, Felicem de Cantalicio, & Catharinam Bononiensem Sanctis adscripsit. Vaticanam Bibliothecam exoticarum lingvarū ab Oriente conquisitis Manuscriptis Codicibus locupletavit

tavit

ravit, quæ nunc Vaticano Clementina appellatur, Clemētis pietas eluxit maximè in S. Clementem Tutelarem, cujus Basilicam sæpissimè adibat, tum in Festo ejus, tum gravi calamitate pressus, mira procerum stipatus frequentia. Cujus testis est argentea moneta, Piastra, in qua exprimitur S. Clemens genuflexus coram agno stante in mōtibus avitis Albanæ Familiæ, cum Figura Pacis tenentis olivas, palmas, & anchoram, hac adjecta epigraphe: *Dona nobis pacem.* Fuit in eo sindularis Clementia in excipiendis supplicum votis, in publicis expediendis negotiis indefessus labor, in sublevandis egentium necessitatibus inexausta beneficentia, in Apostolicæ Sedis authoritate, & juribus propugnandis robur invictum. Creavit Cardinales LXX. inter quos Michaëlem Angelum de Comitibus, Archiepiscopum Tharsensem, qui illi in Pontificatu successit, & Innocentius XIII. appellatus est, & Laurentium Corsinum, qui creatus summus Pontifex, nūcupari voluit Clemens XII. in memoriam Clementis XI. Fuit Clementis statura procera, vultus decorus, vox limpida, actio dignitatis, & gratiæ plena, & ipsa Corporis forma præferebat Majestatem tanti Sacerdotii, & nominis. Desiit vivere 19. Martii ipso Festō S. Iosephi Spoēsi B. V. quem semper coluit, ejusq; honorē novo officio Canonico ampliavit: sepultus est in capella chori Basilicæ Vaticanæ

humili-

humiliter, ſicut ipſe voluit. vixit annos 71. menſes 7. dies 25 Sedit in Pontificatu annis 20. Menſibus 3. diebus 26.

EPISTOLA CLEMENTIS XI.

Dilecto Filio, nobili Viro, Ioſepho Clementi ex Ducibus Bavariæ, Electo Coloniensi S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir Salutem,

QUod effuſæ lætitiæ, publica teſtimonia ediderit Nobilitas Tua, ubi accepit, noſtram ad Apoſtolicum faſtigiũ aſſumptionem, in Eum diem auſpicatam incidiſſe, qui Divo Clementi Sacer, ac Solemnis, præcipuo in honore à Te merito habetur, Singularis Tuæ pietatis argumentũ eſt, nec non Tui in nos ſtudii ſpecimen præclarum, conciliatur Tibi proinde hoc etiam nomine Pontificia noſtra benevolentia, quam luculentis documentis explicare Tibi cupimus, dum nos iis Votis, quibus Uberes anno ineunte, felicitates nobis præcaris, Vices ex intimo Cordis rependimus, & propenſæ in Te voluntatis noſtræ pignus, Apoſtolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. *Datum Romæ &c: Die 12 Ianuarii 1701. Pontificatus noſtri Annô primô.*

L. CLEMENS XII. Laurentius Corſinus ex clariſſima Corſinorum Florentina Familia, S. Andrea Corſino conſpicua natus, Die 12. Iulii anno 1730. renunciatus eſt ſummus Pontifex. Hujus Pontificis præclariſſi-

ma ſolicitudo apparet in tot, quibus nunc Roma decorata eſt, magnificentiſſimis monumentis erectis, inter quæ eſt illud nobiliſſimum atrium Baſilicæ, Lateranenſis, atque capella ejuſdem Baſilicæ ſumptuoſiſſimè erecta in honorem S. Andreæ Corſini ſui Conſangvinei. Celebravit Parentalia Mariæ Clementinæ Reginæ Magnæ Britanniæ in Vaticano, atque exequias Auguſti II. Regis Poloniarum tum in Quirinali Palatio, tum in Eccleſia S. Clementis. Canonizavit Vincentium à Paulo Cōgregationis Miſſionis Fundatorem, & Ioannem, Franciſcum Regis Miſſionarium è Societate IESU. Benedicto XI. Pontifici Maximo ex Ordine Prædicatorum Beati honorem decrevit, S. Catharinam de Ricciis Florentinam Virginem ejusdem Ordinis ipsa die Sacra S. Clementis Papæ in Vaticana Baſilica ſolemniter Beatam declaravit. Tandē de rebus Eccleſiæ optimè meritus, Clementiâ, & pietate conspicuus, Sancto fine quievit conſumatæ ætatis, & virtutis anno 1739 ſepultus eſt in Capella S. Andreæ Corſini in Laterano, ubi Corpus ejus pretioſiſſimo conditum eſt Mauſolæo. Vixit in Pontificatu annis novem, menſibus ſeptem.

LI. Venerabilis CLEMENS Patriâ Ruthenus, Civis Smolaticenſis, Vir doctus, & probus, virtutibus in Monaſtico S. Baſilii Inſtituto, quod profitebatur acquiſitis illuſtris, anno Salutis 1146. aſſumptus fuit ad dignitatem

Metropolitanam. Cum enim post obitum Michàëlis nunciatum esset Prælatis Ruthenis, rursus Photianum Schisma in Græcos recrudescere, statuerunt Synodum celebrare, quapropter convenientes *Kijoviam* sub Isaslao Duce Russiæ piissimo, elegerunt unanimiter Clementem, eumq; consecraverunt, imponentes ejus Capiti S. Clementis Pontificis Romani & Martyris Sacrum Caput, quod in Monasterio Kijoviensi asservatum fuit, in signũ subjectionis, ac obedientiæ, quam semper profitebatur Ecclesia Ruthenica Sanctæ Romanæ Sedi Apostolicæ. Clemens igitur Decimus tertius Metropolita Russiæ, post custoditam constanter unionem S. Sedis Romanæ, post insignia merita piè obiit. Kojałowicz in Miscellaneis Pag: 42. MSS. Codex Sclavonicus, & Ignatius Kulczyński in libro, cui titulus specimen Ecclesiæ Ruthenæ Pag. 113.

LII. V. CLEMENS Castellanus Cracoviensis Regio Lesconis tertii, Poloniæ Principis Sangvine natus, nam Lesconis filius Iaxa Princeps Serbiæ in Poloniam migrans, hujus nobilissimæ Familiæ Auctor fuit, ex qua Iaxæ prius vocati, deinde in magna Branice & Ruszcza Braniccii appellantur. Hâc Familiâ nulla antiquior, nulla in Deum, & Ecclesias liberalior in Polonia fuit. Hic Clemens S. Cunegundem Regiam Belæ Hungariæ Regis Filiam, Boleslao Pudico Regi Poloniæ nubendam in Poloniam duxit. Multarum Abbatiarum, Monasteriorũ, Ec-

clesia-

clesiarum. Fundator beneficentissimus. Civitatem erexit vocavitq; à suo nomine Klementow, sive Klimuntow, quam cum Ecclesia honori S. Clementis Papæ sui Tutelaris dedicavit, Aliam quoque Ecclesiam in urbe Lendziony S. Clementi erexit, quem tota Illustrissima Braniciorum Domus ab antiquo Protectorem suum colit, & veneratur, plurimis eidem ædificatis Ecclesiis, ejusq; nomen in Baptismo solita assumere, quod hucusq; floret in Illustrissimo Ioanne Clemente Braniccio Supremo exercituûm Duce, Palatino Cracoviensi, cujus singularis Prùdentia, rerum gerendarum dexteritas, & pietas in S. Clementem majora pollicetur honoris incrementa. Cũ Clementi nasceretur filius interrogavit filiam suam Wisennam Abbatissam tunc Ordinis S Benedicti Monialium quonam nomine vocaretur? illa prophetico Spiritu, dixit vocari debere Doiutrek, hoc est ad crastinus, factumq; est, quod baptizatus puer in crastinum solum viveret. Erat in Clemente summa in Deum pietas, in egenos liberalitas, in honore demissio, in præliis prosperitas, virtute vixit, & piissime vivere desiit Corpus ejus in Staniotensi Monasterio sepultum, Miraculis claruisse produnt Scriprores Poloni, eumq, titulô Beati celebrant. Super sepulchrum ejus lucem Cælestem apparuisse *testatur Miechoviensis*.

LIII. V. CLEMENS à S. Maria anno Redemptio-

nis nostræ 1599. primus de manibus venerabilis Servi Dei, Ioannis à Conceptione Reformatoris Ordinis Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione captivorum, reformatum institutum, & Sacrum habitum suscepit. Fuit Vir egregia corporis formâ præditus, Angelicæ Innocentiæ, & Virginei candoris custos integerrimus, in miseros misericors, in liberandis captivis solicitus, in Regulari Paupertate ditissimus, quâ nihil pretiosius æstimabat. Reformati Instituti Propagator, & individuus Comes Ioannis à Conceptione, cui placidissimè migranti in Cælum, assistebat V. Ioannes, atque Innocenti animæ suam impertitus est benedictionem. *Chronicon ejusdem Ordinis.*

LIIII. V. CLEMENS Sedenensis à Præsentatione B. V. Mariæ, honestis Parentibus, scilicet Laugier, & Petronilla Martin natus, ab incunabulis futuræ Sanctitatis præbuit inditia. Ebreduni literis imbutus, Aquiis sextiis humaniores scientias didicit, relinquens mundum apud Aquenses Trinitarios se recepit, ut saluti suæ humiliter, & serio consuleret. Horum veste indutus, statim post vota reddita, Spiritûs S. impulsu, ad sui, & proximorum spirituale incrementum procurandum, in ministerio Evangelico plurimum laboravit, quod ita feliciter persolvit, ut in carceribus, triremibus, & xenodochiis, Divinum timorem mentibus miserorum infigendo, eorum dolores

verborũ

verborum suorum dulcedine temperaret. Hinc in plateis, & locis publicis pænitentiæ necessitatem adeo graviter, inculcabat, ut in prætoriis, missionibus, quibus sæpe operam navavit, elementa religionis aut pravitate dæmonis, aut ignorantia populorum extincta, reflorerent. Zelô propagandæ Fidei incensus, & amore liberandi proximi è captivitate, Martyrii cupidus fuit. Fracta demum Apostolicis laboribus, & regimine sui Ordinis, sanitate, pacificè, in Domino obdormivit Die 3 Decembris, cujus Depositio facta est in Conventu nostræ Dominæ Gratiarum, Marsiliensi, fundato à Sancto Ioanne de Matha. *Ignatius à Sancto Antònio scriptor Congregationis* Gallicanæ in Necrologio Relig: *Pag.* 300.

LV. V. CLEMENS Panormitanus inter Capuccinos Clericus, quasi flos vix è vagina erumpens, tanta virtutum fragrantia in Domo Dei olere cæpit, ut dono Prophetiæ, ac raptûs ad cælestia contemplanda ab Angelo sublevatus, miraculis clarus juvenis obiit. Annal: Cappucin:

LVI. V. CLEMENS à Gravina Sardus, Provincialis Cappucinorum, cum in Conventu Placentiæ ministri Provincialis munus exerceret, ante matutinas horas surgens, ut lucernam accēdat, in Ecclesiam pergit, at lampade extincta, cum ad popinæ se caminum contulisset, ignem ibi prægrandem instructum, atque Virum pallio obvolu-

tum

tum invenit, interrogatus, quis esset, audit, esse quendam Fratrem nuper defunctum propter verba inutilia ignem Purgatorium ibi patientem, qui ejus præcibus se juvari asseruit.

LVII. V. CLEMENS Placentinus Cappucinus Clericus; Bononiensis nobili Rusticorum Familia ortus, moriens ocurrentem sibi Christum cernens, in ejus sinum animam fudit. Annô 1697. Octavo ab illius sepulturâ anno inter sepulchri aquas incorruptus inventus est. Annales Cappucinorum.

LVIII. V. CLEMENS Apriciensis Sardus Cappucinus cum ad Provinciæ fasces veheretur, quo tempore Manfredoniæ uersabatur, accidit, ut Frater Dionysius à S. Ioanne Concionator, qui plurimo illi amicitiæ vinculò cõjunctus erat, in altero Conventu longè distante, diem extremum clauderet, qui eadem, quâ obiit horâ Clementi oranti apparens, illum amicis verbis salutat, seq; illâ horâ ex humanis excessisse, atque ex Dei misericordia salutem adeptum fuisse indicat. Clemens lætus interrogat, utrum judicium Dei in morte tam sit horrendum, sicut creditur, cui Dionysius: Clemens; inquit, ne dubius inhæreas, quin horribilius, quam existimari ab hominibus potest. Verum illud tibi exploratum sit, Fratres quàm plurimos propter lingvæ delicta, maximum in salutis dis-

crimen

crimen induci, quapropter ſolicite lingvam cuſtodito, ac mulierum omnium tametſi piarum,ac Religioſarum familiaritate te abſtine Inter hæc evanuit, Cæleſti B.V. Mariæ Viſione ſæpius recreatus, cujus laudes decantans, mortuus eſt. Poſt mortem cuidam Fratri recitanti negligenter coroliam B.V. apparuit, dicens: *Expergiſcere Frater, ut quid te tepor occupat, Deo ferventius famulare, ne te Domini os evomat.* Unum tamen cave, ne te eorum numero adjungas, qui hominum potius, quam Dei oculis ſtudent placere. At neque Religionis dignitates, ac prælationes expetito, qui enim ad eas inhiant, in in laqueum incidunt, & ſagenam *D*iaboli, illæ me aliquamdiu, in purgatoriis pænis detinuerunt; Gvardianũq; nuper è vita excedentem in Tartarum merſere. Vive Deo, & cum eo habita.

LIX. V. CLEMENS Velitrenſis Cappucinus Sanctitate vitæ, morumq; innocentiâ celebris, dono exſtaſis potitus fuit, in qua ſæpè ad quartam uſque horam inſenſibiliter permanſit

LX. V. CLEMENS à Bocherio Cappucinus in Provincia Meſſanenſi Laicus Siculus, tanta puritate pollebat, ut eum Ruffinus à Rometa in oratione defixum ſpectans, clariſſima circa lumbos luce circumfuſum conſpexit.

LXI. V. CLEMENS Onus Iappon, circa annum 1622.

cum

cum Antonio Filio, & aliis 82. pro Christi fide capite truncatus Nangazachi regnante in Lapponia Xogungama Daysuzamæ filio.

LXII. V. MARIA CLEMENTINA, Regio Ioannis III. Sobiewscii Triumphatoris Orientis, Defensoris Europæ sangvine nata, filia Iacobi Regii Poloniæ Principis, Olaviæ in Silesia in lucem edita, Iacobo III. Magnæ Britanniæ Regi nupta, geminos reliquit filios, Carolum Odoardum, Uwalliæ Principem, & Henricum, Benedictum, Clementem Ducem Eboracensem, nunc S R. E. Cardinalem, virtutibus & meritis plena, sanctè migravit è vita Romæ anno 1735 Die 16 Ianuarii, cum vixisset annos 33. menses 6. solemni pompâ ejus venerabile Corpus à Basilica duodecem Apostolorum delatum est in Vaticanam Basilicam, ubi Regio apparatu peractis parentalibus sepultum est in Magnifico Mausoléo. Tertium Ordinem dè pænitentia S. Dominici professa fuit, summaqs benevolentiâ Ordinem Prædicatorum prosecuta, S Clementem Papam inter cæteros Sanctos singulari pietate colebat, Ejus egregias virtutes expressit Elogium in parentalibus scriptum, quod totius vitæ ejus rationem cōplectitur.

Acerbo

Acerbo funere
MARIÆ CLEMENTINÆ

IAcobi III. Magnæ Britanniæ, Franciæ, Hiberniæ Regis, Conjugis amantiſſimæ.
Ioannis III. Poloniæ Regis ex Filio Neptis
Lectiſſimorum Liberorum Parentis optimæ
Morum
Comitate, integritate. Sanctitate eximiæ,
Cujus dum viveret, Regalem, Chriſtianumq; animum
Morte inſtante impavidum, hilaremq;
Roma ſuſpexit
Orbatis,
Auxilio miſeris, ope pauperibus, ſolatio ægrotis,
Ereptoq; urbi ornamento, Religioni præſidio,& exemplo,
Univerſus Civium Ordo
Publico veluti juſtitio indicto
In mærore, & luctu
Verſatur.

LXIII. V. CLEMENTIA ex Comitibus Hombergenſibus, Comitiſſa Spanheimi, vidua in Monaſterio Trevirenſi Ordinis S. Benedicti, Sanctitate celebris.

LXIV. B. CLEMENS ex nobiliſſima Caponiorum Familia Ord. Prædicatorum, delectabatur omnibûs viliori-

bus ministeriis, unde Christus Dominus humilitatis Magister, & Angeli illius virtutes amantes frequenter ei apparuerunt, aliquando in hisce exercitiis plus solito occupatus, cum ante horam prandii pensum orationis absolvere nequivisset, ipse cæteris prandentibûs coram Imagine B. Virginis Mariæ orationibus absolvendis incumbebat. Ibi vero ab eadem Imagine vocem delapsam audit, quâ moneretur, ut in refectorium iret, cæteris Fratribus se conformaret, pergratam sibi fore illius bonam voluntatem, quando in officiis charitatis præsertim jussu majorum occupatus, pensum devotionum complere non potuisset, satis ei esse temporis à prandio ad illud complendum. Marcus Ulyssiponensis in historia Seraphica parte. 3 *lib.* 6. *Cap.* 3

LXV. B. CLEMENS de Alverna miræ perfectionis, & Sanctitatis Religiosus, in contemplatione assiduus, in qua insomnes noctes sæpius traduxit, mirô in dæmones imperio clarus. Missus in Hispaniam ad propagandum Ordinem Franciscanum, multa Sanctitatis, & virtutis exempla præstitit. Alvernam vero rediens, Sanctissimo fine dies suos conclusit. Anno Domini 1241. Monologium Seraphici Ordinis ad diem 5. Augusti.

LXVI. V. CLEMENS Araneus Ragusinus in Theologia Magister Provinciæ Dalmaciæ Ord: Prædicato-
rum

rum, Vir probus, ac doctus, Theologus non ignobilis, & in Cōcionibus ad populum eloquentissimus, gratiosus, memoriæ tenacissimus, vir singulari prudentia, morumq; probitate insignis, pietatem, quam erga Deiparam Virginem profitebatur, notam fecit, edendo de laudibus ejusdem sermones, plures, qui cum aliis ejus sermonibus prodierunt. Edidit item magnum volumen dictum. Quodlibetum declamatorium, expositionem Epistolæ ad Romanos contra Luthæranos. Miræus de scriptoribus sæculi 16. Cap 58. vixit anno 1546

LXVII. V. CLEMENS Bigot Gallus, Ord: Prædicatorum, vir animi invicti, Catholicæ Fidei, vindex, acerrimus, pius, doctus, facundiâq; illô ævô clarissimus, scriptis, & prædicatione, insurrexit in Lutheranos, Calvinistas, & Hugonottos, quorum hæresibus Gallia labefacta ita misere elanguebat. Vixit annò 1563. De illo Lefebure scripsit.

LXVIII. V. Clemens Socius S. Hyacinthi Odrowąsii Septemtrionis Apostoli Ordinis Prædicatorum, Vir Apostolicus, & Imitator S. Hyacinthi, itinerum ejus. & prædicationis Apostolicæ comes. Illum S. Hyacinthus assumpsit, & cū illo accessit ad fluvium Rava, in quo submersus fuerat Wislaus Præmislaviæ Comitissæ in Sarniki, cujus corpus post orationem S. Hyacinthi, & Clementis

emersum à S. Hiacyntho vitæ restitutum fuit.

LXIX. V. Clemens de Amberga Ord: S. Fran. qui tanquam Apostolica tuba in Bohemia & alibi contra emergentes, ac prævalentes hæreses acriter intonuit. Sanctoq; ac laudabili fine vitam coronavit. Annô 1492, Menologium Ord. ad diem 19. Martii.

LXX. V. CLENENS de Dithmaria Hæreticorum Malleus, Apostolicis laboribus celeberrimus, Sancto fine quievit in Germania. Menologium Ord: ad diem 19. Martii.

LXXI. V. CLEMENS Dolera totius Ordinis S. Francisci Minister Generalis, tandem ob summam prudentiam, paremq; Sanctitatem à Paulo IV. Papa Cardinalitia donatus purpurâ, ad Beatificum supremi Numinis aspectū, Sanctè migravit Romæ Annô 1568. Menologium Ordinis ad diem 6. Ianuarii.

LXXII. V. CLEMENS de Apricio inter cætera Dei dona, Gloriosæ Deiparæ apparitionibus frequenter consolatus. Menologium Ordinis ad diem 14 Februarii.

LXXIII. V. CLEMENS à S. Daniele Concionator Apostolicus Zelo animarum flagrantissimus, & Prophetiæ dono clarus. Menologium Ordinis ad diem 20. Maii.

LXXIV. V. CLEMENS à Brixinona Missionarius Apostolicus in Helvetia pro veritate Eucharisticæ præ-
sentiæ

sentiæ tuendæ, & pro asserenda Apostolicæ sedis Authoritate à perfidis Hæreticis inaudita crudelitate discisso per medium capitē usq; ad humeros unà cum duobus sociis necatus in valle Lucernæ Annô 1655. Menologium Ordinis adDiem 12. Maii

LXXII. V. CLEMENS. Bontadosius ex ordine Minorum ob magnam Sanctitatem ad Episcopatum Neocastrensem assumptus, optimi Præsulis partes explevit perfectissimè ac Sanctorum more obiit Annó 1291. Menologium Ordinis ad diem 24. 7bris.

LXXVI. V. CLEMENS Svevus cum multis aliis sociis Pragæ in odium Fidei ab Hæreticis necatus Anno Domini 1611. Menologium Ordinis ad diem 2. Februarii.

LXXVII. V. CLEMENS à Ragusa Clericus vitam suam inter mirandas exstases, apparitiones, virtutes, & gratias à Deo concessas consummatam reddidit, & Deo maturam abbreviavit. Menologium Ordinis ad diem 23. 7bris.

LXXVIII. V. CLEMENS de Vaja in odiū Christianæ fidei ab irruentibus Turcis in Hungariam, eorum frameis trucidatus cum 20 sociis ex eodem Ordine S. Francisci Annô 1526 Menologium Ordinis ad diē 18. 7bris.

LXXIX. V. CLEMENS Iappon lento igne pro Fide Christi cum P. Petro Navarro Sacerdote Soc: IESU

exu-

exustus, cujus piæ conversationi solus exterior Religionis habitus deerat. In Menologio Soc: IESU 1. Novembris.

LXXX. *V*, CLEMENS Sacerdos à Calatayrone sanguine, & opibus clarus, ut animi integritatem, quam in sæculo sedulò servaverat, tutius ab hoste maligno tueretur, apud Provinciam Syracusanam PP. Minorum Cappucinorum clastra petiit, ubi brevi insigne Sanctimoniæ nomen assecutus, optans tantummodo rerum Cælestium meditationi incumbere, humillima præce apud superiores obtinuit, ne studiorum addiceretur operæ. Unde Ecclesiæ & sacrarii multos annos accupatus custodia, omnia Divinum præseferentia cultum, perpolite ac mundissime servando, proprii cordis monstravit nitorem, quem abunde sensuum omnium testabatur custodia, & vel maximè actꝰ ille heroicus, quem Clemens ex communi generis humani hoste reportavit; dum binis fæminis turpissimo amore exardescentibus seq; ad peccandum mille blanditiis stimulantibus, non solum non annuit, sed verborum efficatia sceleris enormitatem obiiciendo, easdem ad detestandũ movit propositum, quod illæ pænitentes Fratribus fassæ sũt. Gvardiani, ac Novitiotum Magistri munere plæclarè functus, omnis observantiæ exemplar præfulsit, præcipuè charitatis, qui quamvis victu parcissimus, ac erga se rigidissimus, subordinatorum tamen ita solicitus aderat in-

digentiis,

digentiiss verbo, consilio, & opere, ut sibi omnium animos ad obsequia religiosa promptissimos devicerit, Demum Plateæ cænobio præpositus, ultimam vitæ suæ prædixit diem, ac morbo correptus, Ecclesiæ Mysteriis ritè expiatus, eadem quam prædixit, horâ tranquillissimè expiravit, cujus animam Sanctorum stipatam cohorte ad Cælos deferri vidit Fr: Bonaventura ejusdem Ordinis Sacerdos ab eadem urbe, cui ægritudo Clementis minimè nota fuit Anno Domini 1620.

Ex Annalibus Cappucinorum

LXXXI. *V*. CLEMENS Kircheimensis Concionator, Divi Augustini primò regularis Canonicus, dein Cappucinus, & in Austria Gvardiani, perfunctus munere, doctrinâ, pietate, & regularis Disciplinæ Zelo insignis, charitate Christi optimè instructus, sæviente acerrimè Herbipoli epidemiæ morbô, ad infectorum omnium obsequia viventem se omnipotenti hostiam sponte obtulit, periculorum omnium contemptu pestilentibus se immiscet, jamq; obeuntibus flagrantissima suæ charitatis offert studia. Dũ itaque cuncta magno cum zelo peragit, & se voce, manu, & corde impertit cunctis, quod avide peroptabat, cum tot millibus & ipse pro charitate occumbere, tandem assecutus, nam lethali vulnere feritur, & extremis Ecclesiæ munitus mysteriis absumitur peste, charitatis ut piè credimus

mus, potitus Martyrio, & in Cælis Martyrũ donatus palmâ, cujus animam Godefridus Herbipolenſis Epiſcopus, nocte ejus obitum ſubſequente, viſione cælitus ſibi monſtratâ, cæleſti frui gloriâ comperit, ſed & eodem tempore pia Monialis ex Ordine S. Bernardi P. Clementis Germana ſoror in ſomnis eundem elevatâ dextera geſtantem calicem glorioſè vidit, quod & teſtata eſt. Anno Domini 1622.

Ex Annalibus.

LXXXII. *V*. CLEMENS à Podio Mirtero Romanæ Provinciæ Laicus, Annô Domini 1613. in Coventu S. Bonaventuræ de urbe felicem ſuæ vitæ curſum confecit, in quo præ cæteris virtutibus arctiſſimi jejunii cultus, in ſupernorum meditatione ardor Spiritûs, & eximia mentis puritas potiſſimum elucebant, quem à Deo Cæleſtibus revelationibus, nec non viſionibus ſæpe recreatum fuiſſe Patrum teſtantur monumenta. Inter alia luculenter eximiam ejus Sanctitatem teſtatur præclara charitas, quam à Deo ardenter, tempore magni Iubilæi in alma urbe, ex diverſis Provinciis confluentibus Fratribus exhibebat, ut in quolibet eorum Chriſtum ipſum ſuſcepiſſe videretur. Inter quos Fr. Dominicus *V*eronenſis exitiali febri correptus, mira diu noctuq; charitate præſentem habuit Clementem, qui ultimum ipſi extare diem agnovit ex jucundo ſpectaculo, quo in Feſto S. Claræ virginis ex viſione Clemẽtiſſimæ

tiſſimæ

tissimæ Cælorum Dominæ assistente sibi Clara, & aliis Virginibus potitus est, quem S. Clara svaviter allocuta, se esse Patris Francisci primogenitam dixit. Virtutibus demum apud Romanam Provinciam illustris ad suprema ut piè fatemur, ævololavit. Anno ut supra. Ex Annal:

Hæc igitur, quæ à me hucusque scripta, disputata, & narrata sunt, judicio S. Romanæ Ecclesiæ subjecta esse volo. Nihil aliud intendens in hoc opere, nisi Majorem DEI Gloriam, qui in Sanctis suis est mirabilis, & laudabilis, & propagationem cultus, & pietatis S Clemẽtis Pontificis, & Martyris, cujus Patrocinium mihi nũquam defuturum spero.





